p[illegible] Digoit L'aigné.

N. XII

F. 403

CONRADI GESNERI

OPERA BOTANICA

PARS I.

CONRADI GESNERI
OPERA BOTANICA
PARS I.

42550
F.1603

CONRADI GESNERI

PHILOSOPHI ET MEDICI CELEBERRIMI

OPERA BOTANICA

PER DVO SAECVLA DESIDERATA

QVORVM

PARS PRIMA

PRODROMI LOCO

CONTINET

FIGVRAS VLTRA CCCC. MINORIS FORMAE

PARTIM LIGNO EXCISAS PARTIM AERI INSCVLPTAS

OMNIA

EX BIBLIOTHECA

D. CHRISTOPHORI IACOBI TREW

SAC. CAES. MAI. CONSILIARII ET ARCHIATRI SERENISS. MARGGRAV. BRANDENBVRGO
ONOLZBACENSIS CONSILIARII ET ARCHIATRI REIPVBLICAE NORIMBERGENSIS PHYSICI ORDINARII
SENIORIS COMITIS PALATINI CAESAREI S. R. I. NOBILIS SOCIETATIS IMPERIALIS NAT. CVR.
DIRECTORIS SOCIETATVM REGIARVM LONDINENS. ET BEROLINENS.

SODALIS

NVNC PRIMVM IN LVCEM EDIDIT

ET PRAEFATVS EST


D. CASIMIRVS CHRISTOPHORVS SCHMIEDEL

SERENISS. MARGGRAV. BRANDENBVRGO CVLMBAC. CONSIL. AVLIC. MEDICINAE ANAT.
ET BOTAN. PROF. PVBL. ORDIN. IN ACAD. FRIDERICIANA ERLANGENSI SOCIETAT.
IMPERIAL. NAT. CVR. SOCIVS.



NORIMBERGAE IMPENSIS IO. MICH. SELIGMANNI.

TYPIS IO. IOSEPHI FLEISCHMANNI. MDCCLIII.



J. J. Preiſler inv. et del. J. M. Seligmann ſculps. Norimb.

VIRO ILLVSTRI
EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO
DOCTISSIMOQVE
CHRISTOPHORO IACOBO TREWIO
PROSPERITATEM INCOLVMITATEMQVE PERENNEM
PRECATVR
CASIMIRVS CHRISTOPHORVS SCHMIEDEL.

Publico et priuato nomine, TIBI, Vir Magne, magna debeo, partim quod litterati orbis commodum multis adeo modis iam promoueris; partim quod me in hunc vsque diem ampliſſimo officio et ſingulari fauore proſecutus ſis. Non mihi timerem quidquam a rigoroſo etiam iudice, neque facile vererer exoſum vilemque adulatoris titulum, ſi longo ſermonis lenocinio meritorum TVORVM praedicatorem me gererem; quod tamen vtique facerem, (etſi nobili adeo mihique gratiſſimo negotio me plane imparem ſentiam) ſi ſcirem, gloriae TVAE magnum inde accedere poſſe pondus et augmentum. Qualemcumque meam laudationem, vt credo, ſupplere poteſt, Principum Virorum in TE fiducia, illuſtriumque Societatum auctoritas, quarum vna in TE Directorem grauiſſimum, reliquae membrum digniſſimum poſſident. Ipſa quoque per ſe loquuntur, et ſublimis TVI ingenii egregias dotes abundanter produnt tot pretioſa Opera, quibus aut ipſe manus admouiſti, aut adhuc commodas, aut quorum publicationi patrocinaris. Neque enim vlla impedimenta vllaeue moleſtiae TE auocant et abſtinent a ſtudio amoeniorum litterarum, non grauiſſima medentis munia, quibus Aulae miniſtras, cui nuper admodum Principem, graui morbo ereptum reddidiſti incolumem, et quibus Vrbi TVAE indefeſſo ſuccurris conatu; ſed omnibus aequo Marte incumbendo, nullis dees. Quamquam itaque quotidie fere aliquid exſequaris, ex quo Nominis TVI veneratio creſcere poteſt, interim tamen alieniſſimum TE probe cognoſco ab eo quorundam pruritu,

qui aut blanditiis inducunt, aut metu cogunt, vel quouis ſub titulo ſibi conquirunt lau-
datores, a quibus exprimunt encomia, et in coelum vſque attolli ſtatim cupiunt, dum
modica ſolum in ſcientiis praeſtant. Vix pateris, vt vera de TE loquar, et partem ſolum
recenſeam eorum, quae iuſtiſſime TIBI debentur. Integra enim, quae TE ornant, expe-
dire ſi inciperem, et TIBI diſplicerem, et argumento rei propoſitae haudquaquam ſatis face-
rem; cum iam nunc dubius haeream, num illi ſcopo, propter quem ſcribo, magis conue-
niat, quo praedicem liberalitatem TVAM, quae TE ſemper inſtigauit, vt quoſuis ſumptus
optime collocatos putes, quos in ſcientiarum emolumentum conferre potes: an potius vt
in humanitate TVA vnice ſubſiſtam, qua vincere ſemper, numquam ſuperari mauis. Cer-
te ſi vmquam verum fuit, quod quo quis doctior eſt, eo maiori etiam humanitate reliquos
antecellit, vtrumque in TE perfectiſſimum inuenit complementum. Tantum enim abeſt,
vt ea animi moderatio, eaque beneuolentia obfuſcet raram eruditionem, quam vbicumque
declaras, vt potius hanc multo illuſtriorem, multo amabiliorem reddat. Nemo facile in TE
deprehendit eam aſperitatem, quae quorundam mores ita contaminat, et omnia, quae for-
te laude digna egregiaque poſſident, deprimit et obnubilat. Teſtes haberem omnes, non
eos ſolum, qui TE ſemel conuenerunt, ſed illos quoque, quibus familiarius vteris, adeo-
que conſenſus communis potentior eſſet eloquentiſſima quauis oratione, ſi opus eſſet in re
notiſſima. Summa ſemper cum delectatione in mentem mihi reuoco, quae fuerit mea vo-
luptas, cum prima vice ad TE, Vir Illuſtris, accederem, et eam in TE inuenirem comita-
tem, eruditionemque modeſtia temperatam, quae dum ſine artificio eſt, primo ſtatim in-
tuitu placet. Temporis huius memoriam longa ſatis annorum ſeries ne minuere quidem,
multo minus delere valuit, eaque omnino captus adhuc ſum, ita vt me illa liberare non
poſſem, etiamſi ex inſtituto vellem, ſatis interim certus, me in vltimos vſque vitae terminos
TIBI adſtrictum fore. Permittas, quaeſo, vt aliquo ſolum modo indulgeam feruori, quem
ſentio in me excitatum, cum nactus demum ſim occaſionem commoditatemque, quam mi-
hi ſaepius optaui, publice declarandi, quot quantiſque nominibus TIBI me deuinctum cre-
dam. Quam inſigni humanitate et mutui amoris teſtificatione me ſemper excepiſti, et adhuc
excipis, quoties horas aliquas conuerſatione TEcum fallere mihi licet: numquam diſcedo niſi
inuitus, et vbi non horas atque dies optarem prolixiores, adeo ſatiari non poſſum oblecta-
tione, quae mihi ex colloquio TVO ſolidiſſimo et adcommodatiſſimo ſubnaſcitur. Semper
diſcedenti mihi eundem plane hilarem vultum exhibuiſti, quem obtuleras venienti, etiamſi
conſiderando Theſauros TVOS eruditionis, vndique et ſumptuoſe conquiſitos, multum tem-
poris ſubinde TIBI eripuerim, quod aut ſaluti aegrotantium, quibus adeo ſtrenue, adeo feli-
citer inuigilas, conſecratum, aut ſeuerioribus deſtinatum fuerat laboribus, nominis TVI
gloriam vſque ad ſeram poſteritatem propagaturis. Neſcio fere, numne TE inuito hoc
etiam

etiam declarem, quam munificus ſemper et quauis oblata occaſione erga me fueris; aliorum dato ſtudio non commemoro exempla, quae tamen abunde ſuppeterent. Quotidie ante oculos habeo, et ſtudioſe ſeruo tot fauoris TVI rara pignora, quibus leuiſſima quaevis officia, et res ſubinde parui momenti, liberaliter et cum foenore compenſare, atque teſtatum facere voluiſti, TE conferendis potius, quam accipiendis beneficiis natum eſſe. Verborum copiam facultatemque prius mihi deficere ſentio, quam foecundam hac in re materiem; vnicum igitur adhuc excito, quod inter maxima beneuolentiae TVAE erga me iure merito pono teſtimonia, quod in me curam detuleris edendorum Operum GESNERIANORVM, quae in inſtructiſſima TVA litteraria ſupellectile ſeruas, vbi ingenti ſtudio et largo aere congeſſiſti cuncta fere, quae vniuerſam rem Medicam, praeſertim Naturae ſcrutinium tangunt, et pretio, raritate atque bonitate inter reliqua eminent, ſiue ſint a patrum aetate vsque ad noſtra tempora typis exſcripta inter diſſitas non ſolum, ſed et finitimas gentes, ſiue ſint calamo tantum conſignata; ex quorum perquiſitione iucundum otium et honeſtam animi relaxationem quaeris et inuenis. Perſuadeo mihi, non abſque fauſto omine et benigna Numinis prouidentia rem ita directam eſſe, vt ea, quae GESNERVS compoſuit, in TVAM venerint poſſeſſionem. Omnino felicem praedico GESNERVM, quod tantum in TE inuenerit Patronum, neque parum admiror fatorum eximii huius Viri poſt tot infortunia clementiam, quod ad TE demum TVAMque tutelam perductae ſint eius reliquiae, quouis auro aeſtimabiliores. Quis enim apud nos tantos ſumptus pro iis comparandis tam gratioſe ſuſtinuiſſet, quis generoſum adeo poſſediſſet pectus, vt tanto ardore tantaque animi adplicatione omnia in vnum comportaret corpus, quae paſſim non latebant ſolum, ſed etiam difficulter conquiri poſſe videbantur. In eo tamen non quieuit egregius animi TVI feruor, quo ſemper non TVVM magis, quam aliorum commodum promouere ſtudes, ſed nuperrime opimam ſane ſummam erogaſti, vt conſequereris magnam vim litterarum manuſcriptarum, ſtatim ac reſciueris, GESNERIANOS iſtos labores pluribus difficultatibus dubiisque eripi, et vario modo ornari poſſe eiusmodi ſubſidiis. Cum autem ex his omnibus parca in publicam rem emanaſſet vtilitas, ſi cuncta, quae tanti conſtiterunt, TIBI ſoli, priuatisque ſolum TVIS, aut paucorum amicorum, oblectamentis reſeruaſſes; longe igitur nobiliori animatus inſtinctu, ab eo ſtatim tempore, quo ſingula nactus eras, conſilium inieueras, eadem promulgandi; ac ſi quaſi iudicaueris, quod tunc denique vera gloria iuſtusque poſſeſſionis titulus TIBI emergere poſſit, ſi in ſcriniis non diutius latere, ſed publici iuris et vſus fieri ſinas omnia: grauiſſima vero, quibus ornatus es munera, quae tamen ſimul non parum oneris ſecum ferunt, et multiiugi labores, qui me non raro teſtem habuerunt oculatum, obſtiterunt ſaluberrimo iſti inſtituto, quo minus id pro voto abſoluere potueris, vsque dum nunc tempus illuxerit, quo ſub TVIS auſpiciis cuncta perficiuntur. TV, itaque, Vir illuſtris, poſt integra duo fere ſaecula generoſus et legitimus teſtamenti GESNERIANI tandem ſurgis exſecutor, qualem piiſſimus Auctor vix vmquam ſperare, liberaliorem neutiquam inuenire poterat. Non enim contentus es, vt lucem ſolum videant abſque ambagibus, ſed ornatu etiam externo et ſplendida forma, valorem intrinſecum gratiorem reddere inſtituis. Quilibet condonat, aut adſtipulatur etiam Scriptori, qui proprios ingenii ſui partus incomtos prodire non patitur, ſed blandus tamquam parens aliquam quaerit commendationem in cultus externi elegantia, longe maiorem hinc amoris gradum indicari, ſi peregrinis adeo propitii ſumus, nemo ibit inficias. Quis itaque debitis laudibus non celebret praeclaram TVAM propenſionem, inſignemque pietatem in GESNERI optimi manes; beneficium enim digno qui dat, omnes obligat. Ne demum quidquam deſit, quod ad ſummum munificentiae et beneuolentiae faſtigium requiritur, quemcumque lucri odorem ſpernis, et non archetypos ſolum, autographa, vna cum omnibus ſubſidiis gratis largiris, ſed et quod maximum eſt, ſumptibus paſſim neceſſariis Editorem iuuas, vt eo melius publicationi ſufficiat, et variis beneficiis incitas, vt eo alacrius cuncta expediat. Plura certe et maiora a Maecenate, a Patrono quocumque poſci non poſſunt: Summi Botanices Promotores luculentiora non fecerunt. Superas omnino permultos, qui ſimile quidem, non tamen adeo perfectum ad omnia officium praeſtiterunt perituris alias lucubrationibus Naturae ſcrutatorum, qui dum vitam triuerunt in perquirendis rebus, vltimo die praeuenti, obſeruatis ſuis ipſi obſtetricari non potuerunt. Glorioſe adſociaris conſortio Virorum primi ſubſellii, inter quos Magnum SHERARDVM, BOERHAAVIVM et BVRMANNVM, honoris cauſſa nominaſſe ſufficiat, qui omnes, prout immortalibus in artem noſtram notiſſimi meritis, ſic nominis famam eo ſublimiorem conſecuti ſunt, dum benignos peregrinorum laborum ſeſe geſſerunt protectores. Quantos viros nomino, quanta igitur gloria eſt, ad virtutem eorum egregiis actionibus adpropinquare! Praeclarum facinus, quod efficis, eminenti adeo loco indignum non eſt; rara enim eſt materiarum dignitas, et venerabile omnibus GESNERI Nomen. Vellem vtique, ſi poſſem, vt poſuerim TIBI his ipſis, dum enumero ea, quibus GESNERVM et ſimul rem botanicam demereris, monumentum nullo aeuo interiturum, quod etſi propter eam, quam ego in hunc ſcopum collocaui operam, durare vix valeat, duraturum ſit propter argumenti

 celebri-

celebritatem, Nominisque TVI perennitatem, quam aliis aeque conſpicuis titulis iam adquiſiuiſti. Iniurius eſſem in omnem poſteritatem, quam vltima etiam orbis noſtri alet ſenecta, ſi modo erudita eſt, quod quisque bonus mecum optabit, niſi mihi quoque perſuaderem, facti huius magnitudinem, Nominisque TVI gloriam non intermorituram, quamdiu plantae et vigebunt, et nanciſcentur cupidos contemplatores. Si cernere poſſet ipſe GESNERVS beneficia, quae in labores confers, in quibus tantum deſudauit, quos tantum deperiit, quem non TIBI teſtaretur gratum animum, cum minimorum, prout ſcimus, officiorum maxime memor fuerit. Quos non honores decernerent TIBI, tot viri graues et inclyti, qui maximo flagrarunt deſiderio, quorumque commune votum fuit, vt lucem videre poſſint incomparabiles illi labores, ſi experiri ipſis datum fuiſſet, iſtos non a certo ſolum interitu, quem temporum edax iniuria ſecum ferre ſolet, vindicatos, ſed etiam ſplendido ornatu donatos TE opitulante prodire, qualis non eſſet apud ipſos Nominis TVI cultus et exiſtimatio? Illi certe, cum GESNERVM tanto proſecuti fuerint amore, vt eum temporis ſui Varronem et Plinium vocare potuerint, TE quoque honorificentiſſimo inſignirent titulo. Qualis quantusque et ille exſiſtere potuerit, haberes eum magno TVO merito. Atque ſi bene patrata inſequi debet remuneratio, minor TE manere non poteſt, cum omnem aliam reſpuas; quam vt liberalitatis TVAE, quae ſuperiorem fere non habet, fama, vbicumque terrarum, in quibus bonae florent artes, admiratores eo plures inueniat, quo pauciores noſtris fere temporibus habitura ſit imitatores, et vt Magnum TVVM Nomen ſaeculo noſtro et futuris aetatibus commendatiſſimum perſiſtat, atque cum fama creſcat eundo, poſt fata demum, quae quam longiſſime abeſſe ſinat propitium Numen Summum, inſignius adhuc et celebrius euadat. Diu itaque vt interſis rebus humanis, et ex omni parte beatus eam voluptatem, quae excellentia facta comitatur, ac qua vix maior inuenitur, largiſſime guſtes, eaque et praeſens, et incolumis, et tranquillus fruaris, vnanimi adplauſu mecum TIBI adclamabunt omnes, quibus cultiorum litterarum incrementum modo curae eſt, praeſertim vero qui Naturae magnitudinem in contemplatione creatarum rerum mirari, et iuſto pondere aeſtimare didicerunt. Ego quidem, qui in TE ſuſpiciendo amandoque nemini quidquam concedo, non inter minima reputo, quae grata mihi vmquam acciderunt, commodam hanc occaſionem, quae mihi ſic enata eſt, primus omnium TIBI adplaudendi, et ardentia offerendi vota pro omnimoda et inconcuſſa TVA felicitate atque integritate.

Supereſt, vt reddam TIBI, quae mihi crediditi; TVA enim ſunt, et TIBI vnice debentur. Pro eo quidem, quem in me exſuperanti paene modo et quotidie confers fauore, euocaſti me, vt parenter Optimo GESNERO, et praeſim editioni Operum eius, cedro digniſſimorum. Numquam ſuſcepiſſem graue munus, quod ſibi optare non detrectarunt Viri me celebriores, niſi ſtatim confiſus fuiſſem, TVIS me conſiliis ſuffultum iri, neque ſuſtinuiſſem arduum laborem, probe enim me ſentio, niſi multis adeo modis a TE TVAque propenſione leuatus fuiſſem. Suggeſſiſti mihi vbique fontes, ex quibus largiter haurire potui ſcitu neceſſaria, et in ordinandis rebus plerumque Auctor et ſuaſor Ipſe exſtitiſti. Fateor omnino, quod nullus fere labor, etſi fortaſſis difficilis interdum fuiſſet, moleſtus mihi aut ingratus vmquam adparuerit, et vbi me ad longe maiorem praeclara TVA humanitate non inſtigaſſes, ſi res ita daret. Conceſſiſti denique mihi ea, quae de Hiſtoria fatorum Ipſe in concinnum ordinem pridem iam redegeras, ita vt facillimum fuerit, interſerere iſta, quae nouiſſime reſciueram. Itaque ſi conſidero maxima TVA in GESNERVM merita, adeo pauca ſunt, quae ego feci, vt commemorare ea omnino nolim. Tribuo adeoque et trado TIBI ſoli omnes laudes, quae redvndare poſſent ex iſtis laboribus in me, dum manus illis porrexi; atque ſi forte aliqua praeſtiterim, ſatis honoratum et remuneratum me credo, ſi bonis harum rerum aeſtimatoribus, praeſertim vero TIBI non plane diſplicent. Nihil enim enixius cupio, neque vlterius quidquam adfecto, quam vt TVO non penitus indignus fauore, et TVA in poſterum particeps ſim beneuolentia. Vale etiam atque etiam, et Viue proſperrime in Artis noſtrae ſalutaris et ſcientiae Naturalis inſigne emolumentum.

Dabam Erlangae in Academia Fridericiana ad diem XIII. Iulii. MDCCLI.



J. M. Seligmann ſculps. Norimb.

VITA
CONRADI GESNERI
TIGVRINI
PHILOSOPHI ET MEDICI SVMMI.

Dum inſtituo ſcribere de Vita meritisque Viri, cuius gloria nominis et famae celebritas per integra duo ſaecula conſenuit, non vero ſeneſcendo obſcurata, ſed potius obfirmata eſt, vtique iam praeuideo, quam difficile ſit ſcribere, quod pluribus ſaltem, non dico, omnibus probetur; praecipue cum ſatis conſtet, me rem non moliri nouam, ſed pluries iam ventilatam. Quaelibet fere aetas aliquem tulit, qui Noſtrum elogio ad minimum aliquo veneratus eſt, plures ex inſtituto id egerunt, vt eius memoriam renouarent. Vt quosdam ſolum excitem, primus fuit *Ioſias* SIMLERVS, GESNERI conciuis, et quia publicas docendi partes pro eo ſaepiſſime ſuſcepit, Collega atque amicus, qui publico ſcripto (*a*) cohoneſtauit vitam eius, cuius tam bene actae teſtis, isque exceptione maior, ex parte fuerat. Hunc ſecutus eſt ſaeculo ſequente *Melchior* ADAMVS, Sileſius, et GESNERVM inter principes ſui ſaeculi Medicos numerans, eius memoriam de nouo ſuſcitauit. (*b*) Noſtro demum propemodum aeuo eximius maximaeque doctrinae et eruditionis Vir *Io. Iac.* SCHEVCHZERVS amborum in hunc ſcopum collatam operam ampliare, et ex pluribus GESNERI autographis librisque, quorum particeps factus erat, multa ſupplere non ſolum parauit, ſed et perfecit. (*c*) Merebatur omnino argumenti praeſtantia tanti Viri ſtudium animique occupationem. Miſſum eſt etiam ad calcem perductum exemplar ſcriptum a Cel. Auctore Norimbergam ad philomuſum quendam, ibi degentem, GEISSELIVM, vt imprimeretur: periit autem in via, nec vsquam deprehendi potuit; et cum Auctor eius apographum non retinuiſſet, labor hic in caſſum abiit, cuius vices non parum dolemus. Nullus enim dubito, quin ſubminiſtraſſet plurima lectu digna, ſi lucem vidiſſet, meam certe hanc lucubratiunculam multis numeris ſuperaſſet. (*d*) Ego etenim ſi imitari poſſem eam ſermonis grauitatem, quam in BOERHAAVIO deprehendimus, *Vaillantium* laudante, vel lenem atque gratum orationis fluxum SCHVLTZII, Praeceptoris, cuius cineres adhuc ſuſpicio, conuenientem me gererem functioni in me delatae ex ſingulari fauore Ill. TREWII, cui res publica litteraria, et Medica, et GESNERVS, et ego tantum debent: cum vero, vt credo, neque dictionis neque laudationis

genere

(*a*) Titulus eius eſt: Vita clariſſimi Philoſophi et Medici excellentiſſimi CONRADI GESNERI Tigurini, conſcripta a *IOSIA* SIMLERO. Tiguri excudebat Froſchouerus. 1566. 4to.

(*b*) Vide Vitas Medicorum qui Saeculo ſuperiori, et quod excurrit, claruerunt, congeſtas et ad annum vsque 1620. deductas a *Melchiore* ADAMO. Haidelbergae. Impenſis haeredum Ionae Roſae. 1620. 8vo. a pag. 146. ad pag. 172.

(*c*) Hunc laborem ipſe adnunciat in Biblioth. Scriptor. Hiſt. Nat. p. 94. interitum autem communicauit mecum Ill. TREWIVS.

(*d*) Superſedeo plures nominare, qui de Vita GESNERI aut integra tractatione aut particulatim aliquid ſcripſerunt, qui plures noſſe vult, peruoluat Lexicographos, *Morerianum*, *Zettlerianum* *Ioecherianum Opus*, *Ehrentempel der Gelehrten*, et alios, quos paſſim intus citatos inueniet.

genere excellere poſſim, ſola varietate rerum et veritate factorum delectari conabor, atque in recenſendo annorum ſeriei obtemperabo.

1516. Natus itaque eſt CONRADVS GESNERVS Tiguri, antiquiſſima vrbe, et totius Heluetiae primaria, quae a pluribus retro ſaeculis in hunc vsque diem foecunda magnorum ingeniorum exſtitit mater. Annus tum agebatur *milleſimus quingenteſimus decimus ſextus*, et dies *vigeſimus ſextus Martii* Menſis. (*e*) Patrem nactus erat *Vrſum* GESNERVM, Pellionem, et matrem *Barbaram* FRICCIAM, quibus numeroſa inſuper proles data fuit, quam adſiduo labore, honeſto tamen, vix nutriunt. In eo tamen non defuerunt parentes, quin a teneris ſtatim et cum puer admodum eſſet, ſcholam frequentare iuſſerint; vbi prima litterarum rudimenta poſuit, et linguarum eruditarum, Graecae nempe et Latinae, Grammaticen didicit praeceptoribus *Thoma* PLATTNERO, (*f*) *Theodoro* BIBLIANDRO, *Oſwaldo* MYCONIO, et *Petro* DASYPODIO, qui omnes tunc ſcholae Tigurinae operam praeſtiterunt, poſtea vero propter raram illis temporibus eruditionem ad ampliora munera euocati ſunt. Magna ſtatim in GESNERO emicauit propenſio in ſtudia, quam cum parentes neceſſariis ſubſidiis fulcire non poſſent, ex parte aliqua proſpexit auunculus *Iohannes* FRICCIVS, qui etſi Verbi diuini miniſter eſſet, herbarum tamen perquam ſtudioſus fuit; probe gnarus, Deum ex rerum creatarum cognitione coli quam optime et praedicari poſſe. Hic puerum GESNERVM, patri abductum, domi ſuae ſemper aluit, et quia ingenitum amorem in plantas deprehenderet in illo, ſecum ſaepe rus duxit, hortulumque ſuum colere docuit. Erat hortus is omni herbarum, tunc notarum, genere refertiſſimus, ideo multum vterque et praeceptor et diſcipulus ibi oblectabatur; FRICCIVS nomina herbarum GESNERO dictitabat, atque de earum viribus multum diſſerebat, quas ita bene perſpexerat, vt non ſolum amicorum aegritudines laeuaret congruo vſu, ſed ſuam ſanitatem etiam tueretur, vnde coniuncta ſimul bona victus ratione aetatem ſupra octogeſimum annum integerrimam promouit. Hoc modo GESNERVS iam tunc ita profecit, vt iuſſus aut ex horto aut rure eas, quas didicerat herbas, ſolus adferre potuerit. (*g*) Alium adhuc, et forte mortuo FRICCIO, ſtudiorum promotorem habuit *Iohannem Iacobum* AMMIANVM (*h*), Profeſſorem bonarum litterarum, latinae linguae ac oratoriae artis in ſchola patria, et Scholarcham meritiſſimum, qui adoleſcentem GESNERVM non ſolum humaniter in littteris inſtituit, ſed et ad ſe domum recepit, et per triennium integrum liberaliter fouit gratuito. (*i*) Ideo quoque eum GESNERVS

(*e*) Natalem diem, quem neuter ſupra adductorum Scriptorum animaduertit, ipſe GESNERVS indicat. Epiſt. Lib. 1. p. 22. b. ad *Cratonem*, ita claudit: *Vale, Tiguri 1564. Martii die 26. qui mihi natalis eſt, et aetatis meae 48.*

(*f*) Ita ſcribunt *Simlerus* et *Melch. Adam.* Parua differentia, quae tamen homonyma eſt, eum vocat *Thomam* PLATERVM, HOTTINGERVS in Hiſt. Eccleſ. Heluet. Lib. III. p. 421. vbi non iniucunda refert: PLATERVS nempe a BIBLIANDRO, quo familiarius vſus, in lingua Hebraea inſtructus eſt, et vigeſimo octauo aetatis anno ſub *Rudolpho* COLLINO reſtiarii laborem didicit et praeſtitit, inter laborandum eundo et retrocedendo Plautum legit, atque noctu Homerum Euripidemque traduxit. Baſileam deinde veniens, a magiſtro operarum vnum Bazium (monetae minoris genus) hebdomatim recepit, quam etſi paruam ſummam in candelas impendit, vt per noctem ſtudiis incumbere poſſet; ibidemque demum *Oporino*, claro viro, aliisque octodecim, Grammatices hebraeae fundamenta Ionamque Prophetam quotidie per vnam horam explicauit permittente magiſtro, ad quod negotium linteo, quo ad labores opus erat, cinctus proceſſit, praeſentibus etiam aduenis, neque mutauit tunc conditionem, etſi melior ab exteris oblata fuerit. Hodie non ita graſſantur iuuenes in litteras.

(*g*) Vid. Dedicatio praemiſſa Catalogo plantarum quadrilingui. p. 1. a. et b.

(*h*) Qui denatus eſt anno demum 1573. d. 12. Dec. anno aetatis 73. Vide HOTTINGER. Hiſt. Eccleſ. Lib. III. p. 906.

(*i*) Vide Bibliothecam GESNERI vniuerſalem pag. 179. b. et 180. a. vt et SIMLERI Vitam p. 4. a.

RVS ſemper in honore habuit, atque ipſi poſtea librum dedicauit (*k*) Vſus quoque eſt inſtructione *Rudolphi* COLLINI (*l*), Graecae linguae doctoris, qui tum Quinctiliani oratorias inſtitutiones et Plutarchi Vitas interpretabatur, atque in dialecticis et oratoriis praeceptis, potiſſimum vero Graeca lingua, quam plurimum adamauit, diligenter ſeſe exercuit.

Adhuc pleraque ſatis bene ceſſerant GESNERO ſtudiorum curſum ſtrenue proſequenti, ſubito autem praegnans obſtaculum interiectum eſt morte Patris funeſta. Iis enim temporibus graues controuerſiae de dogmatibus religionis, caerimoniis, vita et moribus Cleri reformandis obortae ſunt, et Heluetii etiam in partes abierunt. (*m*) Quo factum eſt, vt et hi paſſim manus conſererent, et ciuile bellum moueretur. Tigurini huic etiam impliciti erant, et pater GESNERI vna cum fratre ſuo ſtipendia faciebat. Cum itaque anno *milleſimo quingenteſimo trigeſimo primo*, *vndecimo Octobris* 1531.
die alterum praelium committeretur non longe a Tugio in monte vicino, qui a monaſterio in eorum agro ſito Capellanus vocatur, (in quo pertinaciter pugnatur atque ZWINGLIVS (*n*) occumbit,) etiam GESNERI pater, qui ſimul proceſſerat, caeſus eſt. Frater eius *Andreas* GESNERVS triginta ſex vulneribus confoſſus et pro mortuo ſublatus eſt; ſenſim autem refectus vitam incolumitatemque recuperauit, plures poſtea annos vixit, atque in patria Tribunus denique factus eſt. Fertur, eum tot annis muneri iſti praefuiſſe, quot vulnera in conflictu acceperat. (*o*) Ab hoc Viro, patruo Noſtri, deducta eſt admodum conſpicua GESNERORVM Stirps, quae noſtris diebus iterum in duobus ſubſiſtit fratribus, pari merito et domi honoratis, et apud exteros claris.

CONRADVS noſter *decimum quintum* aetatis annum expleuerat, cum triſtem hunc caſum expertus eſſet. Ne autem, prout fere ſolet, calamitas haec ſola eſſet, non minus grauem in corpore paſſus, et aqua inter cutim aliquamdiu adflictus eſt; morbum tamen hunc, ex diuino nutu ad maiora reſeruatus, et iuuenili vigore adiutus, mox ſuperauit. Interim mater vidua, praeter ipſum multos liberos exiguo patrimonio alendos habens, ſtudiorum ſumtus ſuggerere amplius non valuit: ideo cum domi Maecenatem neque inueniret, neque adipiſci poſſe ſperaret, patriam reliquit, et Argentoratum deſcendit, (*p*) inter peregrinos quaeſiturus, quae vlteriores in litteris progreſſus fulcirent. Inuenit etiam *Wolfgangum Fabricium* CAPITONEM, ingenii iudiciique praeclari virum, et triplici Doctoris gradu inſignem, apud quem non ſolum aliquot menſes moratus eſt, illique inſeruiuit, (*q*) ſed et plurimum ab eo profecit in bonis litteris; non autem tam in his omnibus, quam praeſertim in lingua hebraica, cuius rudimenta iam in patria didicerat, cognitionem ſuam non mediocriter (*r*) auxit, et eo magis ſtatim confirmauit ac recoxit, dum alios ſimul inſtrueret, inter quos *Wendelinum* RIHELIVM, typographum ipſe nominat (*s*) Priuata haec occupatio prout maxime vtilis fuit, ita fortaſſis etiam aliquid ad ſuſtentationem vitae contulit. Omnibus his etſi conſpirantibus diu tamen inter exteros vitam agere non valuit. Habuerat equidem modicam admodum pecuniam annuam ex vrbis patriae aerario, et Canonici eiusdem bis promiſerant, in eius commodum ſummam etiam auctum iri, numquam vero promiſſis ſteterant, quin etiam rem denique eo perduxerant, vt tota pecunia ipſi denegaretur peregre abſenti (*t*); neceſſitate itaque preſſus domum rediit. Redux factus publi-

 cum

(*k*) Catalogum nempe plantarum quadrilinguem, de quo infra ſuo loco.

(*l*) Hic eſt *Rudolphus* COLLINVS, de quo verſus ſunt memoriales:

Gundelii natus, Studioſus, Reſtio, Miles,
Mox Tiguri ciuis, deinde Profeſſor eram.

et HOTTINGER. l. c. refert: COLLINVM cum Thoma PLATERO, qui apud eum ſeruitia praeſtitit, nocte quadam modicam coenam ſumſiſſe, et cum praeter aquam puram nihil pro potu haberent, exclamaſſe: Platere! Quomodo, incipit Pindarus? PLATERO reſpondenti: Ἄριστον μὲν τὸ ὕδωρ. COLLINVM regeſſiſſe: *Agedum, bibamus aquam cum vinum deſit.* Pauca ſufficiunt illi, qui pauca deſiderat.

(*m*) Vide SIMLERI De Republica Heluetiorum Libros II. Edit. Elzeuir. p. 227.

(*n*) Vide Vitam ZWINGLII, apud Melchior. ADAM. Vit. German. Theologor. p. 37.

(*o*) Communicauit hoc Cl. SVLZERVS.

(*p*) Vid. GESN. Biblioth. vniuerſal. pag. 180. a. atque SIMLER. Vit. p. 4. b.

(*q*) Ita ſe ipſum exprimit GESNERVS in Biblioth. vniuerſ. l. c. et SIMLERVS cum *Melch.* ADAMO ſequuntur. TEISSIER vero Eloges des Hommes Savans Tom. II. p. 197 multo durius id enunciat: „ Il fut obligé de vendre ſa liberté a Wolf„ gang Capito.

(*r*) SIMLERVS *mediocriter*: ſolum ponit, ad imitationem forte GESNERI, quando de ſe ipſo loquitur. MORERI Grand Diction. Hiſtorique Sub tit. GESNER. dicit: „ Il fit des grands „ progrès ſous ce mâitre.

(*s*) „ Wendelinus Rihelius felicis memoriae, Ty„ pographus Argentinenſis, adoleſcenti mihi fa„ miliaris fuit, et in Graecae linguae rudimentis „ a me aliquando inſtitutus eſt.„ Verba ſunt eius in litteris ad *Leonh.* FVCHSIVM. Epiſt. Lib. III. p. 138. a.

(*t*) Teſte Cl. SVLZERO ita ſcribit noſter ad *Leonem* IVDAE. „ Praepoſitus dicebat, non eſſe „ Iuris Canonici, vt ſtipendium ſtudiorum gra„ tia

cum ſtipendium recuperauit, et in Galliam abire iuſſus eſt. Priſtinus patronus *Io. Iac.* AMMANNVS et tunc auctor ſuaſorque exſtitit, vt Medicam artem amplecteretur, quam inter caeteras ingenio ſuo aptiorem eſſe coniiciebat. (*u*) Huius conſilium quam maxime probans, adſciuit itineris et ſtudiorum ſocium *Iohannem* FRISIVM, quem ab hoc tempore in coniunctiſſimam amicitiam recepit, et fraterno plane amore proſecu-
1533. tus (*w*) eſt. Ad Biturigas ergo profectus, totum ſe equidem in diſcenda ſalutari arte exhibere voluit, idem tamen, quod antea obſtiterat, de nouo remoram ex parte quadam fecit. Nam pecuniae ſumma, quam magiſtratus numerauit, ſumtibus in libera ſtudia faciendis iterum non reſpondit, hinc paedagogum agere coactus eſt, et iuuentutem inſtruxit. Quod negotium, etſi eum toto die occuparet, et nullum fere tempus vacuum relinqueret, non tamen illibenter geſſit, quid quod multum inde ac docendo fructum reportaſſe ſibi viſus eſt; cum enim ſe adhuc rudem crederet aliarum litterarum, quibus in arte aut diſciplina quacumque promoturo opus eſt, ex eo, quod Latinis aut Graecis auctoribus legendis continuo adſtrictus eſſet, quamlibet etiam occaſionem apprehendit, vt eos euolueret, qui de Medicinae rationalis partibus quibuscumque agunt, tum ſitientiſſime etiam illos, qui plantarum deſcriptiones et vires exponunt. (*x*) Difficillimum id vitae genus ad anni vnius ſpatium continuauit, quo ex-
1534. antlato et cum vix aetatis annum *decimum octauum* attigiſſet, Lutetiam Pariſiorum acceſſit, quae magna doctiſſimorum hominum copia adfluebat, vt liberius litteris operam nauaret. Vrbs haec ampliſſimis inſtructiſſimisque Bibliothecis refertiſſima GESNERO, amoeniora ſtudia magis, ſeueriora vero minus curanti, largiſſimam ſubminiſtrare potuit occaſionem paſcendi vaſtum, et omnia complecti tentans ingenium; magna igitur animi alacritate omne fere Auctorum genus legendo praelibauit, Graecos, Latinos, Poetas, Oratores, Hiſtoricos, Medicos, Philologos, quandoque etiam Dialecticos percurrit; cum autem ſcopo cuidam primario non inhaereret, ſed ſine certo fine omnes quaſi peruolitaret; et multa ſubinde tranſiliens ingenium ſola lectionis viciſſitudine varietateque demulcere intenderet, factum etiam eſt, vt eos fructus, quos ſperauerat, non percepiſſe ipſe credat (*y*), et ſibi ipſi ſuccenſeat, fereque neſciat, num inopi an negligenti animo id tribuere debeat. Serio igitur etiam quemcumque de tali ſtudendi ratione dehortatur, et poſthac inter amicos ea de re conqueſtus eſt. Fuerunt etiam aliqui, qui fluctuantem eius animum accuſauerunt et criminati ſunt, neque negari poteſt, hanc ipſam rem plurimis aliis aut imbecillioribus ingeniis irreparabile, impedimentum ad ſolidam eruditionem conſequendam, vel ineuitabile diſturbium parere potuiſſe vel debuiſſe, tantum autem abeſt, vt ipſi nocuerit, vt potius contrarios omnino effectus produxerit in animo GESNERI ad excellentia quaeuis nato, et dici fere debeat, inordinatam iſtam diſcendi methodum ipſi in ornamentum inſignius ceſſiſſe. Fortaſſis ſcripta, quae annis ſequentibus mirabili cum facilitate in lucem emiſit, tanta non ſcaterent rerum copia, lectionis eruditionisque varietate, et iudicii maturitate, quae apud alios ſui aeui fruſtra quaeres, niſi haec praeceſſiſſent. (*z*) Ita comparata interdum felicium ingeniorum eſt indoles, vt varietate rerum, qua alia obruerentur, magis alliciantur ad continuanda ſtudia, et excitentur multitudine comprehendendorum: atque eo altius emergant, quo profundius ſeſe inſinuant, et implicant difficultatibus; cum pertaeſa vniformitatis et nexus diſcendorum forte deſtitiſſent, ſi ſeruili quodam modo ſtrictiori ſeriei inhaeſiſſent.

Interea, dum Lutetiae commoratur Noſter, multum delectatus eſt conſortio *Iohannis* STEIGERI, et familiarem conſuetudinem cum eo iniit, viciſſim etiam humaniter et benigne ab eodem tractatus, et abſque dubio etiam multum leuatus eſt in quotidianis neceſſitudinibus. Hinc cum STEIGERVS poſtmodum Reipublicae Bernenſis et Prouinciae Sabaudicae Quaeſtor factus eſſet, a Noſtro dedicatione aliqua condecoratus eſt (*a*) in grati et memoris animi teſtificationem. Poſtquam minimum vltra annum in Gallia haeſiſſet, neque ſentiret, ex longiore mora vſum foecundiorem emerſurum

„ tia abeuntem ſequeretur. Haeccine vero Canonicorum iura ſunt, vt quis ſapere prohibeatur? O mores! O leges! O iura Canonicorum inſana! O quantopere indigeremus Zvvinglio, qui haec nobis corrigeret iura!

(*u*) Vide Dedicationem Catalogo plantarum quadrilingui praemiſſam p. 1. a.

(*w*) Ita filium eius paterno amore amplexus quoque eſt. Vide ampla huius rei teſtimonia in litteris ad eum Epiſt. Lib. III. p. 104. a. et b.

(*x*) Vide Dedicationem Catalogo plantarum quadrilingui praemiſſam p. 1. a. et Bibliothec. vniuerſal. pag. 180. a.

(*y*) Biblioth. vniuerſal. pag. 180. a. vbi de hac re prolixe differit, et monita profert notatu digniſſima.

(*z*) Meretur adiungi effatum MORERII Grand Diction. Hiſtor. Tom. IV. Tit. GESN. p. 279. „ Il ſortit enfin heureuſement du labirynthe de ſes vaſtes lectures, et ſe pouſſa ſi fort dans les ſciences, que les ſavants de ſon tems ne firent aucune difficulté de l'appeller Litterarum Miraculum.

(*a*) Dedicauit ipſi Appendicem ad Hiſtoriam Quadrupedum viuiparorum et ouiparorum Tiguri. 1554. Fol. apud Froſchouernm.

ſurum eſſe, ſarcinas collegit et Argentoratum repetiit. Num recta via, an per ambages id factum fuerit, omnino incertum eſt. (b) Magnam ſpem conceperat, dum amicos ibi reliquerat viros doctos, et ſtudioſorum hominum magna illic conueniret copia, fore, vt munus aliquod vel locum publice aut priuatim docendi nanciſceretur. Non defuiſſet absque dubio homini, multiplici doctrina praedito, commoda vitae ſtatio; a Senatu vero ſcholaſtico ſtatim domum reuocatus, non valde diu moratur, ſed mandato obediens reuertitur. (c) Paullo poſtquam in patriam aduenit, intempeſtiuo, vt fertur, conſilio (d) vxorem duxit, exacto nondum penitus *vigeſimo* aetatis anno. Cum hac coniunctus vixit vsque ad obitum, illamque poſt ſe reliquit, etſi pluribus a longo tempore aegritudinibus preſſa, ſpaſmis fere quotidianis, varicibus, vlceribusque inde natis vexata fuerit: (e) et quod maximum, moroſior, impatiens atque in victu inobediens ſemper eſſet, neque medicamina, neque manum chirurgicam pro auferendo malo ſuſtinere voluerit. (f) Acceſſit ad hoc, vt ſimul in ſcholae publicae angulum detruderetur vir nobiliore et meliore ſorte digniſſimus, ſalario inſtructus ita exiguo, vt pro maxime neceſſariis ne quidem ſufficeret. Multiplex haec domeſtica calamitas, et labor herculeus, quem rudia praeſertim ingenia in primis ſcientiarum lineis initianda poſcunt, quemcumque alium depreſſiſſet, GESNERVS vero, magno infelicitatis humanae patrocinio, dura nempe neceſſitate, vitam indigno labore terendi, neque territus, neque ita conſtrictus eſt, quo minus, etiamſi bona diei parte pueros Grammatices rudimenta doceret, omne tempus a laboribus vacuum in lectionem ſcriptorum medicorum impenderit non ſolum, ſed et arti ſtatim profuerit, introducendo in officinas pharmaceuticas Syrupum de roſis perſicis ſiue laxatiuum vt vocabat, in patria hactenus incognitum. (g) Ita naturae bonitas contra quaeuis obiecta impedimenta non modo nititur, ſed eluctatur quoque per aerumnas in ingeniis ſublimioribus, praeſertim ſi ad aliquod ſtudiorum genus vel connato quodam inſtinctu rapiuntur, vel primum aliquem impetum a iuuentute ſtatim altius receperunt. Adeo multum eſt a teneris adſueſcere. Noſter quouis modo tentans, quomodo moleſta hac conditione ſeſe extricare poſſet, et Senatus vna cum Directoribus Eccleſiae impigram hanc in rem Medicam demum ponderans inclinationem, exemit eum ſchola, et continuato, quo hucusque fruitus erat, ſtipendio, Baſileam ire iuſſit, vt ibidem ampliorem collocaret operam in ſtudium Medicum. Lubentiſſime mandato obſecundauit, et ſcopo, ob quem miſſus erat, decenti animi attentione et maſcule ſatis fecit; cum vero iamdudum cognouiſſet, theſaurum ſolidiſſimae doctrinae et experientiae in Medicorum Graecorum ſcriptis contineri, atque plurima in re Medica non rite intelligi poſſe absque cognitione huius linguae, diligentius ideo excoluit (h) profectus in Graecis litteris, quos olim iam adeptus erat, non paruos. Inſignem ſtatim ex collata induſtria vſum reportauit. Nam cum pecuniae ſumma, quam Proceres, vt diximus, numerabant, tanta non eſſet, quanta ad vitam et curſum ſtudiorum libere continuandum requireretur, atque inſuper ſumtus rei domeſticae augerentur, quia vxorem duxerat, non exiguam ſuſtentationis partem habuit ex negotio, in eum delato circa annum *milleſimum quingenteſimum trigeſimum ſeptimum*, vt Lexicon Graeco-Latinum, a diuerſis miſere conſarcinatum, emacularet, quod non ſolum dexterrime praeſtitit, ſed auctaria etiam pleniſſima adiecit ex *Phauorini Camertis* Lexico Graeco, quod tunc primum publicatum erat; haecque cuncta vt ſumma fide et diligentia, ita labore maximo exſecutus eſt, (i) adeo, vt eo ipſo anno liber exire potuerit. Aliquas tamen viciſſitudines primum hoc induſtriae GESNERIANAE ſpecimen ingratas habuit; typographus enim partem ſolum acceſſionum inſcio Auctore addidit, reliquas pro noua forte editione ſeruans: quae vero mortuo paullo poſt typographo omnino perierunt, ita, vt Auctor ne exemplar quidem ſuum recuperare potuerit.

1536.

1537.

B

(b) Cl. SVLZERVS mentionem iniicit, memorari in MStis GESNERI, quod iter inſtituerit a Moguntia, Coloniam Agripinam, Antvverpiam, Dordracum, Vltraiectum, Amſtelaedamum, Emdam, Groningam, Zutphaniam, Emericam verſus, et poſtea Moguntiam repetierit. Cum autem in omnibus, quae perluſtraui hucusque, ne veſtigium quidem horum omnium occurrat, certi quid adfirmare non audeo.

(c) Vide SIMLERI Vitam p. 5. a.

(d) Vide Bibliothec. vniuerſal. p. 180. a. et SIMLER, Vitam p. 5. a.

(e) Vide Epiſt. ad *Io.* BAVHINVM. adnexas Libello *Caſp.* BAVHINI De plantis a diuis Sanctis nomen habentibus p. 96.

(f) Vide litteras ad *Coſm.* HOLTZACHIVM. Epiſt. Lib. III. p. 85. a. et b.

(g) Haec Eius verba ſunt in litteris ad *Coſm* HOLTZACHIVM ſcriptis 1563. Aprilis 15. Epiſt. Lib. III. p. 86. a. „ Syrupi de roſis perſicis nomine „intelligo illum, quem Tu laxatiuum vocas ex „ multiplici roſarum infuſione: quem *ego primus ante annos viginti quinque e Gallia rediens*, apud nos parandum curaui, et de Roſis perſicis appellaui: quoniam ſic alibi etiam „ ab aliis vocari audieram.

(h) Vide SIMLERI Vit. p. 5. b.

(i) Ita ipſe GESNERVS in Epiſt. de libris a ſe editis, SIMLERI Vitae connexa p. 20. b. n. 1. de hoc labore loquitur. TEISSIER. l. c. p. 200. aliter traduxit: „ Ie fus contraint de travailler „ à l'augmentation du Dictionaire Grec et Latin de Phavorin Camers.

tuerit. Deinde virorum quorundam, qui ſibi videbantur eruditi, inuidia multa adhuc deleta et improbata ſunt, quae illi tamquam ſuperflua reſciderunt ideo, quia ſuſpicati ſunt eadem a GESNERO profecta eſſe, cum tamen *Phauorini*, *Heſychii*, *Suidae* aliorumque Graecorum eſſent. (*k*) Ita iniquitas ſibi ipſi maxime nocet, et dum alios contemnit, propria turpitudine confunditur. Reparauit ex vna parte detrimentum ſequentibus annis, quibus idem liber ter aut quater de nouo impreſſus, et curarum poſteriorum ope inſigniter auctus eſt, atque variis vtilibus ornatus; ex altera parte inuidia gloriae pediſequa non obſtitit, quo minus hoc labore magnam ſibi pareret exiſtimationem. Cum itaque annum modo vnicum Baſileae manſiſſet, atque tum ampliſſimus Reipublicae Bernenſis Senatus Lauſannae ad lacum Lemanum ſcholam conderet, et ex reditibus eccleſiaſticis aliisque, liberalia Profeſſoribus ſtipendia conſtitueret, factum eſt, vt in Noſtrum Conditio, Graecas litteras docendi deuoluta fuerit. (*l*) Statim illuc ſe conferens, honorificum munus ſtrenue adorſus eſt, atque mox partim eruditione conciliauit, partim humanitate deuinxit ſibi viros doctrina aeque celebres, *Petrum* VIRETVM, facundia clarum, *Beatum* COMITEM, Miniſtros Eccleſiae, HIMBERTVM, Hebraica docentem et *Iohannem* RIBITTVM, qui praecipue ab eo adamatus, (*m*) eum in munere poſtea ſecutus atque Graeca profeſſus eſt. Prout autem ſemper docendo diſcimus, dummodo ipſi, doctrinis proponendis ſufficimus, ita etiam GESNERVS, Graece iam impenſe doctus, quotidiana exercitatione indies creuit cognitione et ſoliditate, et officio praefuit magna cum facilitate. Otii ſic plus habens, redituſque ampliores, atque mentem quam maxime procliuem adhuc ſentiens in rem medicam, et herbarum cauſa frequenter exſpatiatus eſt, et domeſticis ſtudiis non ſolum incubuit lectioni priſcorum medicorum, ſed etiam libellos aliquos eiusdem argumenti tam ipſe compoſuit, quam e Graeco transtulit, ac in epitomen redegit, quos infra recenſebimus. (*n*) In his occupationibus cum triennium transegiſſet, et omnibus quidem aliis quam maxime, ſibi vero ſuoque feruori nondum penitus ſatis feciſſet, et patroni ſtudiorum inſuper, qui ſtipendiis Tiguri praeerant, vltro currentem, inſtigaſſent (*o*) muneri valedixit, quod niſi haec ſubſtitiſſent, numquam vacuum feciſſet. (*p*) Lau-
1540. et ſannam aut exeunte anno *milleſimo quingenteſimo quadrageſimo*, aut incipiente *quadrage-*
1541. *ſimo primo* reliquit, et Montempeſſulanum acceſſit, hauſturus ex conſortio et ore doctorum virorum, quod ſibi adhuc deeſſe reperiret, aut quod aditum ad intimiora ſcientiae penetralia ipſi parare poſſet. Maluit itaque amore ſtudiorum captus, docentis praerogatiuas ponere, et in diſcentium numerum referri, quam relinquere commodam occaſionem, ſeſe vlterius perficiendi. Cum autem non immerito ſperaret, plus doctrinae ex domeſtica conſuetudine, quam ex publicis lectionibus ſibi acceſſurum, neque reperiret vllum ex doctioribus Medicis, qui eum domi hoſpitem ſuſciperet, non valde diu ibi manſit. Interim tamen, quantum potuit, in Anatomicis profecit, et in ſtirpium Hiſtoria peritior factus eſt: (*q*) ſiquidem herbas complures, ibi obuias, legeret anno *milleſimo quin-*
1541. *genteſimo quadrageſimo primo*, (*r*) et praeſertim maritimarum marinarumque cognitionem ſibi adquireret, in mediterranei maris littora excurrens. (*s*) Commendauit etiam ſeſe RONDELETIO atque IOVBERTO Profeſſoribus, quorum vterque ſequentibus annis, hic herbis transmiſſis, ille in condenda animalium hiſtoria, vtilis ipſi fuit. Non parum ditior factus ſcientia, in Germaniam redire apud ſe conſtituit, et comitem itineris nanciſcitur *Leonhardum* RAVWOLFFIVM, (*t*) qui iam tum rei herbariae admodum peritus, circa Montempeſſulanum, et montes et valles et campos perreptando, ſexcenta ſimplicium genera collegerat, et ad vſum medicum exportauerat, (*u*) ac poſtmodum itineribus ſuis adhuc magis inclaruit. Helvetiam ingrediens Baſileae iterum ſubſtitit, ibique non ſolum clariſſimos vrbis Medicos audiuit, inter quos *Albanum* TORINVM et *Sebaſtianum* SINGELERVM praecipue coluit, ſed etiam plantarum gratia per campos monteſque vicinos, atque ad Rheni ripas diuagatus eſt, (*w*) ſic vndique ſpolia reportauit ampla et rara, in quorum contempla-

(*k*) Vide Bibliothec. vniuerſal. p. 180. a. et b.

(*l*) Vid. Biblioth. vniuerſ. p. 180. b. et SIML. Vit. p. 5. b.

(*m*) Laudat hunc in Praef. ad Sentent. Monachor. „ RIBITTVS, inquit, homo doctus, et amicitia „ coniunctus mihi, qui me rogante et impellen- „ te huius laboris mihi quaſi Theſeus acceſſit, etc.

(*n*) Vnus horum iam anno 1540. prodiit ſub titulo: Medicaminum ſucciduorum (ἀντιβαλλόμενα Graeci vocant) Galeno adſcriptorum Tabula, latinitate donata, adiectis Graecis multo caſtigatioribus, et annotationibus in quosdam locos. Eadem ex libris Dioſcoridis, Aetii, et Pauli Aeginetae excerpta etc. excuſa Baſileae in 8vo cum Actuarii opere de compoſitione medicamentorum apud Rob. Winter 1540. Vide GESN. Epiſt. de libris a ſe editis p. 21. a. n. 2.

(*o*) Vide Bibliothec. vniuerſal. p. 180. b.

(*p*) In praefatione ad STOBAEVM ita loquitur: „ Lauſannae ſtipendio liberaliter conductus, „ Graecas litteras illic per triennium pro virili „ mea docui; vbi forſan etiamnum agerem, niſi „ certae rationes in patriam me reuocaſſent.

(*q*) Vide Bibliothec. vniuerſal. pag. 180. b.

(*r*) Id ipſe ſcriptum reliquit in Codicis Kentmanniani frontiſpicio.

(*s*) Vide Librum de rerum foſſilium lapidum et gemmarum figuris. p. 136. a.

(*t*) Vide Epiſt. Lib. II. p. 60. b.

(*u*) Vide Melch. ADAM. Vit. Germ. Med. p. 246.

(*w*) Vide SIMLER Vit. p. 6. b. et p. 14. b.

templatione et oculos ſatiare et animum paſcere potuit. Poſt tot egregie exantlatos labores, in eadem vrbe, in qua olim bonarum artium elementa hauſerat adoleſcens, nunc iuuenis medendi methodum a praeceptoribus et tot alia praeclara auide didicerat, profectuum ſuorum ſane inſignium, honeſtum teſtimonium publicum adeptus eſt: (*x*) dignus enim habitus eſt a Medicorum ordine, vt ipſi Doctoris medici Gradus conferretur. Honos hic eo eminentior fuit, cum iſto tempore non quibusuis Medicinae operam dantibus, ſed iis ſolum donaretur, qui aut ſumtus maiores ferre, aut maxime qui eruditione et doctrina reliquos antecellere poſſent. Stetit etiam more recepto in palaeſtra, exacto anno aetatis circiter *vigeſimo quinto*, et Theſes aliquot publico cum plauſu ventilauit. (*y*)

His feliciter peractis, reuertitur in patriam Noſter, non aureis neque argenteis theſauris onuſtus, ſed potius multiiugam eruditionem ſecum gerens, atque honorifico titulo, quem medica parat ſapientia, magno ſuo merito ornatus. Recepit eum grata nunc demum patria, atque non ſolum ſtatim permiſit, vt Medicinam libere faceret, ſed etiam ſtipendio publico muniuit, vt Philoſophiam pro dexteritate, qua pollebat, praelegeret: (z) cui penſo per ſequentes viginti quatuor annos continuos vacauit. Numquam otioſus cum fuiſſet, facillimum ipſi fuit, ex locupletiſſimo promtuario, quod impigris adeo laboribus hucusque collegerat, varia ſimul euocare. Publicauit itaque ſtatim, vt videtur, Enchiridon hiſtoriae plantarum, operoſe congeſtis iis, quae apud veteres, Graecos praeſertim, circa facultates deprehenduntur, et quae in vſum eorum, qui plantarum gratia ruſticantur, Lauſannae degens iam comportauerat. (*a*) Paratos ibidem libros edidit, rem medicamentariam et Medicam concernentes, (*b*) et anno ſequente *milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſecundo*, ſimilis fere argumenti alios. (*c*) Ampliorem in re herbaria cognitionem vero demonſtrauit in Catalogo plantarum quadrilingui, (*d*) in quo non pauca, tunc minus vel plane non nota tradidit, Toram Aconitum veterum eſſe primus ſtatuit, et in Gallicis nominibus RVELLIO, in Germanicis vero tam FVCHSII quam TRAGI induſtria frequentiſſime vſus eſt. Ad finem adpoſuit doctam omnino commendationem de certitudine medendi facultatis, et quod controuerſiis Medicorum aliquot, diſceptantium de ſtirpium nominibus, aliorumque ſimplicium Medicamentorum moueri non oporteat; in qua ſimul *Alexandri Aphrodiſaei* verba quaedam ſupplet. (*e*) Ipſo hoc libro ſatis commonſtrauit, quid ſucceſſu temporis a Viro exſpectari poſſet, qui ſtatim in principio generalia meditatus eſſet. Conflauerat enim hoc ſpecimen, cum Lauſannae, et prout ipſe dicit, (*f*) inter Latobrigos (*g*) moraretur: vbi perlectis ſimul Auctoribus, et memoriae infixis omnibus fere hiſtoriis

B 2

(*x*) Vide Dedicationem ad Tomum II. Libri Nomenclatoris Aquatilium animantium etc. *ad finem.*

(*y*) Liceat inſerere tenorem Theſium ipſarum, quas Cel. GESNERVS Cl. SVLZERO communicauit, a quo ad nos peruenerunt.

CONRADVS GESNERVS

Die Saturni proximo, hora octaua - - - -
In Aula Medicorum Baſileenſium, ſtudiorum ſuorum ſpecimen exhibiturus, ſub medicae Facultatis Decano in haec Problemata diſputabit.

Problema I. An cerebrum ſit principium ſenſus et motus, an Cor?
II. An qui creſcunt, plurimum habeant calidi innati?
III. An qualitates formae ſint elementorum?

Concluſio I^mi.^ Senſus et motus vniuerſo corpori a neruis influit. Nerui a cerebro oriuntur. Contra Ariſtotelis et Aretigenis ſententiam.
II^di.^ Vt vita, ſic incrementum, in calido et humido conſiſtit. Neutrum enim horum ſine altero datur.
III^tii.^ Qualitates alteratrices elementorum partes ſubſtantiales atque formae ſunt. Caliditas Ignis, frigiditas Aquae, humiditas Aeris, ſiccitas Terrae.

Corollarium I. Cor arteriarum ſolum, non etiam venarum eſſe principium.
II. Calidum multis modis accipi.
III. Qualitates alteratrices non plures eſſe quatuor, itaque nec plura elementari poſſe.

(z) Vide Bibliothec. vniuerſal. p. 180. b. et SIMLER. Vit. p. 6. b.

(*a*) Sub titulo: Enchiridion hiſtoriae plantarum, ordine alphabetico, ex Dioſcoride ſumtis deſcriptionibus, et multis ex Theophraſto, Plinio et recentioribus Graecis; facultatibus autem ex Paulo Aegineta etc. Baſil. 1541. 8vo. imprim. Rob. Winter. et eod. anno Melch. Seſſa. Venetiis in 16mo. Plura deprehendi poſſunt de hoc libro in Biblioth. vniuerſal. p. 181. a.

(*b*) Nempe. Compendium ex Actuarii libris de differentiis vrinarum etc. Vniuerſalem doctrinam Galeni de compoſitione pharmacorum etc. Symbola Galeni experimentorum. Vno volumine coniunxit Froſchouerus Tiguri 1541. 8vo. Vide Epiſt. GESN. de libris a ſe editis. p. 21. b. n. 5. 6. 7. Bibliothec. vniuerſ. p. 181. a.

(*c*) Apparatus et delectus ſimplicium medicamentorum ex Dioſcoride et Meſuaeo, alphabeti ordine; item Vniuerſalia P. Aeginetae praecepta De medicamentorum ſecundum genera compoſitione, et eiusdem argumenti etc. Galeni praecepta etc. Lugduni. Frellonii fratres. 1542. 8vo. et Venetiis Fratres de Nicolinis in 16mo. Iudicium de hoc labore proprium Vide in Bibliothec. vniuerſal. p. 181. a.

(*d*) Cui titulus eſt: Catalogus plantarum Latine, Graece, Germanice et Gallice etc. adiectae ſunt etiam herbarum nomenclaturae variarum gentium, Dioſcoridi adſcriptae. Authore *Conr.* GESNERO. Tiguri apud Froſchouerum. 1542. 4to.

(*e*) Vide ibid. p. 1. a. Commentationem ipſam compoſuit Tiguri menſe Iulio 1542.

(*f*) In Dedicatione ad Catalogum ipſum p. 2. a.

(*g*) Quam gentem GESNERVS intellexerit hoc nomine dubium aliquod mouere poteſt: Latobrigos

ſtoriis plantarum, eo tempore euulgatis, abhinc retro quatuor annos nouas plantas deprehendendi cauſſa, deprehenſasque ſtudioſis communicandi, alias ſolus, alias in doctorum virorum comitatu, coepit exire in confines et magis diſſitos diuerſarum nationum agros, aeque ac montes plurimos altiſſimosque adſcendere; inter quae itinera Sabaudiam etiam peragrauit, et prout de quibusuis rebus occurrentibus ſollicitus et curioſus fuit, iam tum in monte quodam editiſſimo eius prouinciae, in regione Bodiontiorum retro Cluſam oppidum ſito, lacum profundiſſimum miratus eſt. (*b*) Ex
1542. et his omnibus materiam quoque contulit, vt anno *milleſimo quingenteſimo quadrageſimo*
1543. *tertio* libellum de lacte et operibus lactariis, atque de montium admiratione publicare potuerit. Quemadmodum autem pluribus rebus ſimul conficiendis par erat, et hoc et praecedente anno, partim vt demandato munere dignum ſe gereret, partim publicam vtilitatem pro virili parte promoueret, edidit quaedam ad philoſophiam ſpectantia, plura ad Graecarum litterarum incrementum (*i*) tendentia, inter quae *Iobannis* STOBAEI Collectanea (*k*) cum adiunctis primas tenent, ſiquidem hoc modo plus quam ducentorum et triginta vel tercentorum ſcriptorum priſcorum, fragmenta et ſententiae memorabiles foecundiorem vſum nanciſci poterant, cum latinam verſionem omnibus adiiceret. Aliqua etiam e Graeco idiomate in latinum vertit, quae tunc lucem non viderunt, et de quibus, vbi res dabit, pauca adhuc infra monebimus. Ita ſemel excitatus, feruorem non depoſuit, ſed ſequente mox anno *milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quarto*, non ſolum *Heraclidis* Pontici Allegorias in Homeri fabulas de diis, ſermonemque *Dionis* de Homero latinitate donauit, (*l*) ſed etiam latinae linguae commodo ſtrictius inuigilauit, dum *Martialis* Poetae Epigrammata, ab omni verborum obſcoenitate purgata, in ſcholarum vſum ordinaret, adiectis dialogis, in quibus de mutilationis inſtituto diſputat; (*m*) atque deinde *Ambr. Calepini* Lexicon latinum innumeris locis caſtigaret, et ex poſtrema eius editione Veneta, quae ſupra quatuor millia vocum ex probatiſſimis Auctoribus ſuppleuiſſe gloriabatur, omnia in ſuum exemplar transferret. (*n*) His non interrupta ſerie confectis, animum ex varietate obiectorum exhilarare ſatius duxit, (*o*) et circa illud tempus (*p*) aut certe anno inſequente *milleſimo*
1545. *quingenteſimo quadrageſimo quinto* Venetias profectus eſt. Ibi non in otio et quiete relaxationem quaeſiuit; probe enim memor, quod in explicatione atque inquiſitione naturae inſatiabilis lateat voluptas, in qua vacui negotiis honeſte et liberaliter poſſumus viuere, in itinere ſtudioſe plantas obuiam factas obſeruauit, et in ipſa vrbe maris mediterranei piſces explorauit deſcripſit et depingi curauit; (*q*) adeo vt ea res, in qua alii vitam conſumunt, ipſi pro oblectamento fuerit et incitamento ad ſeueriora redauſpicanda. Conſuetudinem etiam virorum doctorum, quibus numquam caruit vrbs haec ſplendidiſſima, ambiuit ita feliciter, vt ex amicitia *Arnoldi Arlenii Peraxyli* atque ex Bibliotheca D. *Diegi Hurtadi*

gos enim Rheno propiores ponunt, et ditioni Scaphuſinorum maximam partem ſubiectos SIMLER. De Republ. Heluet. p. 361. et alii. CLVVERIVS vero Latobrigos et Latobrigam vrbem nominat ad Alpes Penninas et Rhodanum fluuium, quae forte Briga SIMLER. Deſcr. Valeſ. p. 34. et 35. ſi eſt, Lauſannae propior quidem exſiſtit, ſatis tamen adhuc diſtat.

(*b*) Vide Deſcript. Mont. Fracti. p. 53. et SIMLER. Vit. p. 14. b.

(*i*) De Syllogismis Compendium Auctoris incerti, e Graeco translatum, excuſum Baſileae. 8vo. 1542. apud Io. Oporinum. cum *Ioach. Perionii* lucubrationibus in Organum Ariſtotelis. *item:* Moralis interpretatio Vlyſſis Homerici, Auctoris incerti. Commentatio *Porphyrii Philoſophi* de Nympharum antro etc. Apologiae quaedam pro Homero et arte poetica, fabularumque aliquot narrationes ex Commentariis *Procli Lycii Diadochi* Philoſophi Platonici in libros Platonis de republica etc. Omnia e Graeco ſermone conuerſa per *Conr.* GESNER. Tiguri Froſchouer. 1542. 8vo. Commodo hoc loco etiam nunc nomino *Michaelis Ephesii* Scholia in Ariſtotelis libellos, de iuuentute, ſenectute, vita et morte. etc. quae in Epiſt. de libris a ſe editis p. 22. b. n. 19. Baſileae 1541. impreſſa dicit in Bibliothec. vniuerſal. p. 181. b. et Epitome Bibliothec. p. 36. a. absque anni mentione media inter iam recenſitos Tractatus locat.

(*k*) Titulus hic eſt: *Io. Stobaei* Sententiae, ex theſauris Graecorum delectae, quarum auctores circiter ducentos et quinquaginta citat: in ſermones ſiue locos communes digeſtae a *Conr.* GESNERO etc. in Latinum ſermonem traductae. acceſſerunt opuſcula tria, Cyri Theodori dialogus etc. et Opuſcula duo Platoni adſcripta Tiguri. Froſchouerus. 1543. Folio auctae 1550. et tertio 1559. Vide Epiſt. de libris a ſe editis. p. 22. a. n. 17. Noſtra editio, qua vſi ſumus, eſt Baſileae a Io. Oporino impreſſa 1549, menſe Auguſto finita.

(*l*) Prodierunt Baſil. apud Io. Oporinum adiectis iisdem Graecis, et aliis quibusdam raris et elegantibus opuſculis anno 1544. in 8vo.

(*m*) Vide Bibliothec. Vniuerſal. p. 182. a. et b. vbi ampliora de his legi poſſunt.

(*n*) TEISSIER Elog. des Hom. Savans. p. 208. ita fere enunciat, ac ſi GESNERVS de ſuis tantum addiderit; dicens: „ GESNER a auſſi ajouté „ plus que quatre mille mots au Dictionaire de „ Calepin.

(*o*) Vide Praefat. ad editionem alteram *Stobaei.*

(*p*) Iter Venetias ſuſceptum ab eo eſſe, dum *Stobaeus* adhuc ſub praelo ſudaret, patet ex Bibliothec. vniuerſal. p. 182. a. vbi ita loquitur de eodem: „ Superſunt tamen adhuc non pauca, quae „ calci voluminis adiicienda *me abſente in Italia* „ typographorum incuria omiſit.

(*q*) Vide SIMLER. Vit. p. 14. b.

tadi a MENDOZZA, (*r*) Oratoris tunc apud Venetos Caeſarei, nactus fuerit Codices varios Graecos, quos poſt reditum in patriam aut publici iuris fecit primus, aut editos de nouo ad incudem reuocauit et auxit. (*s*) Hunc in modum qui tempora diuidit, illi horae fluunt, quas alii inutilibus confabulationibus leuibusue futilitatibus fallere coguntur; neque ſolus is eſt, omnibus etſi ignotus ſit, ſed in medio conſtitutus tot elegantiarum et nouitatum vtiliſſimo conſortio fruitur. Bene ſatiatus receſſit, poſtquam menſem vnum ibi manſiſſet, (*t*) et eiusdem anni aeſtate (*u*) Auguſtam Vindelicorum viſitauit inuitatus a *Georgio* LAETO, Vrbis Archigrammateo, qui eum liberaliter et benigne admodum habuit. (*w*) In gratiam quoque venit *Iohannis Iacobi* FVGGERI, Domini tum, demum Comitis Kirchbergae et Weiſſenhorni, et menſa quoque ab eo exceptus eſt, praeſente vna *Stephano Lauraeo* AMORFORTIO, (*x*) Imperatoris Auguſti poſtmodum Archiatro, cuius amicitia, quam ſibi nunc conciliauerat, plurimum illi futuris annis profuit. Ipſe FVGGERVS praepollebat tunc magno librorum adparatu, in quem GESNERVM honorifice admiſit. Habuit equidem exinde ſatis, ex quo delectari animum poſſet, non tamen neglexit, quo minus etiam perluſtraret Senatus ampliſſimi Auguſtani Bibliothecam publicam, quae codicibus antiquis praeſtantiſſimis et rariſſimis, plerisque nondum editis, praeſertim Graecis inſtructa erat. (*y*) Exhibitae huius vbicumque beneuolentiae gratam memoriam vt conſeruaret, dum agere non poterat opulenter propter rem familiarem tenuem, chartacea munera rependit, et poſtea LAETO *Tatiani* Orationem inſcripſit, AMORFORTIO *Hortos Germaniae*, Senatui vero Anguſtano *Sententias Monachorum* dedicauit eum ſimul in finem, vt libertatem nanciſceretur propius inſpiciendi et edendi codices iſtius Bibliothecae aliquos; quo tantum effecit, vt impetraret etiam quaedam *Dioſcoridis* et *Aeneae Gazei* Dialogum de animarum immortalitate (*z*), officio ſuffultus FVGGERI, qui *Aelianum* quoque inde procurauerat, atque proprium codicem adiunxerat, ex quibus ſuo tempore editionem, vt infra dicetur, adornauit (*a*), et ob multiplicia haec fauoris ſigna dedicationibus tribus iſtum veneratus eſt.

Simulac domum adpulit GESNERVS, vt monſtraret, quem fructum conſecutus fuerit ex itineribus huc vsque ſuſceptis, atque ſimul temporis optime exacti rationem redderet, ſtatim ad prelum dedit *Antonii Thyleſii* opuſcula aliquot, et ſuam Bibliothecam vniuerſalem, (*b*) in ipſa, vt videtur, peregrinatione inchoatam, et nunc anno *milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quinto* perfectam (*c*). Non leue hoc ipſo labore exhibuit teſtimonium vaſti ingenii, quo a natura praeditus erat, dum adgreditur non ſolum, ſed fortiter etiam exſequitur opus, in quo neque anteceſſorem habuit, neque nactus eſt in hunc fere diem multos ſectatores (*d*) Opus, quo rem litterariam inſigniter promouit (*e*), non ſterilem quidem nominum librorumque aceruum enarrans, ſed frequentiſſime ſingulorum librorum argumenta, aliquando ſtyli etiam ſpecimen aliquod et cenſuras doctorum virorum praebens, vt lectori eo firmius de quolibet conſtaret iudicium. Meliorem certe modum eligere, neque melius 1545.

C cuitare

(*r*) Quem WELSCHIVS de Vena Medinenſi, in praefat. cum Ioh. Bapt. Montano vocat: Heroem doctiſſimum. Poſſeſſor plurimorum Codicum Graecorum, Arabicorum aliorumque erat, quorum maxima pars ad Regis Hiſpaniae Bibliothecam peruenit.

(*s*) Vide Praefat. in *Stobaei* editionem alteram, et Praefat. ad Sentent. Monach.

(*t*) Vide SIMLER. Vit. p. 9. a.

(*u*) Vide Dedicat. ad Sentent. Monachorum. et not. (*y*) infra.

(*w*) Vide Praefat. ad Verſionem *Tatiani Aſſyrii*, coniunctam Sentent. Monachor. p. 346.

(*x*) Vide Dedicat. ad Librum de Hortis Germaniae apud *Cordum* p. 236. a. vbi hunc ita compellat: „ primum vt amicitiam mutuam feliciter ſuperioribus annis Auguſtae Vindelicorum, cum „ ad menſam Illuſtris Viri *Io. Iac. Fuggeri* con„ veniſſemus, inceptam, hoc ceu vinculo inter „ nos obſtringerem etc.

(*y*) In Dedicatione Sententiis Monachor. praefixa, anno 1546. Cal. Febr. inſcripta, ita innuit: „ *Aeſta*„ *te ſuperiore* cum Bibliothecam Veſtram non „ oſcitanter inſpexiſſem etc.

(*z*) Vide Epiſt. De libris a ſe editis. p. 29. a. et 25. b.

(*a*) Vide Dedicationem *Aeliani*, *Fuggero* inſcriptam.

(*b*) Sub titulo: Bibliotheca vniuerſalis. ſ. Catalogus omnium ſcriptorum locupletiſſimus, in tribus linguis, Latina, Graeca et Hebraica, extantium et non extantium etc. Tiguri, Froſchouerus. 1545. Fol.

(*c*) Vide ipſius Bibliothecae vniuerſalis praefationem. In Epiſt. vero de libr. a ſe editis loco anni MDXLV. poſitus eſt annus MDLXV. qui error ſeſe propagauit in *Melch.* ADAM. p. 166. et TEISSIER l. c. p. 204.

(*d*) Ita Cl. KAESTNERVS in Biblioth. Medic. p. 54. §. 16. maximi facit improbum hunc laborem, dicens: „ Enarraturus Auctores illos, qui de „ pretio, bonitate, genioque praecipuorum li„ brorum medicinalium iudicium ferre, et ſenten„ tiam ſuam pronunciare inſtituerunt. Eſt vero „ numerus eorum, qui rem adeo delicatam, „ momentoſam partim et non minus periculoſam „ peculiaribus libris adgredi fuerint auſi, per„ quam exiguus. Primus qui in hanc palaeſtram „ deſcendere non trepidauit, quantum equi„ dem recordor, fuit *Conr.* GESNERVS. *plura leguntur egregia huc pertinentia ibidem*, *et p.* 46. §. 13.

(*e*) *Dan. Ge.* MORHOF. Polyhiſt. p. 199. ſequ. et ex eo *Pope* BLOVNT. Cenſur. Cel. Viror. p. 661. ſequ. „ *Conr.* GESNERVS inter vniuer„ ſales et perpetuos Catalogorum ſcriptores prin„ cipatum obtinet; Vir maximis ſuis laboribus „ optime de Republica litteraria meritus. *et por*„ *ro*: Tota ipſi poſteritas ob ſumma illa et her„ culea in re litteraria merita obſtricta eſt.

euitare poterat partium ſtudium, quod plerumque inhaereſcere ſolet cenſoribus, qui laudant, quibus fauent, et vituperant, quibus male cupiunt ſiue doctrinis ſiue Auctoribus. Multiplici ratione et peccant et nocent hi, praeſertim ſi eruditi ſunt, dum enim calumniantur, apud eos, qui opinionibus reguntur, et quorum maxima pars eſt, ſemper aliquid haeret; dum encomiis ornant interdum leuis armaturae milites, ſeducunt emtorum alios, alios in temporis et numorum iacturam adigunt. Quam impiger et quam cautus interim fuit GESNERVS, euitare non potuit ſiniſtrum aliquorum iudicium (*f*), etiam eorum, qui alias ipſi ſatis aequi ſunt; (*g*) dum autem ſiccitatem ſterilitatemque accuſant, niſi Compendia reſpexerunt, quorum diminutionem ipſe Auctor dolet (*h*), immerenter fere taxare videntur. Vitia omnino quae paſſim irrepſerunt, dignitati laboris apud alios nihil detraxerunt de exiſtimatione; (*i*) certum enim eſt, nullum ſine illis naſci librum, et optimus ſolum erit, qui minimis vrgetur; praeponderauit ergo apud pleroſque conſideratio conatus, quem GESNERVS in hoc campo fecit, cuius vero abſolutiſſima exſecutio vnius hominis, praeſertim talis, qui tot aliis non minus grauibus penſis diſtrictus eſt, vires ſuperare videtur. Non enim ſoli litteraturae cunctam animi attentionem conſecrauerat prout ſemper, ſic hoc praeſertim tempore; ſiquidem iam tunc de ſcribenda Animalium hiſtoria multa non ſolum cogitaſſet, ſed et complures, et vt dicit, innumeras Animantium quadrupedum, auium, piſcium et inſectorum figuras, ſuis coloribus ad viuum expreſſas tam ab amicis, quam propriis inter peregrinationes inſtitutis obſeruationibus congeſſiſſet, quarum bonam partem ligneis formis exſculptam iam haberet. (*k*) Frequentes etiam litteras ad homines doctos in diuerſis Europae regionibus, a quibus et effigies, et curatas deſcriptiones, naturae rerum conſentaneas petiit, atque a non paucis amplas nactus eſt acceſſiones, ab aliis vero, vt ſemper eſt maior illiberalium numerus, fruſtra flagitauit (*l*). Noluit tamen prius, etſi magnam operis partem abſolutam fere poſſideret, aliquid in lucem emittere, antequam ad Oceanum Germanicum profectus, et pleniorem quorundam notitiam conſecutus eſſet, aut benignum aliquem promotorem inueniſſet, cuius auſpiciis nobile adeo propoſitum amplius excoli, et ſplendidius abſolui poſſet (*m*). Quamuis autem Ariſtoteli huic defuerit Alexander, qui excitato ingenio animum adderet, ſolus denique integrum perfecit negotium, vt mox videbimus.

1546. Anno poſtmodum *milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſexto* alium peregrinationis Italicae fructum publici iuris fecit, et Graecae linguae curam ſimul habuit, tradens *Froſchouero* excudendas Sententias per *Antonium* et *Maximum* Monachos collectas, *Abbae Maximi* Aphoriſmorum Centurias quatuor, *Theophili* Inſtitutiones et *Tatiani Aſſyrii* Orationem, quae omnia, praeter *Maximi* Centurias, ex codicibus manuſcriptis deſumta Venetiis ſecum deportauerat, et ex parte in latinum tranſtulerat (*n*); *Tatiani* Orationi ſubiecit adnotationes, confectas labore per paucos ſolum dies continuato, prolixum tamen diſcurſum in omne fere ſcientiarum genus excurrentem ſiſtentes; quo ipſo

(*f*) Horum aliquos recenſet MORHOF. l. c. p. c. et *Pope* BLOVNT. l. c. ita loquens: „Iniurii „ſunt et ingrati in bonum Virum, qui ſcripta eius „paſſim traducunt, vt non ſatis accurata, et ſolo la„bore, nullo vero ingenio ſpectanda. Quod fa„miliare eſſe ſolet in Germanos conuitium omnium „exterorum, qui ſi non haberent a Germanis con„geſtas rei litterariae opes, anguſtius certo ſecum „habitarent. Adeo (quae Voſſii praef. in Theol. „Gentil. querela eſt) laudis nihil ſperandum, „quocunque etiam iudicio adhibito, propter am„bitioſulos iſtos, in ſtrenua inertia et ingenii et fa„cundiae laudem ſolis ſibi vindicantes; aliis relin„quentes duntaxat laboris gloriam, cum arcadico, „vt loquuntur, pecore communis. Etiam *Gad„dius*, tenuis et ieiunus ſcriptor, minutam dili„gentiam in eo reprehendit, qui ipſe montes par„turiendo non niſi mures parit. *Rolandus* quo„que *Mareſius* in Epiſtolis ſuis Philologicis, ope„re docto, GESNERVM alicubi, vt locorum com„munium ſcriptorem, exagitat, cum GESNERVS „et GESNERO ſimiles inter eos ſint, qui ſyl„vas ferant, vt habeant alii, quas caedant et ex„cidant.

(*g*) Ita TEISSIER. Elog. des Hom. Savans p. 201. et 202. ex *Nicol. Antonio* Praef. Bibl. Hiſp. et *Baillet* Iugemens des Savans, ſentit: „Il eſt vrai, „comme l'a remarqué Nicolas Antoine, que „GESNER a compoſé ſa Bibliothéque d'une „maniere un peu ſeche et ſterile.

(*h*) Vide Epiſt. de libris a ſe editis. p. 23. b.

(*i*) Cuius rei ampla teſtimonia legi poſſunt apud MORHOFIVM l. c. et *Ioh.* IONSIVM de Script. Hiſt. Phil. p. 310. quae collegit *Pope* BLOVNTIVS l. c. et apud alios.

(*k*) Vide Biblioth. Vniuerſal. p. 182. b. et 183. a. it. quae ſupra p. VIII. nota (*q*) indicantur, vt et in Dedicatione Verſionis Sententiarum Monach. latinae, ſeorſim impreſſae, et *Io. Iac.* FVGGERO conſecratae;

(*l*) Vide Dedicationem ad *Io. Iac. Fuggerum* Hiſtoriae Auium. p. 4.

(*m*) Vide Bibliothec. Vniuerſal. p. 182. b..

(*n*) Vide Praefat. ad Sententias ipſas. Titulus hic eſt: Sententiarum ſiue capitum Theologicorum praecipue, ex ſacris et profanis libris, tomi tres; per *Antonium* et *Maximum* Monachos olim collecti etc. Abbae *Maximi* Aphoriſmorum ſeu Capitum de perfecta charitate et aliis virtutibus chriſtianis. etc. Centuriae tres *Theophili* Sexti, De Deo et fide Chriſtianorum contra gentes Inſtitutionum libri tres etc. *Tatiani* Aſſyrii Oratio contra Graecos. Tiguri 1546. Folio. per Chriſtoph. Froſchouerum. Textus Graecus peculiari Volumine, et Tranſlatio latina alio ſimili comprehenditur.

ipſo ſatis cognoſci poteſt vbertas doctrinae, in GESNERO latentis. Vt autem res Medica aliquam lucubrationum partem ſibi vindicare poſſet, eodem anno conflauit etiam libellum de remediis purgantibus et vomitoriis. (*o*) Eadem deinde, prout ſcriptis nunc ampliſſime praeſtiterat, ſcholae Tigurinae incrementa promouere adniſus eſt inſtitutione et praelectione, atque Ariſtotelis ethica et Phyſicos libros ea lingua, qua ab auctore ſcripti ſunt, interpretatus eſt, et explicauit non ſolum, ſed etiam non numquam, vt auditoribus ſeſe adcomodaret, atque ſic vt aeui ſui mos ferret, compendia Virorum tunc clariſſimorum, *Melanchthonis*, *Schegkii*, *Velcurionis*, *Wildenbergii*, *Sebaſt. Foxii*, et *Hermolai Barbari* publice dilucidauit, (*p*) et vbique, rerum naturalium Graecaeque linguae peritia excellens ac ingenio ſummo praeditus, acute diſſeruit, et diſcipulis plurimum profuit: in quorum commodum etiam anno *milleſimo quingenteſimo quadrageſimo octauo* Compendium *Hermolai Barbari*, de naturali ſcientia agens, mendoſiſſime impreſſum repurgauit. (*q*) Abſoluit denique Tomum ſecundum Bibliothecae 1548
ſuae, cuius libros nouendecim priores ſub Pandectarum nomine imprimendos dedit, (*r*) vbi libros ſecundum claſſes ac ſcientiarum genera ordinauit; et mox anno ſequente *milleſimo quingenteſimo quadrageſimo nono* librum vigeſimum primum eiusdem, Theo- 1549.
logica complectentem ſuperaddidit (*s*). Librum vigeſimum, qui Medica ſeparatim tractare deberet, multas ob cauſas retinuit; illum enim quam maxime polire conſtituit, et eius elaborationi ſeptendecim annis poſt adhuc inſudauit (*t*). Quantam igitur perfectionem adipiſci potuerit hoc penſum, in manibus Auctoris erudiſſimi tot annis volutatum, vnusquisque ſatis colliget, qui conſiderat bonitatem librorum, quos feſtinante calamo elaborauit. Omnino non parum et gloriae Auctoris et arti Medicae deceſſit, quod Liber hic numquam prodierit. (*u*) Quamuis autem ea in parte Medicorum commodo non proſpiceret, illud tamen alio modo promouit, in tyronum vſum adiiciendo editioni *Galeni*, quam *Frobenius* Baſileae *eodem anno* parabat, capitum diſtinctionem et argumenta librorum ita copioſa plerumque, vt vel inſtar Epitomes aphoriſticae illa ipſe habuerit (*w*); vlterius etiam *Galeni* fragmentum, quod ex *Stobaeo* (*x*) deſumtum in latinum conuertit, contulit pro augmento operum huius Auctoris, cuius ſecta tunc valde celebrata exſtitit.

Tot tamque diuerſis negotiis occupatiſſimum equidem vidimus Noſtrum, cunctis tamen his non obſtantibus, et quamuis bellorum calamitoſi caſus eum etiam non parum adficerent (*y*), ſimulque noui libri iam diſponendi animum diſtraherent, amor Botanices et Naturalis ſcientiae, in quam tanto feruore ſemper ferebatur, neque nunc quieuit; nam ſi fides eſt proprio teſtimonio (*z*), in mon-

 te

(*o*) Hoc titulo: Enumeratio medicamentorum purgantium, vomitoriorum et aluum bonam facientium, ordine alphabetico. Baſileae apud Froben. 1536. 4to. cum *Antonii Muſae* libello de Catapotiis.

(*p*) Vide SIMLER. Vit. p. 8. b.

(*q*) Prodiit illud Baſil. apud Oporinum 1548. 8vo. ſub titulo: Naturalis ſcientiae Compendium ab *Hermolao Barbaro* confectum. etc. adiecta *Hier Wildenbergii*, Aurimontani, in plerosque Ariſtotelis phyſicorum libros Epitome.

(*r*) Pandectarum ſiue partitionum vniuerſalium, qui ſecundus Tomus Bibliothecae eſt, libri nouendecim. Tiguri Froſchouerus. 1548. Fol.

(*s*) Pandectarum, hoc eſt, Secundi Tomi Bibliothecae Liber vigeſimus primus ſ. vltimus, De Theologia Chriſtiana. ibid. 1549. Folio. In Epiſt. de libris a ſe editis p. 24. b. n. 35. poſitus eſt annus 1459. ex transpoſitione numerorum erronea, quod tamen, pro vt plura adhuc menda typographica fideliter repetit *Auctor Anonymus* Vitae GESNERI Lipſiae et Zittauiae apud Dau. Richterum 1711. in 8vo. excuſae, idiomate partim Germanico, quae mera transpoſitio eſt Deſcriptionis cum adiunctis SIMLERI, cuius nomen plane omittitur.

(*t*) In Epiſt. de libris a ſe editis quae 1562. Kal. Sept. ſcripta eſt, p. 24. a. ita loquitur: „ Librum vi„ ceſimum certas ob cauſas reliqui, et ne hacte„ nus quidem abſolui, quamuis materia ſatis „ copioſa mihi ſit congeſta.

(*u*) Adeo honorificum eſt Cel. KAESTNERI ea de re iudicium, vt non poſſim non, quin illud integrum adponam. Deprehenditur id in EIVSD. Biblioth. Medic. p. 46. §. 13. „ O„ mnino dolendum, *Conr.* GESNERVM ſe„ cundam partem Bibliothecae ſuae - - ad Co„ lophonem non perduxiſſe. Luculenter enim „ apparet ex libro XIV. vbi de Philoſophiae na„ turalis ſcriptoribus egit, quanta huius Viri in „ hiſtoria litteraria fuerit capacitas, quantoque „ detrimento rei publicae litterariae, Medicae „ inprimis factum ſit, quod viceſimus liber, quo „ de ſcriptoribus Medicis erat acturus, ab ipſo „ non fuerit elaboratus. Hoc interim certum, „ Roberti Conſtantini Nomenclatore - indice„ que totius Bibliothecae atque Pandectarum „ GESNERI, etiamſi Brunfelſianum opus iſte „ ſuperet, haud aegre nos carituros fuiſſe, mo„ do GESNERI pandectae vltimam vidiſſent li„ mam. Verum enim vero male agitur cum re„ bus eruditorum, quod vtriusque Viri docti „ ſcripta hodie nimis rareſcant.

(*w*) Vide Epiſt. de libris a ſe editis p. 24. n. 36. *argumenta haec in Edit. Lugd. 1550. apud Ioh. Frellonium* et in *Iuntarum Edit.* omittuntur.

(*x*) Nempe: *Galeni* breuem denotationem dogmatum Hippocratis ex Sermone 99. *Io. Stobaei.* quae deprehenditur in Edit. Veneta Iuntarum 1565. p. 231. a.

(*y*) Vide Litteras ad *Ben. Aretium.* Cal. Iulii 1551. ſcriptas. Epiſt. Lib. III. p. 115. b.

(*z*) Verba ſunt In libro de figuris rerum foſſilium etc. p. 50. a. quae integra adponere liceat: „ Eſt et „ quod Lac lunare a noſtris appellatur: quod in „ altiſſimorum quorundam montium Heluetio„ rum ſpeluncis reperitur, vt Stockhornii „ in ditione Bernenſium et Fracti ſiue Pi„ lati Lucernenſium. De quo repetam hic ea „ fere verba, quae *in Fracti montis Deſcriptio*-

ne

te Pilati fuit circa hoc tempus, vt ſciſcitaretur, num quid noui vel nondum viſi deprehendere poſſet, Voti etiam compos factus, inter alia Lac Lunae, vt vocatur, primus in Montibus Heluetiae detexit et deſcripſit (*a*). Neruos poſtea omnes intendit, vt perficeret demum Animalium hiſtoriam, quae his fere annis cum plantarum inquiſitione vacua a negotiis publicis et priuatis nunc adductis tempora ex aequo quaſi partita erat. Stupenda enim adſiduitate huc vsque perlegerat Auctores Graecos, Latinos, Barbaros, obſcuros, veteres et recentes ad ducentos et quinquaginta (*b*), qui aut ex inſtituto de animalibus, eorumque natura agerent, aut occaſione data mentionem ſolum de iisdem iniicerent: ex illis notabiliora, et quae vſui alicui ad ſcopum propoſitum eſſe poterant, ſibi excerpſit, et ex his vltra centum et quinquaginta ita in compendium quaſi redegit (*c*), vt in nouis hiſce Commentariis omnia deprehenderentur eorum obſeruata et effata, quae modo cupidis ſcrutatoribus ſcitu neceſſaria futura, aut vlteriore inquiſitione digna iudicaret. Petierat etiam a coniunctiſſimis non ſolum amicis auctaria atque figuras, multasque ex Italia a *Corn.* SITTARDO, Medico inclytae vrbis Norimbergenſis, et *Georg.* FABRICIO, Saxone, praeſertim ex Oceano acceperat, ae-
1550. que ac anno *milleſimo quingenteſimo quinquageſimo*, a Polyatro Torgauienſi, poſtmodum intimo fere ex amicis, apud ſuos multum celebri *Io.* KENTMANNO (*d*), qui ſat magnam copiam piſcium collegerat; ſed etiam commercium litterarium ampliſſimum eam ob rem frequentauit, tam in terris patriis, quam in diuerſis Germaniae, Galliae, Angliae et Italiae locis (*e*), quin et eruditos Hiſpaniae, Daniae et regionum ſeptentrionalium inuitauit, vt obſeruata conferrent. Dum itaque indefeſſa lectione vbique haurit, animo in hanc Phyſices partem quam maxime prono continuo ſtimulatur, amicorum adminiculo fulcitur, pro facultatum ſuarum viribus impenſis nullibi parcit, laboribus domi et foris, videndo, ſubinde ſciſcitando a quibusuis doctis, indoctis, ciuibus, peregrinis, venatoribus, piſcatoribus, aucupibus, paſtoribus et omni hominum genere multa cognoſcit et eruit, rem eo perducit, vt coagmentare poſſet ſeriem iſtorum Voluminum, qualia prior aetas nondum viderat. Primarius Noſtri, isque omnium excellentiſſimus, dum vaſto huic labori ſe immitteret, ſcopus exſtitit ipſa rerum notitia, et amoeniſſima naturae contemplatio, quae animis, ad Architecti per omnia ſummi, et noſtri naturaeque Domini cognitionem et venerationem adſcendentibus, veluti ſcala ſeſe ſubmittit, qua per gradus in ſublime euehi et euocari quaſi coguntur. Studuit autem ſimul in iis elaborandis, vt omnibus, quantum in ſe eſſet, placeret, et vt quilibet, qui libros hos legeret, fructus aut delicias perciperet; hinc ex toto fere ſcientiarum ambitu aliquid admiſcuit, ex quo Philoſophi, praeſertim naturae, aut morum et virtutum diſciplinae ſtudioſi, Medici, Poetae, Grammatici, Philologi, atque linguarum cultores haberent, quo proficerent aut oblectarentur. Figuras praeſertim eas, quas ipſe pingi curauit, pro genio quidem ſaeculi, ſatis tamen probas nec inconcinne exſculptas adiecit; malas quoque, cum meliores non ſuppeterent, et Editor

„ *ne noſtra ante annos ſedecim* poſui. etc. Cer-
„ tnm eſt, librum de foſſilibus anno 1565. pro-
„ diiſſe, et fere ad prelum ſcriptum eſſe; ab hoc
„ anno 1565. ſi detrahes 16. neceſſario indicabitur annus 1549. vel minimum 1550.

(*a*) Deſcribere omnino potuit indicato tempore, etiamſi non ſtatim publicauerit, prout ſaepius fieri ſolet, dum vberiorem rei alicuius notitiam conſequi volumus. GESNERVM vero iam ante annum 1555. Montem hunc adiiſſe, abunde porro patet ex litteris ad *Ben. Aretium.* Ian. 29. 1552. ſcriptis: Epiſt. Lib. III. p. 116. a. vbi haec profert: „ Libellos noſtros iam ſemel at-
„ que iterum promiſſos *περὶ τῶν σεληνιτίδων βο-*
„ *τανῶν, καὶ τὴν τȣ̃ Πιλατείȣ ὄρȣς περιήγησιν* breui expectabis. Quibus verbis iter huius anni *ſub not.* (z) commode intelligi poteſt. Niſi itaque quis bina haec loca mendoſa ſupponere vellet, concedet, GESNERVM plus ſimplici vice Montem Fractum conſcendiſſe.

(*b*) Vide Epiſt. de libris a ſe editis p. 24. b. n. 37.

(*c*) Vide Dedicationem ad Librum III. Hiſtoriae Animalium, ſ. Librum de Auibus, inſcriptam *Io. Iac. FVGGERO.*

(*d*) Vide litteras ad eundem datas d. 22. Aprilis et Cal. Dec. 1550. Epiſt. Libro IV. contentas.

(*e*) Ipſe nominat ſequentes, quorum nomina officii cauſſa, renouari aequum videtur: *Aegidius* TSCHVDVS (*qui in Elogiis Doctor. Viror. Thuaneis. Londini 1671. 8vo. publicatis p. 53. SCHEVDVS vocatur*) *Guilielm.* RONDELETIVS, *Hier.* ZANCHIVS, *Io.* DRYANDER, *Leodigar.* GRIMALTVS, *Lud.* LAVATERVS, *Nic.* DALONVILIVS, *Raphael et Gottofredus* SEILERI, *Thom.* ERASTVS, *Vlyſſ.* ALDROVANDVS, *Hier.* MASSARIVS, *Melchior* GVILANDINVS; *Io.* CAIVS, *Guil.* TVRNERVS, Angli; *Valent.* GRAVIVS, *Wolfg.* LAZIVS, *Henr.* a. S. CLARO, *Io.* FERRERIVS, *Ant. Muſa* BRASSAVOLVS, *Theod.* BEZA, *Io. Henr.* MVNZINGERVS, Medicus in Fuggerorum Familia; *Adr. Marſilius* a DONGEN, Pharmacopola Vlmenſis; *Petr.* CONDEBERGIVS, Antvverpienſis, *Ant.* SCHNEBERGERVS, conterraneus et diſcipulus olim; *Petr.* GILLIVS, Venetus, verſione partis Aeliani clarus; *Sigism.* Baro in HERBERSTEIN, *Io.* PONTANVS, *Petr.* BELLONIVS, *Aloys.* MVNDELLA, *Claud.* TEXTOR, Geneuenſis, *Bened.* Medici filius; *Io.* TANMVLLERVS, Chirurgus Aug. Vindelic. *Hier.* CARDANVS, *Io.* DALECHAMPIVS, *Io.* ECHTIVS, Medic. Colonienſis; *Achill. Pirmin.* GASSARVS, *Iul.* ALEXANDRINVS Imp. Ferdin. Medicus; *Carol.* EGELIVS, Medicus Rauenſpurgi; *Bened.* ARETIVS, D. BONERVS ex Polonia, *Felix* PLATERVS et *Io.* BAVHINVS: et alii forte plures, quos in Libris Animalium et Epiſtolis paſſim adducit.

Editor impenſas plures pro comparandis exactioribus ferre recuſaret, atque fictas interdum, prout ab Amicis miſſae erant, inſeruit quidem, ſed plerumque notauit aut reprehendit. In aquatilium Libros icones *Guil.* RONDELETII et *Petr.* BELLONII Gallorum transſumſit, de ſuis autem plurimas intercalauit, (*f*) aut ad latus poſuit. Vterque horum iam nominatorum Virorum ſimilia cum GESNERO ſtudia excolebant, interim ab eo tempore, quo iſtos in Gallia reliquerat, aemulos hoſce aequali amicitia proſecutus erat; etiamſi non leuis propter aemulationem contentio inter ambos oborta eſſet, neque reciproco fauore excidit, ſed vtrique acceptiſſimus fuit, cum vtrumque libere et absque longis excuſationibus vel emendare, prout res poſtularet, vel ſaltem ab iis diſſentire non raro ſuſcepiſſet. (*g*) Eam vereque germanam ingenuitatem noſtris temporibus fruſtra fortaſſis quaeres, vel ne ſperare quidem poteris, quamdiu quilibet fere ſtatim acriter cenſeri, vel aſpero modo tractari ſe putat, quoties aliquis mero veritatis ſtudio diſſentit. Quamuis diſſenſus aequo animo ferrent Viri ſupra nominati, iuſtos tamen laborum horum iudices non inuenit omnes, ſed potius iniquos paſſim obtrectatores, qui Libros iſtos Centones adpellarent, vel alio modo criminarentur, (*h*) et obiicerent, quod tot figmentorum falſorumque memoriam feciſſet. Quo vero iuris titulo id inſtituerint, inde ſtatim in aprico eſt, quod Auctor ſatis profeſſus ſit, ſe non ſeligere magis, quam colligere voluiſſe, quae diſſeminata et ſparſa vndique deprehenduntur. Ideo laudandi magis quam vituperandi erunt impetus, cum repertorii quaſi generalis vices explere poſſint neque vilipendendae propriae obſeruationes, etſi hinc inde imperfectiores eſſent, cum ipſa, quam tangunt, ſcientia in primis adhuc haereret incunabulis, quae hodie nondum ita adulta videtur, vt omnibus exemta dici poſſit ambiguitatibus. Penetrauit tamen iam Noſter ad minutiora, et (liceat pauciſſima euocare) Echini marini Anatomen adgreſſus eſt, quam noſtra demum memoria inſignis KLEINIVS pleniorem reddidit: atque Setam aquaticam, quam acutiſſimus Naturae Venator LINNAEVS apte Gordium nominat, vermis genus non valde frequens, in fontibus et ſuper herbas repertum, primus, quantum noui, depinxit. (*i*) Alphabeticum de caetero ordinem primum ſecutus eſt, quem commodiorem et inſtituto proprio, et tyronum ſtudiis iudicauit, cum tamen ſequentibus annis mutauit. Superſedeo vero nunc, prolixioribus verbis ſingulorum capitum tractationem recenſere, cum toties repetitum fuerit hoc argumentum. (*k*) Potuiſſet equidem et debuiſſet fortaſſis aliqua paſſim praetermittere, ſi laborem ad temporum noſtrorum genium intuemur, qui vero ſaeculi, in quo ſcriptum eſt Opus, indolem perpendit, et quam facile ſit inventis aliquid addere conſiderat, maximo in pretio non tam habebit difficillimos labores Noſtri, quam potius mirabitur magnitudinem auſus, quo homo priuatus, praeſidiis opulentorum deſtitutus, familiaris rei anguſtia preſſus, miniſtrationibus vitae quam maxime neceſſariis vix ſufficiens, tam immenſo rerum occurrentium campo ſeſe immittere potuit, tanta omnino praeſtitit, et ſimul tot aliis par fuit. Hoc vnicum certe momentum, etſi cuncta ſeponas, immortalem ipſi apud aequos bonosque aeſtimatores ſtruere poteſt laudem. Voluntas ſane et deſiderium ipſi non defuit, hanc ſcientiae naturalis partem, ad ſummum, quod capere tunc poterat, faſtigium promouendi, ſi res circumſtantes maiora permiſiſſent. Nam vltra peregrinationes, quorum iam mentionem iniecimus ſupra, adiit etiam quaedam Germaniae loca; cum autem Argentoratum deſcendiſſet, et ſecundo Rheno in Oceanum nauigare vellet, (*l*) vt piſces et

 alia

(*f*) Propriae aut ab amicis communicatae ſatis diſtingui poſſunt primo quaſi intuitu, grandiores enim plerumque ſunt, et diligentius ſculptae.

(*g*) Mentem ſuam ſuper hanc rem eleganter declarat ipſe GESNERVS. Epiſt. Libr. III. p. 138. a.

(*h*) Inter eos fuit MATTHIOLVS, de quo ipſe queritur in Nomenclatoris Icon. Quadrupedum praefatione. Alius poſtea ſurrexit *Roland.* MARESIVS. qui Epiſt. Lib. 2. Ep. 26. ita loquitur: „ GESNERVS de omnium animalium hiſtoria „ fuſiſſime ſcripſit, quam ſimiliter materiam *Vlyſ-* „ *ſes Aldrouandus* immanibus voluminibus proſe- „ cutus eſt. Sed libere dicam, *Plinii* paucos „ libros de animalibus, pluris fecerim, quam „ iſtorum de iisdem infinitos. Vide Pope „ BLOVNT. l. c.

(*i*) Figura, ipſo quoque monente, paullo craſſior eſt naturali, melius tamen orbiculos articulorum exprimit, quam icon VELSCHII. De Ven. Medinenſ. fig. 1. et 2. ad pag. 92. Longitudo etiam vermis conſueta, qui in Italia praeſertim rarus videtur, triplo et vltra maior eſſe ſolet, quin etiam interdum per interualla inaequalis craſſitiei, vt pluries obſeruaui, quoties vermem, apud nos riuulorum hoſpitem, examinaui, et diu viuentem detinui, renouata ſubinde aqua. Diſciſſus etiam per portiones mouetur adhuc, quod cum lumbrico commune habet, neque viuere ſtatim deſinit, etſi vappeſcente aqua hinc inde putredine vnitas ſoluatur. Nomen Gordii ipſi conuenientiſſimum eſt, propter miras contorſiones et intuitu interdum inextricabiles, quas per integros interdum dies ſeruat, magna vero facilitate etiam explicat; quando explicatus quieſcit ſemper fere vnam extremitatum, quae forte pro capite eſt, oblique ad aquae ſuperficiem recta protendit.

(*k*) Fuſa narratio partitionis exſtat in SIMLERI Vit. p. 10. a. vsque ad p. 12. a. et vltra: ex quo repetitur apud *Melch.* ADAM. l. c. et a plerisque ſequentibus.

(*l*) Quod olim ſibi propoſuerat, vt dictum eſt ſupra p. X. not. (*m*)

alia notatu digna ibidem obſeruaret, exorto tunc infelici bello, quo tota Germania conflagrauit, amicis monentibus iter inſtitutum omiſit, et domum rediit. (*m*) Ne autem et hoc alio tempore repeteret, et diſtantiores extra patriam Heluetiam ſuſciperet excurſiones, varia impediuerunt. Valetudo enim non ſemper ita firma exſtitit, vt longe a domo abeſſe, et itinerum longinquorum incommodis inſeparabilibus ferendis parem ſe eſſe poſſe crediderit: Sumtuum etiam magnitudo eum terruit; nam peregrinator absque pecunia parata errans, male plerumque rem ſuam agit. Potiſſimum vero varia ſcriptionum genera, eum continua ſerie adeo obſeſſum tenuerunt, vt breuiora ſolum in poſterum frequentare potuerit itinera, quae infra ſuis locis occurrent. Non parum denique temporis ipſi nunc abſumſit plantarum obſeruatio, quam numquam miſſam fecit, etſi totus in Animalibus deſcribendis eſſet; non enim ſolum interſperſit varia de plantis, quoties occaſio permitteret, ipſis animantium tractationibus, ſed etiam in pingendas icones ſtirpium et horas et impenſas erogauit. (*n*) Quilibet interim iam colliget, etiam non praemonitus, prolixa iſta de Animalibus Volumina vnico anno non expedita eſſe. Auctor totam huius regni hiſtoriam ſex ſectionibus complecti conſtituerat, quarum prima agere debuit de Animalibus quadrupedibus viuiparis, ſecunda de Quadrupedibus ouiparis, tertia de Auibus, quarta de Piſcibus et aquatilibus aliis, quinta de Serpentibus, ſexta denique de Inſectis agmen claudere. (*o*) Ita etiam per portiones Libros emiſit, quorum primus de Quadrupedibus viuiparis anno *milleſimo quingenteſimo quin-*
1551. *quageſimo primo* comparuit, alter de iisdem Ouiparis cum Appendice triennio poſt, et mox anno proximo tertius de Auibus ſecutus eſt, quem demum quartus de Piſcibus interuallo trium fere annorum excepit. (*p*) Quintum de ſerpentibus non perfecit, dum viueret,

(*m*) Vide SIMLERI Vit. p. 9. a. Num vero hoc iter fuerit idem, cuius ſupra *pag. V. not. b.* mentio facta eſt, determinare vix poſſum.

(*n*) Teſtatur hoc clariſſime, communicata ab Illuſtri TREWIO, Praefatio *Hier.* TRAGI, ſcripta ad d. IV. Febr. 1551. Herbario ſuo, Argentorati 1560. Fol. impreſſo, praemiſſa, vbi num. XI. verba ponit, que latine ſic ſe habent. Praemiſſis nempe iis Auctoribus, qui figuras herbarum fabricari inſtituerunt, et quod Principes olim ſumtus tulerint; ita pergit: „ Nunc vero artes hae „ propter penuriam in ſqualore et carcere ſepul„ tae iacent, nemo eſt inter tot potentes et di„ vites, qui ſcientiarum naturalium adeo vtilium „ patronus eſſe velit. Innotuit tamen mihi, ta„ lem laborem ſuſcepiſſe doctiſſimum diligentis„ ſimumque D. *Conr.* GESNERVM, Tiguri„ num, Fautorem et amicum meum aeſtimatis„ ſimum, cuius conatibus Deus vt adſit, pre„ cor. &c. Verba haec in praefatione Editionis de anno 1546. nondum deprehenduntur.

(*o*) Vide SIMLER. Vit. p. 10. a.

(*p*) Horum tituli ſic ſe habent: *Conr.* GESNERI, Tigurini Hiſtoriae Animalium Liber I. De Quadrupedibus viuiparis, cum fig. Tiguri. Froſchouerus 1551. Fol.

Conr. GESNERI, Tigurini Hiſtoriae Animalium Liber II. De Quadrupedibus ouiparis. cum fig. Tiguri Froſchouerus 1554. Folio.

Appendix hiſtoriae Quadrupedum viuiparorum et ouiparorum *Conr.* GESNERI. ibid. idem. eodem.

EIVSD. Hiſtoriae Animalium Liber III. De Auibus cum fig. Tiguri. Froſchouerus 1555. Folio.

EIVSD. Hiſtoriae Animalium Liber IV. De Piſcibus et aquatilibus. cum fig. ibid. idem. 1558. Fol.

Hiſtoriae Animalium Liber V. De Serpentum natura ex variis ſchedis et Collectaneis GESNERI compoſitus per *Iac.* CARRONVM. Adiecta eſt ad calcem Scorpionis Inſecti Hiſtoria a D. *Caſp.* WOLPHIO ex eiusdem Paralipomenis conſcripta. Tiguri. 1587. Fol.

Opera haec recuſa, vt et in Germanicam linguam verſa, pluries et variis locis prodierunt, quae in Indicibus Librorum paſſim deprehendi poſſunt. *Seuerinus* etiam GOBELIVS, Regiomontanus, litteris ad *Ioach.* CAMERARIVM F. anno 1568. d. 20. April. datis indicat, ſe in GESNERI Libros Animalium, praeſertim illum de Auibus ſupplementa collegiſſe, quae poſtmodum in omnes claſſes auxit, et opimam ſummam praecipue in icones conficiendas impendit. Vt eadem inter Paralipomena GESNERI aut ſub auſpiciis patroni cuiusdam ederentur, acta ſunt quaedam inter GOBELIVM et *Ioach.* CAMERARIVM, qui et ſumtuum et laborum ſocium ſeſe obtulerat, quod ſane non minimum ex tot aliis huius Viri praeclaris conaminibus exſtitit. GOBELIVS demum omnia, quae iniquitas ſortis ipſi reliquerat, Brunſuigam miſit; num ibi adhuc ſuperſint, reſciſcere non potui. Plura memoratu digna ſequentia tradent, quae bona lectorum pace adiungo: Ita GOBELIVS Regiomonte ad *Ioach.* CAMERARIVM Norimbergam. d. an. 1582. d. 10. Octobr. ſcribit: „ Scripſi antea ad TE de *Hiſtoria* „ *Quadrupedum*, ſicut ea de re cum *D. Iohanne fra*„ *tre TVO* locutus ſum, an velis typos iſtos mitti „ ad aliquem, vt addenda addantur, et iuſtus li„ bellus GESNERI Paralipomenis attexatur: quan„ tum accedit aetati meae, tantum fere iudicio in „ hiſce meis aerumnis decedit, ideo conſultum eſt, „ vt primo quoque tempore iſtud ſtudium inue„ niat Maecenatem, quod ſi apud Ill. Principem „ Dn. Landgrauium GVILIELMVM impetrari „ poteſt, vt ipſius ſumtibus vnus atque alter apud „ vos vir non ignauus, indices dignos in GES„ NERI Opera et alia compleat, et in ſe recipiat, „ mihique aliquid pro expoſitis cedat. Quanquam „ *tantum ſolum, quantum ſimul iacet Brunſuigae* „ *apud Dn. Albertum von Haſſolt* (ſi recte ſic lego) *vltra 600 florenos mihi conſtet*; interim ta„ men, prout res dabit, paruo pretio contentus „ eſſem etc.

Porro IDEM ad EVNDEM. d. an. 1583. d. 8. April. ita pergit: „ Optarim me ſuperioribus annis „ TEcum conueniſſe, vel TVO fuiſſe vſum con„ ſilio. Itaque cum ab eo tempore in pluribus „ iconibus comparandis laborarim, et cum excel„ lens aeris ſculptor, qui in Dania moratur, ſe „ obtulit, quod huc venire vellet, ſi TV in idem „ negotium conſpirare, et aliquid laboris in TE „ ſuſcipere velles. Vellem ego ſub alterius nomi„ ne prodeat Opus iſtud, ſin minus, TVO ſolius „ nomine, cum ipſe mihi non ſatisfaciam. Si „ TIBI homini occupatiſſimo non licet, aliquid ex „ Italia obtinebis, quod dignum ſit hoc opere. „ Tribuimus cuiuis ſuum honorem, qui GESNERIANO

viueret, ſed poſt mortem per *Iac.* CARRONVM et *Caſp.* WOLPHIVM ex ſchedis collectus prodiit. Sextus numquam lucem vidit, neque certum eſt, num quid de eo ſuperſit. Exſtant equidem papilionum icones, et quidem interdum ſatis plenae, erucae nempe, aureliae et papilionis, in Voluminibus plantarum pictis, pleraſque tamen, ſi non omnes, CAMERARIO potius quam GESNERO tribuerem, et crederem GESNERIANAS ad PENNEIVM Anglum vel aliquem alium migraſſe. (*q*)

Tempus hisoccupationibus elegantiſſimis interiectum non ita transegit, vt nihil aliud praeter Animalium conſiderationem, vel plantas ad ſummum in animo volueret: quomodo enim fieri potuiſſet, quo mens adeo ſublimis, et ad complectendum totum fere ſcientiarum ambitum naturali quodam ſtimulo compulſa, quieuiſſet, vel vni modo rei inhaeſiſſet? Tanto magis igitur animatus eſt Noſter, vt rei medicae, cui inter omnes reliquas doctrinas praecipue nomen dederat, etiam lucem adferret ex ea parte, a qua tunc maxime, vt videbatur ipſi, opus haberet. Ideo cum remediorum formulae atque praeparationes ea aetate in arcanis ſummis haberentur, ars vero deſtillatoria pleroſque valde nobilitaret, qui eidem tunc operam aliquam nauarent: inſtinctum in artis incrementum directum, luculentius declarare non potuit, quam ſi colligeret partim ex libris omnibus fere tum cognitis, variarum linguarum idiomate impreſſis et manu ſcriptis, partim ſubiungeret, quae ab amicis cognouerat, vel propria experientia et periculis hinc inde factis expertus erat, de remediis eorumque elaboratione artificioſa. Vt adeo fructuoſiorem redderet medicamentorum adplicationem, et plures bonos atque cordatos Viros excitaret, qui ſuum exemplum imitaturi, depoſita ambitione, auaritia, et inuidia aliquid praeclari in profeſſionem ſuam conferrent, promulgauit anno *milleſimo quingenteſimo quinquageſimo* 1552.
ſecundo, vt arbitror, Theſaurum de remediis ſecretis (*r*) tecto Euonymi nomine; vt experiretur, qua fronte hi conatus ſuſciperentur. Cum vero magno vndique adplauſu

 ac

„ RIANO de Quadrupedibus Operi aliquid addidit. Debebit tamen tuis occupationibus talis „ iucunda materia eſſe recreationi: ſi modo vno „ atque altero animali periculum feceris. Vide „ num hac aeſtate iam aliquid praeſtari poſſit. *De* „ *ordine: an priori loco de Sceletis et Anatomia* „ *ac partibus dicere liceat.* Habet aliquot Sceleta in ſua Anatomia Veſter Medicus, ad quem „ me deducebat *Palmerius*, vtinam is eam in ſe „ partem reciperet. etc.

GOBELIVS denique ad *Ioach.* STRVPIVM. Medic. Francofurtenſ. ad Moen. d. 10. Octobr. anni incerti haec addit: „ Scripſi ſuperioribus annis „ de ſumtibus collocatis in ſculpturas quasdam, ſiue „ *typos tam ligneos quam aereos non modo quadru-* „ *pedum, ſed etiam auium*, vt eſſent aliquando „ Paralipomena in *Conr.* GESNERI libros. Icones vidit D. *Ioach.* CAMERARIVS, et ita approbabat tum temporis, *vt ſe ſocium iſtorum* „ *ſumtuum offerret, quod neglexiſſe me multoties* „ *poenituit*, cum ipſe ingenio valeat et ſingulari „ induſtria - - . *Sed ex iis collectaneis in trans-* „ *latione rei familiaris feruente bello Gedanenſi* „ *optimam partem per naufragium ab aduerſante* „ *Neptuno abreptam*, antea ni fallor, ſcribens „ conqueſtus ſum. *Relictae autem tabellae*; et „ conſtant mihi iſti lignei et aerei typi pluris quam „ 600 floren. Vltra annum iam Brunſuigae vna „ cum libris haerent, vt vendi poſſint, et ſi quis „ eſſet, qui plures adhuc impenſas in illis collocare vellet, alias magnum mihi inde emergit „ damnum.

(*q*) Iconibus aliquibus paſſim adſcriptum eſt manu, quae nihil cum GESNERI ductibus commune habet, aliis vero ſeparatis foliis nihil omnino additum inuenitur, ex quo dignoſci poſſit origo. Inter plantas vero occurrit folium aliquod, cui PENNEIVS adſcripſit, cum CAMERARIO id transmitteret, quod inter ſchedas GESNERI de inſectis adhuc deprehenſum fuerit. PENNEIVM vero, cuius merita circa GESNERI reliquias ſuo loco declarabimus, in contemplandis et inueſtigandis Inſectis multum curioſum fuiſſe, abundanter probant litterae Eiusdem ad *Ioach.* CAMERARIVM. d. 18. Iun. 1585. Londino datae; quae vna cum praecedentibus et aliis plurimis, ad dilucidationem horum omnium laborum comparatis, Theſauris ſeruantur apud Illuſtrem TREWIVM; ex quibus haec depromo: „ Te „ exoro, ſi quid certi de Inſectis ſequentibus habeas, vt me, cum otium nactus fueris, certiorem per litteras facias: Τενθρηδὼν Ariſtotelis „ quid ſit lubenter ſcirem; et an in noſtris regionibus reperiatur? Βομβύλιος vero an ſit Hummel vel Humlen Germanorum intelligerem? „ Πρασοκουρὶς an ſit ſpecies erucae, *vt D. GES-* „ *NERVS arbitratur?* Τρώξαλλις an ſit beſtiola cauda bifurca, quam Germani Orenmotel „ vocant, quamque vt arbitror, *Hadr. Iunius* „ in ſuo Nomenclatore Fullonem Plinii non recte arbitratur. Scias Auriculariam alas habere „ ſub cingulo abſconditas, ac aliquando volare „ quod idem experientia didici. Arrodit flores, „ ſi quae alia. etc. Blattam foetidam ſpero etiam „ reperiſſe, Scarabaeo pilulari ſimilis eſt, ſed „ corpore magis oblongo, nec tam craſſo; caudam habet mucronatam, vel vt Plinius loquitur, acutam. Nullas habet alas, tardigradum „ animalculum et valde foetens.

(*r*) Titulus integer hic eſt: Theſaurus Euonymi Philiatri de remediis ſecretis; liber phyſicus, Medicus, et partim etiam chymicus et oeconomicus in vinorum diuerſo apparatu, Medicis et pharmacopolis omnibus praecipue neceſſarius. Tiguri apud *Andr.* GESNERVM F. in 8vo. absque anni mentione. Quod effecit, vt toties annus editionis apud Recenſores mutatus occurrat, quin ipſa GESNERI Epiſt. de libris a ſe edit. p. 35. n. 38. annum 1558. pro prima editione indicat, qui vel ideo iuſtus eſſe non poteſt, quia EIVSD. Epitome Bibliothec. vniuerſalis p. 36. b. Quae anno 1555. prodiit, huius libri mentionem facit, iterum tamen in anno variat, et 1542. ponit. Certiſſimum vero teſtimonium pro vero anno nempe 1552. continetur in Praefat. ad Tragi Hiſt. ſtirpium, quae eodem tempore prodiit. Ibi enim GESNERVS de *Euonymo* loquens, dicit, quod *nuperrime Tiguri excuſus ſit.*

ac encomiis ornarentur, et eruditi paſſim verum Auctorem ſubodorarentur, (*s*) nomen in poſteriore editione non diſſimulauit, quam adornare et augere paucis annis poſt ſuſceperat, (*t*) quia prior auide diſtracta erat. Multa vero ſequentibus annis ſupplementa non ſolum ab amicis petierat, ſed et obtinuerat, (*u*) quae vero morte praeventus publici iuris facere nequiuerat, ideo perficienda *Caſp.* WOLPHIO cum aliis reliquit, qui etiam alteram Euonymi partem concinnauit; cum a plurimis, qui ſcirent, tam litteris ad eum datis, quam praegnantibus argumentis, eam ob cauſſam ſollicitaretur. (*w*)

Inter eiusmodi tamen difficillimos labores GESNERI animus ad priſtinas delicias ſubinde relabitur, ad Graecas videlicet litteras, et herbarum ſtudium. Vt ſubveniret commodis eorum, qui Graeca amant, edidit eodem anno Volumen, Libros Theologorum aliquot Graecorum continens, qui partim antea vel Latine vel Graece nondum comparuerant, partim ab ipſo ex Bibliotheca Auguſtana depromti erant, (*x*) vt ſupra indicauimus. Botanices vero cultoribus inſeruiendi anſam nactus eſt, cum a typographo requireretur, vt elaborationem aliquam commendatitiam praeponeret Hiſtoriae plantarum *Hier.* TRAGI, quae a KYBERO in latinum translata, et eo ipſo anno ad prelum data erat. (*y*) Eruditiſſimam ergo, prout ſemper ſolitus erat, addidit recenſionem Auctorum, qui de plantis ſcripſerunt, Graecorum, Latinorum veterum, dein Arabum, tandem recentiorum: quibus ſubiunxit Scriptores, qui obiter et ſparſim quaedam vtilia ad plantarum cognitionem tradiderunt, et illos demum, qui de Medicamentorum ſimplicium facultatibus egerunt. Hoc interim etiam, quod aliis plerumque, accidit GESNERO, quoties in vnum ſtudiorum genus aliqua elaboratione perficienda ferebatur, vt illi ſtadio per aliquod tempus inhaereret. Sic caram adeo ſibi Botanicam non ſtatim reliquit, potius vero in conquirendis plantis non ſolum ſedulus fuit, ſed etiam priuato ſtudio in pingendis iisdem ſeſe exercuit, vt iucunda exercitatione ipſa in arte creſceret. Depinxit itaque hoc ipſo anno figuras ex DALECHAMPII *Dioſcoride* lineis tamen ſolum eas circumſcripſit ductu non ineleganti, quae in Voluminibus pictarum herbarum adhuc ſuperſunt. Alias
1553. tamen complures ſimul perfecit, et mira adeo diligentia intentus manſit huic ſiue labori ſiue recreationi, vt anni ſequentis *milleſimi quingenteſimi quinquageſimi tertii* Vere, vltra centum raras plantarum icones paratas habuerit: (z) et quidem tales haud quaquam, quales ea aetate communiter elaborarentur, quippe quae in florum fructuumque adaequata et diſtincta adumbratione minimam vel omnino nullam curam poneret; ſed omnino ita inſtructas, vt characterem plantarum exacte declararent, aliquae etiam florem decerptum a prona et ſupina facie exponerent, in aliis vero deſcriptio florum, ſeminum aliarumque minorum partium verbis explicite adiecta ſit. Rebus ſic ſe habentibus, nullum amplius ſupereſſe poteſt dubium, quo minus GESNERVS primus omnium magni iſtius inuenti, characteris nempe plantarum, nucupandus ſit Inſtaurator. Negari equidem non poteſt, Anteceſſores interdum mentionem aliquam inieciſſe partium in plantis, ad notas diſtinctionis verae requiſitarum, quod de *Trago* aliquo loco demouſtraui; et videri poſſet, quandam ſed obſcuram ſane Methodi ſpeciem latere in TEXTORIS Libello, (*a*) ex quo Noſter aliquam cogitationem ſuſcipere potuiſſet, vlterius inquirendi in conſtantiores clarioresque diſtri-

(*s*) Liceat repetere, quae *R. Conſtantinus* in Nomenclatore Inſign. Scriptor. Paris. 1555. per *Andr. Wechelum* impreſſo, de Auctore Euonymi profert. p. 168. „ Hic fortaſſe interpellatis, et „ inſtantes quaeritis, (quod diſſimulato dixerim) „ ecquod ſit Authoris nomen? Age vero quid „ ſi ipſe nomen ſuum efferri nolit? Tamen ego, „ vt Nomenclator, dicam quidem ſed ad aurem, „ etiamſi (quod nollem) moleſte laturus ſit, ac „ non niſi cum iſta exceptione, atque cautione, hoc eſt, ſi reticueritis. Nam vt ille, in „ Teſmophoriis ſeruus ſacrificaturus clamat. εὔφημος πᾶς ἔστω λεὼς στόμα συγκλείσας: Sic ego „ vobis edico, vt faueatis linguis, vel ſi mavultis, vno verbo, illud Domitianum praecipio, Silete. GESNERVM noſtis? οὗτός ἐστιν „ ὁ δεινὸς ἐκεῖνος, καὶ πάνσοφος. Is ne? αὐτότατος, „ inquam, et ipſiſſimus qui vobis aperte, et „ diſſimulanter prodeſſe nititur. Nunc ſi vultis „ (vti par eſt) homini gratiam habetote.

(*t*) Secunda editio fuit de anno 1558. vt habet E„ piſt. de libris a ſe editis. p. 25. a. n. 38.

(*u*) Vide Litteras ad *Io. Kentmannum* d. anno 1554. d. 22. Iun. Epiſt. Lib. IV. n. 4. et in aliis Epiſtolarum locis, ad varios datis.

(*w*) Vide Praefationem ad Euonymi partem ſecundam, quae ſcripta eſt anno 1569. Id. Aug. quo ipſe liber publicatus absque dubio fuit, qui tamen itidem annum in fronte non habet.

(*x*) Cui placet indicem ſpecialiorem contentorum reſcire, adeat Epiſt. de libris a ſe editis p. 25. a. et b. n. 39.

(*y*) Sub titulo: *Hieronymi Tragi*, de Stirpium, maxime earum, quae in Germania noſtra naſcuntur, etc. Commentariorum libri tres, in latinum conuerſi interprete *Dauide Kybero*. His acceſſerunt a fronte praefationes duae: altera D. *Conr.* GESNERI, Rei herbariae ſcriptorum, qui in hunc vsque diem ſcripſerunt, Catalogum complectens: altera ipſius Authoris, herbariae cognitionis laudes etc. continens. Corollarii vice adiectus eſt *Benedicti Textoris*, Seguſiani, de Stirpium differentiis ex Dioſcoride ſecundum locos communes libellus. Argentorati. *Wendelin. Ribelius* 1552. 4[to].

(*z*) In litteris ad *Bened. Aretium.* an. 1553. poſtridie Pentecoſtes ſcriptis, ita finit: „ Icones raras „ iam ſupra centum collegi.

(*a*) Vide ſupra *notam* (*y*) de *Trago* cuius Hiſtoriae adnexus eſt.

diſtributiones, prout interdum parua admodum ſunt inuentorum principia. Quidquid rei ſit, indubitatum exſiſtit, neminem praecedentium harum partium dignitatem tantam feciſſe, vt figuris ſuis in eas decenter repraeſentandas reſpicerent, vel inde aliquid inferrent ad cognationem generum et ſubordinationem ſpecierum tendens, quod tamen GESNERVS, vt ſuo loco eluceſcet, omnino ſuſcepit, et ſagaciſſime paſſim exſecutus eſt. Vt itaque nouum et incomparabile inuentum confirmaret, et in pluribus indiuiduis ſtirpibus diſquireret, hortum iam eo tempore habuit, in quo plantas non ſolum inquilinas aeque ac alpinas vndique e rure deportatas coluit, et ſtudioſe ſua manu plantauit: ſed et exoticas, et ab amicis communicatas ſeruauit, quarum non paruus numerus eo ipſo anno *quinquageſimo tertio* (*b*) floruit adeo eleganter, vt amicum HOLTZACHIVM quoque ad eius contemplationem ſequente anno laetus inuitare potuerit (*c*). Hoc adminiculo ſcrutinium inceptum inſigniter ſubleuare par fuit, pro lubitu exemplaria vegeta depromere, et commodiſſime pingere: quod plerumque artificio inimitabili fere, et mirabili felicitate ac facilitate manus praeſtitit, praeſertim poſtquam crebriore vſu id picturae genus familiarius ſibi reddiderat, quod omnem foecundi ingenii luſum reſpuit, et ſtrictiſſimam fereque ſeruilem poſcit imitationem. Icones haſce, ſi non omnes, tamen plurimas deſtinauit GESNERVS pro emendanda aeque ac locupletanda noua TRAGI Hiſtoria. Typographus enim *Wendelinus Rihelius*, poſt publicatam et bene ſuſceptam primam editionem Latinam enixe inſtitit, vt eandem amplificare et adnotationibus illuſtrare vellet: TRAGVS ipſe, iam ſenex et propter aduerſam valetudinem lucubrationibus ineptus, KYBERVS denique, Auctor verſionis, idem admodum in votis habuerunt, non autem hoc ſolum, ſed etiam vt de Helueticis plantis et alpinis aliquid adderet. Idem denique *Rihelius*, qui multis modis liberalem ſeſe gesſerat, vt promoueret inſtitutum, pro conficiendo itinere per Alpes, et pingendis iconibus, pecuniam GESNERO elocauit: (*d*) quod rarum vtique liberalitatis exemplum vocari debet in homine priuato, necdum erudito, multo minus opibus adfluente, in quo certe paucos noſtri temporis Magnates ne ſectatores quidem habet, tandum abeſt, vt ſuperetur. Vt igitur promiſſis ſtaret, et tam exſpectationi quam deſideriis horum virorum reſponderet Noſter, in corrigendo et poliendo TRAGO amplam operam collocauit, cum autem de publicatione tempus praeciſe neutiquam ſtipulauerit, variis praegnantibusque laboribus obrutus poſtea eſſet, et quaedam alia intercidiſſent, vt infra fuſius enarrabimus, conſilium mutauit, et conquiſitas obſeruationes ad condendum illuſtrius pleniusque Opus reſeruauit, ad quod poſterioribus temporibus propter multitudinem repertorum et collectorum nobilitatem inſenſibiliter quaſi inſtigatus eſt. Vix 1553.
autem expediuerat TRAGVM, cum KYBERVS, Argentinenſis, Hebraicae linguae Profeſſor, moritur, ex peſte funeſto et lugubri interitu abreptus menſe Ianuario anni huius *quinquageſimi tertii*, aetatis anno vigeſimo octauo. Hunc GESNERVS propter raram in tribus linguis eruditionem, et alia praeclara dona candide amabat, et ab eo viciſſim redamatus eſt: ita factum etiam eſt, vt moribundus KYBERVS, qui eo ipſo tempore Lexicon Rei herbariae trilingue compilauerat, et *Rihelio* edendum permiſerat, per parentem ſuperſtitem, foetum hunc imperfectum, cuius priores decem chartae modo impreſſae erant, GESNERO tradi, eiusque curae commendari mandauerit. Hic lubenter labori ſeſe commodauit memor amicitiae in Auctorem, et non ſolum paſſim quaedam emendauit, ſed et Idyllium Graecum amplum in eius laudem compoſuit; his etiam adiecit Tabulas Collectionum, in herbis menſtruatim obſeruandarum, quales KYBERVS ipſe addere meditatus fuit. (*e*) Cuncta haec tanta facilitate adornauit, vt ipſe liber Aprilis proximi initio eiusdem anni perfectus exſtiterit. Cum itaque hoc negotio ita velociter ſeſe extricaſſet, ſatis ſpatii adhuc nactus eſt, vt in aliam Naturalis ſcientiae partem, quae Hydrographiam concernit, falcem immittere potuerit, et elucubrare Libros duos de Thermis ac fontibus medicatis Heluetiae ac Germaniae,

E ac

(*b*) Catalogum eorum, quae anno 1553. in horto proprio floruerunt, adfectum propria manu inſcripſit exemplari Hiſtoriae *Tragi* ad finem, qui plantas Maii et Iunii Menſis ex parte continet; quem librum ex liberalitate Cel. GESNERI communicatum accepimus.

(*c*) Sic ſcribit ad *Coſm. Holtzachium* ad d. 6. Sept. 1554. Epiſt. Lib. III. p. 81. b. „ Quod ſi hortulum noſtrum inuiſere olim volueris, ſtirpibus innumeris, pro ſua magnitudine refertum, intra menſem aut prius inſtructiſſimum eum inuenies, non noſtratibus tantum et alpinis, ſed etiam exoticis plantis etc.

(*d*) Vide litteras ad *Leon. Fuchſium* ſcriptas. Epiſt. Lib. III. p. 138. a. et b.

(*e*) Titulus integer eſt: Lexicon Rei herbariae trilingue, ex variis et optimis qui de ſtirpium hiſtoria ſcripſerunt, Authoribus concinnatum per *Dav. Kyberum.* item: Tabulae collectionum in genere et particulatim per XII. menſes, in vſum pharmacopolarum conſcriptae per *Conr.* GESNERVM etc. in quibus obiter ſtirpium quarundam nomina Germanica, et alia quaedam a nemine hactenus tradita docentur. Argentinae apud *Wendel. Rihelium.* 1553. 8$^{vo.}$

Idem liber additis per *Caſp.* WOLPHIVM, GESNERI Tabulis de ſtirpibus earumque partibus, ex Theophraſto confectis. Tiguri. Froſchouer, 1587. 8$^{vo.}$ Vide Ill. *Seguierii* Bibl. p. 73.

ac Germaniae, qui maiori eiuſdem argumenti Operi, celebribus Iuntarum typis Venetiis exſcripto, inſerti ſunt. (*f*)

Multiiugis his ſimilibusque laboribus GESNERVS quidem muſeo adſtrictiſſimus detentus eſt, ſemper tamen ſubſeciuas aliquas horas habuit, quas aegrorum adminiſtrationi conſecrare voluit, ne hac etiam in parte honoribus Medicis, quos conſecutus erat, indignum ſeſe praeberet. Cum itaque vndique ſcriptis egregiis inclareſceret, domi etiam ſalubri conſilio et efficaci auxilio petentibus ſuccurreret, Senatus patrius tam ob ciues ſeruatos, quam vt eorum ſaluti amplius inuigilaret, circa hoc tempus decreuit Noſtro praerogatiuas et functiones Poliatri ſeu potius Archiatri; (*g*) cum plures adeſſent. Simulac honorificum hoc munus obire inciperet, publico commodo ſubuenire tentauit praeclaro quodam inſtituto, nec quieuit, donec a proceribus vrbis impetraſſet, vt auctoritate publica Medici patriae vrbis in ſocietatem coirent, vnitis viribus de ſalubritate tuenda et profligandis morbis conſilia caperent, ac incolumitati Rei publicae quisque pro ſua facultate proſpiceret. Hoc igitur ipſo primus Collegii ſic dicti Medici et Chirurgici Fundator extitit, quod magno vrbis emolumento in hunc vsque diem integrum ſubſtitit. Quemadmodum autem inter ſuos auctoritate creuit, ſic et ab exteris aduolarunt munera, famae exiſtimationisque adquiſitae non obſcura ſigna. *Va-*
1554. *lent.* nempe *Grauius*, Decimarius et Senator Fribergenſis, cui librum de Quadrupedibus ouiparis nucupauerat, vt gratum ſe exhiberet, et Noſtrum ad vlteriora ſtimularet, miſit montem metallicum cubitalem fere, in quo omne genus metallorum et foſſilium ſumma induſtria et artificioſe diſpoſitum fuit. (*h*) Adiecit aliud, ex pretioſo metallo, argento videlicet conflatum, et ſumma ſubtilitate elaboratum: exhibens ſimulacra rutae, ericae, fragorum, bellidis, millefolii et liliaſtri, quibus araneus et locuſta quaſi ſalitura adhaeſit, coloribus cuilibet propriis diſtincta, ſcitiſſime et ita affabre fabricata, vt vnum quodque eorum, formam, lineamenta, geniumque integrum ad naturae omnino ſimilitudinem praefiguraret. (*i*) Cariſſimus etiam *Io.* KENTMANNVS communicauit vltra ea, quae olim miſerat, librum aliquem pulcherrimum in quo ſua manu et ſumma diligentia vegetantium rariſſimorum magnam copiam depinxerat; (*k*) et ſequentibus annis pluries donis aliquibus, praeſertim e lapidum genere, Noſtrum ornauit. Icones iſtas per pictorem quendam depingi curauit, qui vero rudi plerumque manu id fecit, qua de re GESNERVS in ipſo exemplari, quod ſuperſtes adhuc eſt, non immerito queritur, picturas enim KENTMANNI melioris notae fuiſſe, quaedam in aliis Voluminibus diſperſae figurationes ſatis teſtantur, etiamſi GESNERIANO artificio multo inferiores ſint. Cuncta haec abſque dubio apud Noſtrum maximi fuerunt ſtimuli, quibus animaretur, vt eo alacrior in perquirendis naturae operibus pergeret. Sic ipſo hoc an-
1554. no *milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quarto* cum commodum collectionibus tempus eſſet, harum rerum cauſſa, peregrinationem Scaphuſiam in eiusque confinia ſuſcepit, vbi a *Coſma* HOLTZACHIO, Medico, ſuauiſſima humanitate vna cum ſociis itineris exceptus eſt. (*l*)

Poſtquam hac excurſione animum tam ex dulci colloquio, quam ex deprehenſis rebus leuauerat, acrius fere, quam vllo tempore ad conſueta negotia properauit. Hinc
1555. primis ſtatim menſibus anni *milleſimi quingenteſimi quinquageſimi quinti* Epitomen Bibliothecae ſuae primae partis a *Lycoſthene* prius inſcio Auctore editam, a *Ioſia Simlero*, amico coniunctiſſimo, et propriis additamentis (*m*) plus quam bis mille Auctoribus locupletatam, imprimi curauit, (*n*) in *Simlerum* vero potiorem huius laboris partem detulit, cum aliis implicatiſſimus ipſe eſſet. Eodem enim fere cum priori tempore Hiſtoriam Auium perfecit, et magnum de Chirurgia Volumen, a patruelibus impreſſum, (*o*) elabora-

(*f*) Sub titulo: De Balneis omnia quae extant apud Graecos, Latinos et Arabes tam Medicos quam alios Scriptores. Venetiis 1553. Fol. *Conr.* GESNERI Libri II. Excerptorum et Obſeruationum de Thermis tum Helueticis tum totius Germaniae, exſtant pag. 289. ſequ.

(*g*) Cl. SVLZERVS annum hunc 1554. explicite ponit; et ego quoque inuenio, *Iac. Ruffium* in dedicatione, ad Cal. Mart. 1556. ſcripta, ad Libellum ſuum de Tumoribus quibusdam phlegmaticis, quem GESNERO inſcripſit, hunc Archiatri et Profeſſoris Philoſophiae titulo compellare; ex tractatione vero ipſa fere adparet, quod munus hoc iam aliquod tempus geſſerit.

(*h*) Vide litteras ad *Io. Kentmannum* datas. Epiſt. Lib. IV. n. 8.

(*i*) Deſcriptionem ampliorem et laudes huius doni deprehendimus in litteris ad *Georg. Fabricium* ad d. 22. Iun. 1554. datis. Epiſt. Lib. III. p. 131. a. et b. et 132. a.

(*k*) Ita ipſe GESNERVS de hoc codice loquitur in litteris ad *Io. Cratonem* Epiſt. Lib. I. p. 5. b. et 6. a.

(*l*) Vide litteras ad Eundem datas ad d. 6. Sept. 1554. Epiſt. Lib. III. p 81. b.

(*m*) Vide Praefationem Epitomes ipſius et Epiſt. de libris a ſe editis p. 26. b. n. 50.

(*n*) Sub titulo: Epitome Bibliothecae *Conr.* GESNERI, conſcripta primum a *Conr. Lycoſthene* Rubeaquenſi, nunc denuo recognita et plus quam bis mille Authorum acceſſionibus, (qui omnes aſteriſco ſignati ſunt) locupletata per *Ioſiam Simlerum.* Tiguri apud Froſchouerum menſe Martio 1555. Fol.

(*o*) Titulus eſt: Chirurgia h. e. De Chirurgia ſcriptores

elaboratione ſolida, praeſtantiam et antiquitatem Medicinae chirurgicae laudante ornauit, ſimulque enumerationem alphabeticam Virorum, qui hanc Medicinae partem vel ſcriptis vel artis vſu excoluerunt, adpoſuit. Porro praefatione inſtruxit, et Enchiridii triplicis rei medicae nomine coniunctim edidit tractatus aliquot, quos iudicauit proficuos futuros lecturis. (*p*) Deinde opus peculiaris genii, et noui omnino generis promulgauit eodem adhuc anno, (*q*) quod ſumta ſimilitudine a Mithridatis Pontici regis ſingulari in linguis peritia, Mithridatem cognominauit. Admiratione vtique dignum eſt, tot quam maxime ſeuera, et tamen non parum inter ſe diſcrepantia ſtudiorum genera, quibus vnus ipſe ſatis facere concatenatis laboribus debuit, Noſtrum non adeo captiuum retinere potuiſſe, quo minus ſemper dilaberetur extra oleas ad campum aliquem, in quo noui quid euoluere potuit. Illud animi robur, quod plurimis negauit natura, et praeclarus feruor, quo impulſus omnes cogitationes impendit, de poſteritate bene merendi, nunc quoque effecit, vt tramitem calcare inciperet, a nemine, quantum ſcio, huc vsque tactum. Maximo fuit ſubſidio excellens GESNERI notitia linguarum non eruditarum ſolum, in quibus, praeſertim Graeca vt vidimus, anteſignanum quaſi agere poterat, ſed aliarum quoque quarundam inter Europaeas gentes vſitatarum. Prout curioſus erat circa quaeuis, quae aliquam modo mererentur attentionem, ita non ſolum ipſe de differentiis et conuenientia linguarum, tum veterum, tum earum, quae apud diverſas habitati orbis nationes vſu receptae erant, multas obſeruationes collegit, ſed et ab amicis non paucas hinc inde nactus eſt communicatas. Has Auditoribus, harum rerum cupidis, inter praelegendum, et quoties eam ob cauſſam illum accederent propoſuit, ſermonisque ſeueritatem eiusmodi iucundis intermixtis leniter temperauit. (*r*) Harum itaque partem cum eruditis edito libro communem fecit, aliam praecipue quae veterum Germanorum nomina concerneret, pro exquiſitiori complemento ad ſcrinia depoſuit. Nihil enim iam quaeſiuit aliud, quam vt plures, qui forſitan eodem inſtinctu cum ipſo ferrentur, hortaretur ſuo exemplo, vt ne opus forti auſu inchoatum deſererent, ſed poliendo, amplificando, certiora huc illuc eruendo, in litterarum liberalium incrementum continuarent. Sufficere poſſunt haec pro excuſatione momenta, ita vt veniam quam maxime mereatur, ſi qua in parte peccauit, vel minus recte quaedam diſpoſuit.

Inter tot diſtractiones plantarum ſtudio etiam ſatis faciendum erat. Ideo pro veteri conſuetudine, vi cuius tam animi, quam valetudinis gratia aut ſingulis aut altero quoque anno breuem aliquam peregrinationem, praeſertim montanam ſuſcipere ſolitus eſſet, hac aeſtate Lucernam et adiacentia viſitauit, adſcitis ſociis viae *Petro Figulo* Lithotomo, et *Petro Boutino*, Auinionenſi Pharmacopoeo: vltra quos ſecum etiam habuit pictorem, *Iohannem Thomam*, adfinem ſuum. Lucernam veniens a *Io. Chryſoſtomo* HVEBERO, Medicinae Doctore, non ſolum quaeuis humanitatis officia accepit, (*s*) ſed etiam a ciuibus nonnullis aliis priuatim benigne habitus eſt. Eximius autem et rarus honos a Magiſtratu ipſi exhibitus eſt, qui legatis aliisque ſub auctoritate publica accedentibus alias contingere ſolet: vinum nempe honorarium ipſi oblatum eſt. Quo facto veniam, vt mos erat, quaeſiuit, Montem ſic dictum Pilati ſiue fractum conſcendendi, qua a Praetore vrbis impetrata, miniſter publicus ipſi datus eſt, qui viam monſtraret, et caueret, ne periculum moueretur regioni, cui mons imminet; notiſſima enim ſuperſtitio plebem tunc adhuc occuparat. *Vigeſimo* igitur *Auguſti* die montem peragrare incepit, et pernoctauit in foenili. Adnotauit cuncta, quae oculis obiecta deprehenderet ex omni naturae regno. Hilaris domum reuertitur, (*t*) et paucorum dierum interuallo interiecto, *quinto* nempe *Cal. Septembris*, libellum in quo Montem fractum deſcribit, dedicauit, et aliis quibusdam, inter quos proprius de Lunariis, iunctum ad prelum expediuit. (*u*) In Comentariolo de

 Lunariis

ptores optimi quique veteres et recenſiores, plerique in Germania ante hac non editi, nunc a *Conr.* GESNERO in vnum coniuncti volumen Tiguri 1555. apud Andr. et Iac. Geſneros Frr. cum fig. Fol.

Contenta qui ſcire cupit, adeat Catalog. Biblioth. Riuinianae p. 473. et 474. n. 5381. et alios.

(*p*) Nempe 1. De pulſibus libellum, ex Galeno collectus Auctore incerto. 2. De iudiciis vrinarum *Io. Vaſſei* Meldenſis. 3. Morborum internorum curationem, ex Galeno et Marco Gattinaria per *Iac. Syluium* contractam. 4. De ratione victus in febribus ſecundum Hippocratem, *Brudi* Luſitani. coniunctim edita apud Andr. et Iac. Geſneros Frr. 1555. 8vo. Vide Epiſt. de libr. a ſe edit. p. 30. a. et b.

(*q*) TEISSIER l. c. p. 203. annum ponit 1558. dicens: „ Son Mitridate eſt plein d'obſervations „ tres-curieuſes. La premiere Edition eſt de „ Zurich. 1558.

(*r*) Vide SIMLER. Vit. p. 7. a. et b.

(*s*) Vide Dedicationem ad Deſcr. montis Fracti, ad eundem amicum directam.

(*t*) In ſchedula quadam inuenio, quod in hoc itinere cum ſociis *quatuor florenorum* impenſas fecerit.

(*u*) Sub titulo: *Conr.* GESNERI, de raris et admirandis herbis, quae ſiue quod noctu luceant, ſive

Lunariis, inter alia Toram primus pictam exhibuit, et Arthriticam icone diligenter exſculpta illuſtrat. (*w*) In montis deſcriptione vero, Helleborum album, qui flore viridi eſt, vt ex pictura ſuperſtite adparet, nominat, et plures alias, quas vocat Herbam cerui, Pinguiculam, Anemonen quandam alpinam, Gentianam puniceam, tunc minus in vulgus notas, curſorie tamen deſcribit. (*x*)

Facile adparet, quod hoc etiam iter non parum auxerit prolixam iam herbarum iconumque copiam, quam CONRADVS Noſter induſtrioſiſſime coaceruauerat. Harum enim incipiente vix anno hoc, tantus jam numerus erat, vt Io. KENTMANNO, cui codicem commodatum remiſit, iam tum ſcribere potuiſſet, quod mille figuras in promtu haberet; etiamſi non omnes pictae, et ad propriae methodi normam elaboratae fuerint, ſed paſſim etiam ex *Fuchſio*, *Trago*, *Dodonaeo*, *Matthiolo*, *Turnero*, *Bellonio* et *Lonicero*, vel aliis pluribus ſelectae. (*y*) Ideo quoque, quia praeter opinionem breui tempore multitudo rerum adquiſitarum creſceret, concitatus eſt, vt Hiſtoriam plantarum omnium, earumque vires vno Volumine complecti, primum nunc ſecum cogitare inciperet. Huc vsque enim de *Trago* ſolum exornando meditatus fuit, quem demtis inutilibus, et omiſſa inani loquacitate adnotationibus comtiorem reddere, vt ſupra innuimus, et ſuas obſeruationes de Helueticis ac alpinis plantis addere conſtituit, (*z*) Neque deſtitit penitus ab hoc propoſito, etſi conſilium ex parte mutauiſſet, ſed anni *milleſimi*
1556. *quingenteſimi quinquageſimi ſexti* aeſtate, praecipuam curam in hunc ſcopum direxit, emendando et locupletando Catalogum Scriptorum, olim ita concinne ordinatum; ipſo vero Operi vbique adleuit doctas curioſasque illuſtrationes atque caſtigationes, nomina praeſertim herbarum concernentes. Figuras non bonas vel omnino malas cenſet, et cuncta, vt non immerito concludi poteſt, inſtruit eum in modum, quo multo ornatiora in publicum prodire potuiſſent. (*a*)

Interim, dum haec agit Noſter, *Leonhard.* FVCHSIVS, a pluribus iam annis propter peritiam in plantarum cognitione famam permagnam nactus, adeo vt eam ob dexteritatem olim in Italiam vocaretur, vocationem vero repudiaret (*b*), GESNERVM ab hoc vel alio quocumque, herbas concernente inſtituto abſtinere quaerit, et litteris etiam ad eum datis dehortari ſuſcipit, (*c*) aliqua fortaſſis aemulatione vel alia adhue

ve alias ob cauſſas, Lunariae nominantur, Commentariolus etc. Eiusdem Deſcriptio montis fracti, ſiue Montis Pilati, iuxta Lucernam in Heluetia. His accedunt *Io. Du Choul*, Lugdunenſ. Pilati Montis in Gallia Deſcriptio. *Io. Rhellicani* Stockhornias. etc. Tiguri Apud Andr. et Iac. Geſneros Frr. in 4to. absque anno.

(*w*) In Voluminibus pictis ipſa haec figura ad latus poſitam habet Anatomen, quae tamen non eodem tempore, vel ſaltem ab alio artifice fabrefacta videtur.

(*x*) Picturae pleraeque earum, quas recenſet, ſeruantur in Voluminibus, elegantes ſane. Ne vnicae autem annum collectionis, prout in aliis frequentiſſime ſolitus eſſet, adſcripſit: quod ſi feciſſet, optime diiudicari poſſet, num vno hoc itinere omnia collegerit. Ideo quoque nihil certi determinare audeo, num ſequenti anno 1556. iterata vice in Monte fuerit; cum vnicum ſolum, eamque ob cauſſam fortaſſis non pleniſſimum huius rei teſtimonium, inueniam in litteris ad *Leonhard. Fuchſium.* ad d. 11. Febr. 1557. ſcriptis, vbi ita loquitur: „ De Victoriali, vt vocant, „ herba parum, quod ad Te ſcribam, habeo. In „ iugis montium altiſſimorum Heluetiae naſcitur. „ *Anno ſuperiore in monte Pilati prope Lucer-* „ *nam* reperi copioſe etc. vide Epiſt. Lib. III. p. 139. a.

(*y*) Vide litteras ad *Io. Kentmannum* ad d. 16. Martii 1555. datas. Epiſt. Lib. IV. n. 5.

(*z*) Vide Litteras ad *Leonh. Fuchſium.* Epiſt. Lib. III. p. 138. a. et b.

(*a*) Ad Hyoſcyami etiam albi figuram, quae pag. 134. exſtat, flores ſeparatim naturali magnitudine nitidiſſime adpinxit. Quae omnia edoctus ſum Codice, ex Cel. GESNERI praeclara beneuolentia transmiſſo eo tempore, cum haec compoſuiſſem.

(*b*) Cognoui hoc ex litteris manuſcriptis ad *Ioach.* CAMERARIVM, Patrem, Tubinga Lipſiam: ad Cal. Nou. 1544. datis; vbi ita ſe exprimit „ Quam enim ancipitem me reddiderit *Italica* „ *vocatio*, et omnia mea conſilia turbarit, ipſe „ facile coniicies. Nunc tamen plane decreui „ me oblatam conditionem velle repudiare, quod „ plenam eſſe periculorum intelligam, et quod „ pietas et religio me in eum proficiſci locum „ haud parum deterreant. Verum vtcunque „ animus nunc meus Italiam non reſpiciat, non „ eſt tamen, quod ob id hic mihi manendum „ cenſeam. Vt enim de alia conditione cogitem, „ multa me hortantur. - - Hic vt noſti, praeter „ ſalarium nihil lucri accedit, quanta enim noſtrorum ſit ruſticitas et inopia, probe etiam perſpectum habes. Accedit, quod poſt TVVM „ a nobis diſceſſum nullum habuerim amicum fidum - - - Et quod mihi longe eſt moleſtiſſimum, vbi aulici intellexerunt, *me accerſiri* „ *in Italiam*, multis modis, ne id facerem, mihi non tantum perſuadere conati ſunt, ſed et „ plurimum rogarunt. Iuſſerunt praeterea, vt „ optime de Principis benignitate et munificentia ſperarem, futurum enim, vt votis meis „ cumulatiſſime eſſet reſponſurus. Quam vanae „ autem illorum fuerint voces, nunc tandem, „ quum mendacibus me promiſſis lactatum eſſe „ ſentio, apparet. Quare hic non ſum perduraturus, niſi nulla prorſus alia conditio me digna mihi obtrudatur. Ita vt in Italiam etiam „ migrare, et pericula omnia adire malim, quam „ hac lege Tubingae diutius manere. Quod TIBI amico et fratri cariſſimo et fideliſſimo ſignificare volui. etc.

(*c*) Patet id ex litteris ad *Fuchſium* ad d. 18. Octobr. 1556. ſcriptis. Epiſt. Lib. III. p. 137. b. Vbi dicit: „ Minus gratum illud, quod ab eodem „ argu-

huc cauſſa in id compulſus. FVCHSIVS enim poſt editum primum de Stirpibus Volumen, multo omnino labore et ſumtibus collocatis tantam iconum et plantarum ſylvam conquiſiuerat, vt duos adhuc Tomos, primo non inferiores numero, elegantia ſuperiores inde conficere, (*d*) et aliquot annis poſt quindecim Centurias figurarum numerare potuiſſet. (*e*) Parata omnia cum edere vellet, neque ipſe impenſas facere valeret, typographus etiam, qui olim ſuccurrit, fidem datam rumperet, (*f*) ad Principes litterarum Patronos et Vrbium Magnates confugit, a quibusdam etiam largiter ſuffultus eſt, et ab aliis maiora adhuc ſperauit. (*g*) Vnicus ideo et ſolus Hiſtoriae plantarum conſcribendae aptus inter Germanos quaſi vt videretur, patrocinioque eo efficaciori dignior, noluit adiutorem: vel aemulum qui idem penſum tractaret, non tulit libenter. GESNERO vero, publicam vtilitatem priuatae ſemper praeponenti, ea e contrario nobilis animi fuit magnitudo, vt plures in eodem, quodcumque perueſtigare

F

„ argumento me abſterres.„ Aliter poſtea et ſpinoſo aliqua ex parte ſcribendi genere rem enarrauit FVCHSIVS in litteris ad d. 24. Nou. 1565. Tubinga Lipſiam ad *Ioach.* CAMERARIVM patrem datis, dicens: „ Quod GESNERI opus „ ingens in ſingulari apud quosdam ſit expecta„ tione, valde miror; quandoquidem ille ante „ annum fere ad me ſcripſerit, ſe nedum ſyluam „ eius operis ſibi adhuc paraſſe. Fac vero, an„ te meum prodeat, non laboro; vt qui GES„ NERI, optimi ſane amici, et crebro ad me „ ſcribentis, animum perſpectum habeam per „ omne fere genus autorum circumuolitantis, et „ ex retextis aliorum ſertis, nouas ſubinde co„ rollas concinnare gaudentis. Ita nuper vni„ verſum *Rondeletii* librum in ſuos de piſcibus „ Commentarios retulit. Pari ratione a me pe„ tiit, ſi ei permittam, vt pro arbitrio ſingula „ diſponat, ſe poſt aeditos meos Commentarios „ Paralipomena ſcripturum. Diſponat ipſe ſua, „ vt libet, ipſe non patiar, vt mea ſecus ac ipſe „ feci, diſponat. Iam coepit a me, de omni„ bus meis vt illum certum faciam, petere. Sed „ ſentio, quid moliatur, ideo ei deinceps nihil „ mearum ſtirpium mittam.

(*d*) Ita *Leonh.* FVCHSIVS ad *Ioach.* CAMERARIVM Patr. Tubinga Lipſiam ſcribit ad d. 16. Maii 1557. „ Totus ſum in abſoluendo eo opere, „ quod de ſtirpium hiſtoria meditor. Perfeci „ duos Tomos, quorum ſinguli quatuor iconum „ Centurias habent. Sum nunc in tertio pro„ greſſus, vsque ad Caput 80. qui totidem ha„ bebit imaginum Centurias. Mole ſua prioris „ Editionis opus ſi non ſuperant, certe aequant. „ Spero hunc meum laborem poſteritati profu„ turum. Hiſtoriae ſingulae erunt prolixiores et „ acuratiores, quam prior editio, quae prae hac „ ſordebit, habeat.

(*e*) Scribit FVCHSIVS ad Eundem CAMERAR. Tubinga Lipſiam ad d. 10. Aug. 1565. „ Caete„ rum memoria TE adhuc tenere arbitror, quod „ Commentarios meos, olim quidem coeptos, „ vtcunque de Stirpium hiſtoria inſcriptos, iam „ aliquot annis ſub incudem reuocatos, et mi„ rum in modum auctos, ita adornauerim, vt „ iam *vltra quindecim Centuriarum icones ha„ beant*, *opusque in maximae molis Tomos tres* „ *abierit.* Quum vero praeter ſumtus, quos „ feci hactenus maximos, iam nemo typogra„ phorum ſit, qui tantos quos eius Operis edi„ tio poſtulat, ſumtus facere velit aut poſſit, „ nempe *trium millium florenorum*, nec ipſe ſi„ ne meorum liberorum, vt noſti, extrema ia„ ctura tantum pecuniae ſuppeditare poſſim, id „ capere conſilii compulſus ſum, vt a *ſummis* „ *Principibus et Imperialibus ciuitatibus per lit„ teras ſubſidia petam*, vt illorum in me, aut „ potius Medicinae et herbariae rei ſtudioſos, „ munificentia, tantum pecuniae conſequerer, „ vt ſaltem aliqua ex parte typographo ſuccur„ rere queam, et in publicum tandem hoc opus „ prodeat. Faciam omnium eorum, qui opem „ ſuam in Operis editionem contulerunt, ho„ norificam mentionem, daboque operam, vt „ Poſteritas intelligat, Germaniae quoque no„ ſtrae ſtudiorum Maecenates non deeſſe. Quan„ ta vero diligentia optimaque Methodo hoc „ Opus conſcripſerim, nolo nunc ambitioſius „ praedicare, praeſertim apud TE, cui totus no„ tus ſum; ſpero intellecturos omnes, quorum „ aliquando in manus veniet. Hoc ſcio, me „ quam plurimos in *Theophraſto*, *Dioſcoride* et „ *Plinio*, locos non ſolum emendaſſe, ſed et „ dilucide explicaſſe. *Matthioli* mordacitatem „ et errores fere infinitos ita expreſſi, et confu„ taui, vt niſi ſtupidus ſit, poenitere illum de„ beat, me falſo et mendaciter multis in locis „ aput omnes traduxiſſe. Hoc iam vnum a TE „ peto, *vt laborem meum apud Illuſtr. Princi„ pem et Electorem ſic verbis ornes et praedices*, „ quem ſcio praeter alios Principes in eruditos „ omnes eſſe liberaliorem, vt ſentiam, me „ hoc meum conſilium non temere ſuſcepiſſe etc.

(*f*) Porro Idem ad CAMER. ſcribit ad d. 3. April. anni incerti. „ Commentarios meos de ſtirpium „ Hiſtoria in tres magnae molis Tomos digeſtos „ iam pridem abſolui. *Fefellit fidem mihi vi„ dua Iſingrinii et eius gener non obſtante*, „ *quod illam chirographo ſuo obſtrinxerint.* Ita „ nusquam, mi *Ioachime*, tuta fides eſt.

(*g*) CAMERARIVS Pater etiam ſubſidia obtulit, quae recuſat FVCHSIVS, et alia nominat, ſcribens ad Eundem Tubinga Lipſiam ad d. 24. Nou. 1565. „ *Quod optas TIBI concedi*, *vt facul„ tatibus etiam editionem meam adiuuare queas*, „ *opus minime erat.* Nam conſtat, TE pari „ mecum conditione eſſe, vt quae TIBI a Do„ mino largita ſunt, pro Tuis educandis ac ſu„ ſtentandis egeas. *Petam igitur ab iis potius*, „ *qui ſine ſuorum iactura nobis ſubſidio venire* „ *poſſunt. Senſi nunc Auguſtani Senatus muni„ ficentiam, et poſtea Ducis Bauariae liberali„ tatem, qui me donauit centum aureis. De* „ *Principe Boruſſiae mihi a quodam facta eſt ſpes* „ *fore vt quingentos florenos ab eo impetrem.* „ *Magnam etiam de Veſtro Principe ſpem con„ cepi*, quod ſciam eum in nugatorem *Matthio„ lum* ampliſſimas ſuppetias, vt ipſe palam glo„ riatur, contuliſſe. Cur igitur me, hominem „ Germanum, et de communi, vt ſpero patria „ optime meritum, idem ab ipſo poſtulantem, „ atque ad eum tanquam communem optimarum „ artium Maecenatem confugientem, non cle„ menter exaudiret, aut Italo inferiorem eſſe „ pateretur.„ Olim enim Tomum primum Hiſtoriae ſuae ſtirpium, coloribus pictum, cuius pretium tunc 15. floren. fuit, ad Electorem per CAMERARIVM pro commendatione miſit, vt patet ex litteris ad CAMER. Patr. ad d. 9. Cal. Dec. 1542. Rotenburgi ad Nicerum datis.

re ſuſciperet, argumento verſari vellet, longiſſime alienus a praeſumtuoſa eorum arrogantia, qui extra ſe nihil egregii dici aut effici poſſe credunt. Vt itaque et nunc facilem ſeſe praeberet, obtulit FVCHSIO, quod ſi ante editionem ſua mittere vellet, candide communicatas acciperet admonitiones circa ea, in quibus inuicem diſſentirent, vel permitteret, vt Noſter Paralipomena ſcriberet, per eundem typographum imprimenda, ne ſumtibus erogatis officerent: eaque ita inſtructa, vt ſupplerent ſolum omiſſa, et diſponerent ſimul omnes, in maiori opere contentas icones, ſecundum ordinem eum, quem GESNERVS tunc iam perſpectum habuit, vt qui naturae magis congruus eſſet prae omnibus hucusque cognitis. Poſtquam inter ambos hoc et ſequente anno, quin et ſerioribus temporibus, varia transacta eſſent, ad illum finem ſpectantia, (*b*) et FVCHSIO praeſertim neutra conditionum valde adrideret, GESNERVS ad primum ſuum inſtitutum ſuamque libertatem rediit, ac methodum ſuam amplius excolendam ſibi reſeruauit. TRAGI tamen ſimul nouam editionem ſepoſuit, et tandem deſeruit; quod vtique in culpa fuit, vt plurima cultoribus harum rerum vtiliſſima ſupprimerentur.

Inter haec, et primis quidem anni huius *quinquageſimi ſexti* menſibus, *Claudii Aeliani* Opera (*i*) perficit et prelis tradit, cuius de Animalibus libros ex Codicibus Auguſtanis, (vno Bibliothecae publicae, altero *Io. Iac.* FVGGERI,) tertia fere parte completiores reddidit, reliqua emendauit, animaduerſionibusque inſtruxit, et Carmen Graecum in Aelianum et vniuerſam philoſophiam praeſertim contemplatricem praepoſuit. Libellos etiam tres (*k*) Medici argumenti compoſuit, duos diaeteticos, tertium directum contra notas aſtrologicas Ephemeridum in ſectione Venae inſtituenda, ſuperſtitioſe noſtris interdum temporibus adhuc cultas. Vt denique curioſorum cupiditatem in magnum de Piſcibus opus aliquo modo leniret interim, quaedam de piſcibus et aquatilibus edidit, *Ouidii* Halceuticon nempe, Enumerationem aquatilium ſecundum Plinium, et eorundem Nomenclatorem Germanicum complectentia. (*l*) Volumen vero maius, de Piſcibus agens perfectum, imprimendum iam nunc dedit vltimis huius anni menſibus: (*m*) quod cito finiri non poterat, tam quia maxima rerum erat copia, quam quia aliquos Albis fluminis piſces a *Io.* KENTMANNO adhuc exſpectabat, quos nactus demum, ad finem inſerere in animo habuit. (*n*) Defatigationes autem, quas ita domi ſuae ſuſtinere debuit, non ſolum ſcribendo, ſed etiam cum iuſſu Magiſtratus aegros cuiuslibet conditionis inuiſere coactus eſſet, et paſſim caſus arduos tractaret, (*o*) iniuriis tempeſtatis aliisque minus congruis nunc forte ſuffultae, corpus grauiſſimis elapſorum praeſentiumque temporum laboribus iam fractum, ita debilitarunt, vt periculoſo morbo corriperetur, cerebrum inueſtante, quem acutum malignum interpretarer, ſub cuius declinatione ſaniem multam per nares cum leuamine et ſubſecuta ſalute reddidit (*p*).

Reſtauratis poſtea viribus Noſter pingendis et conquirendis herbis potiſſimum inſudauit: per *Caſp.* WOLPHIVM ſtirpium rariorum picturas a *Franciſco* FONTANO-NO

(*b*) Vide litteras ad *Leonh. Fuchſium* ſcriptas Epiſt. Lib. III. p. 137. b. vsque ad 139. a. quae prolixe de his agunt, et *notam* (*c*) *ſupra, proxime praecedentem.* quaedam etiam continentur huc pertinentia in litteris GESNERI ad *Io. Bauhinum*, Tubingae commorantem apud *Fuchſium.* Vide Epiſt. ad *I. Bauh.* p. 98. et 99.

(*i*) *Claud. Aeliani*, Pontificis et Sophiſtae, qui Romae ſub Imperatore Antonino Pio vixit, Meligloſſus aut Meliphthongus ab orationis ſuauitate cognominatus, Opera quae extant omnia, Graece Latineque e regione. Partim nunc primum edita partim multo emendatiora cura *Conr.* GESNERI. Tiguri apud Geſneros Frr. Fol. ſine anno. Dedicatio ad d. VI. Cal. Maii 1556. data eſt.

Io. Caſp. HAGENBVCHIVS, Canonicus et Antiquarius Tigurinus, curas ſecundas *Conr.* GESNERI in *Aelianum* ex manuſcriptis eius ad Cel. *Abr.* GRONOVIVM transmiſit, cum variis propriis coniecturis et emendationibus. Earum pars ad *Variam Hiſtoriam* pertinens inſerta eſt Editioni *Aeliani* nouiſſimae ſplendidae Lugd. Bat. 1731. 4[to.] reliquae autem ad Hiſtoriam Animalium facientes, quae multo plures et maioris momenti, editioni huius proximae ſeruantur. Vide Temp. Heluet. Tom. II. Sect. I. ann. 1736. p. 163.

(*k*) Libelli tres medicinales; Vnus de ſanitate tuenda: alter contra luxum conuiuiorum: Tertius contra notas aſtrologicas Ephemeridum in ſecandis venis. coniunctim prodierunt. Tiguri apud Geſneros 1556. 8[vo.]

(*l*) Impreſſi ſunt coniunctim Tiguri apud *Andr.* Geſnerum 1556. 8[vo.] vide Epiſt. de libr. a ſe edit. p. 27. n. 54. 55. 56.

(*m*) Ita enim ſcribit ad *Io. Kentmannum* ad d. 29. Octobr. 1556. Epiſt. Lib. IV. n. 6. „Iam enim „ſub prelo natant piſces mei, vix intra annum „enataturi, tantum eſt pelagus. Reliquos pi„ſces Albis veſtri, quos aliquoties iam petii, „ardentiſſime expecto.

(*n*) Vide Litteras ad *Io. Kentmannum* ad d. 17. Martii 1558. datas Epiſt. Lib. IV. n. 7.

(*o*) Vide Dedicationem *Iac. Rüffii* libello de Tumoribus etc. praemiſſam.

(*p*) Scribit de hoc ad *Achill. Pirmin. Gaſſarum* d. d. 19. Aug. 1565. „Mira mihi fuerunt, quae de D. *Ge. Fuggeri* filii cerebro, a vobis diſſecto, ſcripſiſti: quanquam inflammationem aliquam et pus in hac lue cerebrum inueſtare, poſtquam *egomet ante annos 9 fere eadem ex contagione laboravi*, et declinante morbo ſaniem multam per nares reddidi, ſemper exiſtimem. Epiſt. Lib. I. p. 40. b.

NO ſibi procurauit, et varia animalium hiſtoriam concernentia paſſim conquiſiuit. (*q*)
Verum enim vero, ne annum facile praetermitteret, quo non publicum aliquod indu-
ſtriae ſpecimen ederet, anno hoc *milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſeptimo* publica- 1557.
vit Epiſtolam ſatis prolixam, directam ad *Melch.* GVILANDINVM, Botanicum eius
temporis ſtrenuum et celebrem, Pataui docentem; in qua agit de ſtirpium aliquot no-
minibus vetuſtis ac nouis, de quibus Auctores diſſenſerant: acute diſſerit de verborum
ſignificatu, et in conciliandis corrigendisque Scriptorum locis diligentiam praeſtare ni-
titur. (*r*) Ad Graecas deinde litteras anno *milleſimo quingenteſimo quinquageſimo octauo* 1558.
rurſus diuertit, atque recognoſcit et curat graecos *M. Antonini Philoſophi*, Impera-
toris Rom. libros de ſe ipſo ſiue vita ſua. (*s*) Inter haec abſoluitur etiam Liber quartus
Animalium, piſcium hiſtoriam enarrans, cui potentiſſimum, quem modo inuenire po-
terat, dedit protectorem: FERDINANDVM nempe Germanorum Imperato-
rem, cuius notiſſima fuit propenſio in quodcumque fere ſtudiorum cultiorum genus,
in primis vero in Hiſtoriam Naturalem. Auguſtiſſimus etiam transmiſſum librum, fa-
ctamque oblationem gratioſe ſuſcepit: Auctorem non ſolum magni fecit, ſed et poſtea
ſe praeclaro quodam benignitatis ſigno ad illum propinauit.

Cum excelſiſſimum Orbis chriſtiani Caput propitium ſibi ſentiret Noſter, nihil mirum eſt, ſecundum hoc exemplum inter ſuos etiam eum in maiori ſtetiſſe exiſtimatione. Hinc ampliores domi honores ipſi habiti ſunt, atque ſimul maiori rei familiaris commoditate vti coepit. Paullo enim poſt Profeſſio Naturalis ſcientiae a Proceribus in ipſum collata eſt (*t*) non ſolum, ſed et numis et facultatibus tantum valuit, vt nouum hoc anno ſibi aedificare poſſet coenaculum, idque amplum, quindecim feneſtras complectens. Feneſtras has inuſitato forte, non minus tamen raro, quam iucundo ornamenti genere decorauit: per ſingulas enim digeſſit ſecundum certas claſſes, marinorum fluuiatilium et lacuſtrium piſcium ſpecies, elegantiſſime in vitro pictas. (*u*) Ordinare etiam incepit inter cimelia ſua maximam vim metallorum, lapidum, gemmarum aliorumque naturae productorum, quae hinc inde et ab amicis, dono, precibus atque numis comportauerat, et quotidie adhuc augebat. Inter haec recentia KENTMANNIANA, eaque quae ſupra vidimus, dona praecipuum locum obtinebant, quem omnino merebatur liberalitas datoris, qui non ſolum huius anni autumno piſces foſſiles in lapide fiſſili, quibus Noſter valde exhilaratus eſt, de nouo miſit, ſed etiam ſequentis anni initio inſignem metallorum theſaurum ſuperaddidit. (*w*) Inter has naturae diuitias interdum ſeſe abdidit et quaſi ſepeliuit, in cunctorum contemplatione honeſtum quaerens otium, et mentem a perpetuis laboribus paullum refocillans. Quia vero amoeniſſima quiete diu frui non poſſet, tardius proceſſit ordinatio ſingulorum ſub congruas claſſes, (*x*) quae praecipuum collectionum exſiſtit ornamentum. Nam cum in libris inter argumenta botanica MATTHIOLO contradicere coactus eſſet, hic contradictionis impatientiſſimus, et ex ambitioſiſſimis iis vnus, quales quodlibet ſaeculum vnum alterumque ſolum gignit, in ſecunda Commentariorum ſuorum editione GESNERVM contumelioſe adgreditur: vt itaque ſeſe tueretur contra malignas inimici obtrectationes, (nemo enim inſolenter carpendo gloriam, ſed iuſtiſſime ignominiam conſequitur) conſcripſit *hoc anno* Librum de Aconito: (*y*) hunc typis aliquoties euulgare in animo habuit, (z) rationibus tamen, infra exponendis in-

 ductus,

(*q*) De his plura legi poſſunt in litteris ad *Caſp. Wolphium* Epiſt. Lib. III. p. 122. a. et b.

(*r*) Excuſa eſt haec vna cum *Melch. Guilandi* Epiſtola eiusdem argumenti Baſil. apud Nic. Epiſcopium 1557. 8vo. cum iconibus tribus (quinque proprie) paruis, quae omiſſae ſunt cum recuderentur cum Epiſtolis *Matthioli* p. 143. ad 158.

(*s*) Impreſſi ſunt cum *Marini* libro de Procli vita Tiguri 1558. 8vo. Vide Epiſt. de libr. a ſe edit. p. 27. b. n. 58.

(*t*) Annum hunc nominat Cl. SVLZERVS, et colligi id poteſt ex verbis Praefationis ad Nomenclatorem Quadrupedum, vbi ſe contra *Matthioli* calumnias defendit, et dicit: „Haec inuitus „ publice ſcribo; neque de rebus ipſis ita con- „ tenderem; (quanquam harum etiam veritas „ *mihi homini ex profeſſo indaganti curae eſt*;) „ niſi *honoris etiam mei* - - - habenda eſſet „ ratio.

(*u*) Vide litteras ad *Io. Kentmannum* d. d. 27. Febr. 1559. Epiſt. Lib. IV. n. 10. Vbi explicite dicit: „ *Anno ſuperiori* ſtruxi coenaculum amplum in aedibus meis etc. conferri poſſunt, ea quae habet Epiſtola ad *Didym. Obrechtum*. d. d. 18. Martii 1560. Epiſt. Lib. III. p. 115. a.

(*w*) Vide litteras ad *Io. Kentmannum* d. d. 27. Febr. 1559. Epiſt. Lib. IV. n. 10.

(*x*) Queritur ea de re in litteris ad *Io. Kentmannum* ad d. 25. Aug. 1559. Epiſt. Lib. IV. n. 11.

(*y*) Concludere id licet ex verbis, in libro de Aconito deprehendendis p. 8. a. „ Argumento eſt liber noſter trilinguis *ante 16 annos* editus, etc. ſpatium itaque vtrique interiectum, annum hunc 1558. circiter determinat.

(z) In litteris ad *Io. Kentmannum* ad d. 25. Aug. 1558. Epiſt. Lib. IV. n. 9. haec habet: „ vt libellum „ de Aconitis, quem meditor breui edere, (ſal- „ tem ad nundinas vernas) in quo multa mirabi- „ lia leges, citius abſoluam. etc.„ Porro in litteris ad *Io. Cratonem* ad d. 6. Octobr. 1560. Epiſt. Lib. I. p. 7. a. ſcribit: „ Ego fortaſſe bre- „ vi edito de Aconitis libello, cuius amplam „ materiam in promtu habeo, nugas et figmen- „ ta ipſorum detegam etc.

ductus, ineditum reliquit, donec demum a *Caſp.* WOLPHIO, pro ſpecimine Hiſtoriae plantarum adfectae in lucem editus fuerit. (*a*) Hoc itaque et aliorum negotiorum multitudo in cauſſa fuit, quo minus iucundioribus ea ſerie incumberet, quam copia diſponendorum poſceret. (*b*)

Cuncti iſti acerrimique labores, in hunc vsque diem maximo iudicio et inexhauſta induſtria exacti, ac plerumque inſigni adplauſu illorum, qui bonas litteras amarent, excepti, non potuerunt non, quin et animum valde onerare, et corpus notabiliter enervare debuerint. Senſit itaque et tunc moleſtias, vitae ſendentariae pediſequas, ac ſibi iam circa renes grauior viſus eſt; ita, vt calculi generationem metueret, contra quam remedio aliquo, quod magnae ad eam rem experientiae poſſidebat, ſeſe muniuit. (*c*) In peregrinationibus etiam quoddam ſolatium quaeſiuit. Antequam vero ſe ad iter
1559. aliquod accingeret, ineunte anno *milleſimo quingenteſimo quinquageſimo nono* Nauigationem *Hannonis* in latinum verſam publicauit, (*d*) teſtimonia et iudicia de Auctore praepoſuit, et librum ipſum veram deſcribere hiſtoriam, dignumque eſſe antiquitatis monumentum ſenſit. (*e*) His confectis, accidit tunc bona fortuna, vt Imperator Romanorum FERDINANDVS ordines Imperii Auguſtam Vindelicorum conuocaret, et ipſe conuentui intereſſet; Medici Imperatoris (*f*) IVL. ALEXANDRINVS et AMORFORTIVS vt ſuſpicor, tunc videntes opportunam occaſionem communi amico inſeruiendi, coram Auguſtiſſimo Imperatore de ſumma Noſtri eruditione prolixa verba fecerunt, Caeſaremque cupidum reddiderunt, videndi Virum tantae celebritatis, ac tam ſolidae doctrinae. Cum ideo in mandatis acciperent, vt GESNERVM accerſerent, hic audito mandato, eo lubentius paruit, quia iter aliquod iam ſibi propoſuerat, liberior paullo erat, nec amplius adſtricta aut condicta typographis, vt fere antehac, ſua opera exiſtebat. Auguſtam ita peruenit, admiſſusque ad Summi Imperantis conſpectum, (*g*) clementiſſime exceptus eſt; Sapientiſſimus enim Caeſar, Dedicationem ante annum oblatam in memoriam reuocans, Librum ipſum de Piſcibus collatamque operam laudauit, illumque ſibi bene placere ſignificauit non ſolum, ſed etiam, dum eam Philoſophiae partem, quae naturae mirabilia tractat, impenſe amabat, de operis argumento, ac variis aliis rebus naturalibus, vltra horae ſpatium, gratioſe cum Noſtro collocutus eſt, eumque denique cum multa benignitatis teſtificatione dimiſit. (*h*) Singulari itaque hoc, et rariſſimo vtique honore auctus Auguſtam exceſſit, ac Argentoratum vrbem, quae eum toties iam fouerat, de nouo in tranſitu quaſi viſitauit, ibique vt gratus hoſpes a *Didymo* OBRECHTO, Medico, quibusuis hoſpitalitatis ſignis exceptus eſt. (*i*) Forſitan hoc anno, aut eundo aut rediendo Vlmam vrbem ſalutauit, et cum viris doctis, ibi degentibus, amicitiam iunxit. (*k*) Quidquid autem ſit, peregrinationibus

(*a*) Connexus Epiſtolarum Libris III. ſub titulo: *Conr.* GESNERI de Aconito primo Aſſeueratio. etc. per *Caſp. Wolphium.* Tiguri 1577. 4to.

(*b*) Scribit enim ad *Io. Hoſpinianum* Baſileenſem Organi Ariſtot. Profeſſorem. ad d. 5. Martii 1558. Epiſt. Lib. III. p. 102. a. „ Adeo negotiorum „ multitudine plerumque obruor, vt vix ego- „ met mei meminerim. etc.

(*c*) Vide litteras easdem ad Eundem *Hoſpinianum* Epiſt. Lib. III. p. 102. b.

(*d*) Sub titulo: *Hannonis* Carthaginienſium Ducis Nauigatio, qua maximam Libycae orae partem vltra Herculis columnas luſtrauit, e Graeco in Latinum conuerſa, adiectis ſcholiis. *it. Leonis* Africani Deſcriptionis Africae libri IX. coniunctim Tiguri apud *Andr.* Geſnerum F. 1559. 8vo.

(*e*) Confer, quae habet de ea re Theſaurus Bibliothecalis. Norimberg. 1738. 4to. excuſus. Part. I. p. 357.

Quod vero hos libellos ante iter inſtitutum expediverit patet ex litteris ad *Io. Kentmannum* ad d. 27. Febr. 1559. datis: Epiſt. Lib. IV. n. 10. vbi dicit: „ Mitto Tibi etiam *Io. Leonis* Africani, Africae „ deſcriptionem, cum Hannonis libello, a me con- „ verſo.

(*f*) Num CRATO iam in eorum numero fuerit, non inuenio, ad minimum videtur, eum tunc Auguſtae Vindel. non ſimul fuiſſe, quia GESNERVS in litteris ad illum quaedam Auguſtae comperta recenſet, *Cratoni* propter editionem Montani ſcitu neceſſaria, quae ipſe forſitan reſciſcere potuiſſet, ſi ibi fuiſſet. Vide Epiſt. Lib. I. p. 8. a. Sed potius Crato tunc adhuc Vratislauiae haeſit, ſcripſit enim ex eo loco Epiſtolam ad Noſtrum *hoc anno*, Cordo poſtea praefixam, et GESNERVS in litteris ad d. 8. Ian. 1564. datis in haec verba erumpit de re quaſi noviter acta: „ Quod in aula verſaris, id tibi felix „ et proſperum vt eueniat, opto. Plura pro „ confirmatione taceo.

(*g*) MORERI loc. pluries citat. ſocium itineris adducit *Andream* GESNERVM, patruum, cui 82. annos tunc iam tribuit: cum tamen Noſter ipſum anno demum 1564. ſenem octogenarium vocet Epiſt. Lib. I. p. 21. b.

Porro idem MORERI inter Medicos Caeſareos *Adolphum Occonem* recenſet, quod num ita fuerit, mihi non conſtat. Fuit equidem alius *Adolphus* Sigismundi Auſtriae Ducis Medicus, auus eius, de hoc vero, amico Geſneri, nihil inuenio.

(*h*) Rem ipſe GESNERVS ita enarrat in declaratione vltimae voluntatis circa Diploma Caeſareum, de quo infra occurret.

(*i*) Scribit enim ad Eundem. ad d. 18. Martii. 1560. Epiſt. Lib. III. p. 115. a. „ Quaecumque petieris mittam certe libenter et liberaliter: *pro-* „ *pter eximiae TVAE in me hoſpitalitatis me-* „ *moriam* etc. Confer ea quae infra nota (*l*) „ occurrent.

(*k*) GESNERVM Vlmae fuiſſe perſuadere poſſunt verba, quae inter Adnotationes ad *Val. Cord.* p. 192. a. poſuit, nempe: „ An lignum etiam, *quod Vlmae accepi*, Tari genus eſt?

tionibus hiſce bonam Veris atque Aeſtatis partem conſumſit, vltra quas, vt valetudini ſtrictius conſuleret in Thermis Badenſibus quoque fuit. (*l*) Ita vbicumque leuatus et honoratus, ſimul tamen cunctis his itineribus non parum doctior factus eſt in re herbaria plantarumque cognitione. Rediens ergo, ne finiretur annus, quo domi non aliquid boni adhuc confeciſſet, *Xenocratis* libellum, de alimento ex aquatilibus, graecum transtulit, eique ſcholia vna cum *Iani Dubrauii* de piſcibus et piſcium naturis libro ſubiunxit. (*m*) Priuato etiam ſtudio toto hoc anno in condenda ſtirpium ſuarum hiſtoria laborauit, ab ea tamen interdum digredi et libuit et licuit, quia de ea publicanda nondum certam fidem dederat. Hoc vero potiſſimum egit, vt *Valer.* CORDI, Simeſuſii, iuuenis in arte botanica et cognitione rerum naturalium verſatiſſimi Libros, quos praematura morte abreptus imperfectos reliquerat, ad editionem praepararet; quia curae ſuae optimo ſane conſilio commiſſi erant. Iam in illis concinnandis tantum promouerat, vt omnia huius anni aeſtate parata futura crediderit. (*n*) Cum autem itinera, quae recenſuimus, moram iniicerent: amici paſſim varia, ad eam rem pertinentia ſero adhuc transmitterent: typographus denique pro abſoluendo opere promiſſa non ſeruaret (*o*); editio dilata eſt vsque ad illam periodum, quam infra nominabimus.

Ne itaque, cum haec retardarentur, propria etiam paterentur ſtudia in re herbaria, ſed potius quotidie perfectiora euaderent: non ſolum ſubſidiis comparandis diligenter incubuit, ſed et ſumtus ſubinde pro facultate ſua magnos in eum ſcopum fecit. Struxit enim ſibi anno *milleſimo quingenteſimo ſexageſimo* hortum nouum, eumque priori am- 1560.
pliorem, exemplo *Didymi* OBRECHTI, Argentinenſis impulſus, in quem raras ſtirpes transtulit quam plurimas, quarum non exiguam partem per amicos, ex Gallia, Italia, Britannia, Germania, Poloniaque nactus eſt. (*p*) Eundem adhuc cultiorem reddidiſſet, niſi coelum minus propitium, vxoris continuo durans aduerſa valetudo, occupationes variae et alia quaedam impediuiſſent. Commodus hortus fuit faciendis pluribus vtilibus obſeruationibus, herbarum culturam, habitum, mutationesque concernentibus, quas ſedulo plerumque collegit, variisque vel libris, prout occaſio daret, adſperſit, vel ſaltem ſibi notauit in vſus futuros: ita idem duobus finibus ſuffecit, ex vna parte vt Noſter in cognitione naturae, in qua vnice fere delicias ſuas quaeſiuit, magis magisque ad altiora eniti, ex altera, vt ampla inde depromere potuerit auctaria pro exornando et complendo generali de plantis inſtituto. Deinde vt conſuleret deſideriis eorum, qui Operum de Animalibus nimiam prolixitatem molemque accuſabant, vel ſumtibus non ſufficiebant, idem quod antea iam de quadrupedibus et auibus praeſtiterat, de piſcibus nunc inſtruxit; itaque icones omnes quadrupedum nempe et auium ſecunda, piſcium vero prima vice de nouo edidit, vt commode nunc vno volumine comprehendi poſſent. (*q*) Vbique hic breuior eſt, quam antea in praecedentibus, ſaltem plerumque nomenclaturas variarum linguarum adpoſuit; varia autem notatu digna et noua in prioribus non occurrentia interſeruit, atque potiſſimum in id reſpexit, vt ordines et claſſes aliquas, quantum fieri potuit, ſeruaret vel inſtrueret. Aquatilibus demum *Hippolyti Saluiani* Romani, ex libro Romae interim edito, ſententias et nomina intulit. (*r*) Hunc in modum Animalium libros non ſolum perfectiores, vtiliores et adcuratiores efficere voluit, ſed etiam, vt ornatu externo ſeſe commendarent, icones coloribus naturalibus inſigniuit, et Typographo auctor fuit, vt pictores conduceret, qui tamen interdum negligenter vel minus exacte ſecundum coniecturas colores induxerunt (*s*).

G Inter

(*l*) Ita ſcribit ad *Io. Kentmannum* ad d. 25. Aug. 1559. Epiſt. Lib. IV. n. 11. „Bonam proximi veris „ aeſtatisque partem peregrinationibus conſum- „ ſi: *vna Auguſtam altera Argentinam* ſuſce- „ pta; et *nuper in thermis* etiam *noſtris* immora- „ tus ſum. etc.

(*m*) Vide Epiſt. de libr. a ſe edit. p. 27. b. n. 61. vt et Cel. *Bruckmanni* Biblioth. Animal. p. 74.

(*n*) Vide de his omnibus litteras ad *Io. Kentmannum* ad d. 27. Febr. 1559. ſcriptas. Epiſt. Lib. IV. n. 10.

(*o*) Vide litteras ad *Io. Cratonem* Epiſt. Lib. I. p. 7. a. et b.

(*p*) Vide litteras ad *Obrechtum* d. d. 18. Martii 1560. Epiſt. Lib. III. p. 115. a.

(*q*) Vide litteras ad *Io. Kentmannum* ad d. 28. Aug. 1561. ſcriptas. Epiſt. Lib. IV. n. 13. *item* litteras ad *Io. Cratonem* Epiſt. Lib. I. p. 7. b. *vt et* praefationes cuique Nomenclatoris parti praemiſſas.

(*r*) Vide ſpeciatim Praefationem ad Nomenclatorem piſcium etc.

(*s*) Merentur verba, quae de hoc negotio paſſim in litteris ſunt, integra adduci. Ita ſcribit ad *Io. Caium* ad d. 29. Aug. 1561. Epiſt. Lib. III. p. 135. a. „Typographus noſter iam diu *pictorem* habet, „ qui *libris noſtris de Animalibus omnibus picturas addit*: atque ita pictos vendit: *ſed parum accurate*. Simul autem duodenos aut „ plures pictor depingere ſolet. Quod ſi vnicum exemplar, idque diligentius depingendum ei foret, nimium forte pretium poſceret. - - *Plurimorum quidem picturae et colores veri nobis deſiderantur:* ita vt eorum icones vel ſine coloribus relinquendae ſint, vel ex „ coniectura, aut temere etiam pingendae.
Porro ſcribit ad Io. *Cratonem* d. d. 6. Febr. 1564. Epiſt. Lib. I. p. 20. a. „Hodie primum exemplar „ vnum

Inter haec et nunc moleſtus lumborum dolor, quem olim iam ſenſit, de nouo impetum fecit, et quotidie in peius abiit. In coxendice quidem leuior dolor fuit, acerrimus vero totum crus dextrum, quod prius obſtupefactum modò fuit, demum occupauit, et praeſertim ad quatuor ſub genu digitos in parte exteriore muſculos peſſime habuit, ita vt neque ſtare neque ſedere, aegerrime autem ſcribere poſſet, noctesque plures inſomnes tranſigeret. (*t*) Cruciatus hos variis remediis debellare conatus eſt:
1560. emplaſtris, fomentis, enematibus acribus, aliisque; inter omnia vero fumus ſiue calor ex aqua vitae ardente, crure in lagenam vbi accenderat immiſſo, exceptus, in primis vomitus cum oxymelite ſuo concitatus profuit. Leuamen etiam ſentire credidit ex vlcere, in aegri lateris nate inter principia morbi ſponte oborto, quod cauterii alicuius vices praeſtiterat, vt putauit. Remittente ſenſim dolore, ſtupor et grauitas ſecuta eſt, et paullo liberiorem reddidit Noſtrum, vt nactus forte nauim, ad thermas Badenſes deſcendere valuerit *Auguſto menſe.* (*u*) Ibi Thermis, apud inferos vocatis, (*w*) vſus eſt; ex quibus ita quidem leuatus fuit, vt etiam longiuſcule ambulare potuerit, et melius habens cadente aeſtate ad ſuos redire: (*x*) non tamen penitus liberatus eſt, ſiquidem reliquias morbi initio ſequentis anni adhuc perſentiſceret. (*y*) Has ſperauit expellere vſu Balneorum Burmianorum? (*z*) vt itaque horum vires experiretur, et noua quaedam nondum nota in regnis naturae erueret, veteres amicos ſaluta-
1561. ret, nouos adquireret anno *milleſimo quingenteſimo ſexageſimo primo*, ſimulac tempus itineribus et plantis decerpendis aptum ingruit, in Rhaetiam mouet. Primum vt videtur Curiam accedit, vt inuiſeret amiciſſimum ſibi *Io.* FABRICIVM, Verbi diuini Miniſtrum, a quo plures plantas rariores huc vsque habuerat, et poſtea quoque nactus eſt. Ibidem adſciuit inter alios, itineris comitem D. TSCHARNERVM, Conſulem Curienſem, (*a*) et Rhaeticas alpes perreptauit, Braulium praeſertim Montem conſcendit, (*b*) ac ad ſummam vsque vallem Telinam penetrauit. Telii in liberaliſſimo hoſpitio D. GVICCIARDI, Medici fuit, et Tyrani aliquod tempus commoratus eſt, (*c*) quin etiam ad finitima Inſubrum et Venetorum loca peruenit, et per multos altiſſimosque Montes profectus eſt. (*d*) In excurſione itaque hac vbique maximo, vt ſolitus eſſet, feruo-

„ vnum librorum de Quadrupedibus, Auibus et „ piſcibus coloribus illuſtratum, habere potui: *id* „ *indicatur florenis ſeptem, non ſatis vero diligenter factum eſt.* Colores in multis non placent „ mihi, et magis forte in communibus animalibus „ quam peregrinis. etc.

Deinde ad Eundem d. d. 26. Martii 1564. Epiſt. Lib. I. p. 22. a. haec habet: „ Icones animalium „ an petiiſti pictas? Ignoſce obliuioni. - - Pictas „ coloribus non puto hoc tempore haberi: et „ Francfordia Typographus noſter vix ante duodecim dies redibit. *Negligenter omnino et perfunctorie pinguntur, quae Typographorum auaritia eſt. Et aliqua nobis incognita non niſi ex coniectura pingi poſſunt.* Si tamen eiusmodi velis, mittam, etſi metuo, ne tunc aliquanto deterius pingantur, quam proximis annis.

Tandem ad *Ioach.* CAMERARIVM. F. Norimbergam ad d. 27. - - 1565. ſcriptae litterae ineditae adſunt, quae ſequentia continent: „Libri „ mei de Animalibus, ſuis depicti coloribus hic habentur. *Nempe Iconum cum nomenclaturis Libri tres*, qui Bibliopolis Francfordiae a Typographo noſtro *florenis ſex* vendi ſolent, recte „ autem vno Volumine colligantur. Sed et Libri, „ qui Hiſtorias Animalium continent Germanice „ translati (qui et ipſi in vnum Volumen craſſiusculum coniungi poſſunt) habentur: quorum pretii iam non memini; puto autem florenis ſeptem vel octo ad ſummum vendi, cum coloribus illuſtrati ſint.

Cuncta haec ideo et adeo prolixe moneo, ne forte quis GESNERVM imperitiae reum faciat, vel ſiniſtrum aliquod iudicium de omnibus Eius iconibus ferat, quando vnum alterumque exemplar minus adcurate pictum inſpexerit.

(*t*) Vide ad *Io. Fabricium* d. d. 12. Iul. 1560. Epiſt. Lib. III. p. 88. b. et litteras ad *Io. Bauhinum* ad d. 14. Iul. 1560. Baſileam ſcriptas. Ep. ad Io. Bauh. p. 97. *item* litteras ad *Io. Fabricium* ad d. 19. Iul. eiusd. ann. Epiſt. Lib. III. p. 89. a. denique litteras ad *Coſm. Holtzachium* ad d. 15. Nou. 1560. Epiſt. Lib. III. p. 83. b.

(*u*) Vide litteras ad *Io. Bauhinum* ad d. 21. Aug. 1560. Badae datas. Epiſt. ad Io. Bauh. p. 97. et 98.

(*w*) Ita finit litteras ad *Taddaeum Dunum* Locarnenſem Med. ad d. 20. Aug. eiusd. anni ſcriptas. Epiſt. Lib. III. p. 88. a. „*Badae apud inferos*, „ ſic enim Thermas, quibus vtor, vocant.

(*x*) Scribit ad *Caſp.* WOLPHIVM. ad Cal. Sept. huius anni Bada. Epiſt. Lib. III. p. 123. a. „Revertar ad vos hiſce diebus.

(*y*) Vide litteras *Io. Fabricio* d. d. 20 Martii et d. d. 13. April. 1561. miſſas. Epiſt. Lib. III. p. 89. b. et 90. a.

(*z*) Vide litteras ad *Io. Fabricium* easdem, quae nota praecedente citantur.

(*a*) Vide litteras ad *Io. Bauhinum* ad d. 5. April. 1564. et alias ad d. vlt. Iun. ei. ann. ſcriptas Epiſt. ad Io. Bauh. p. 137. et p. 145. Num vero ipſe *Io.* BAVHINVS inter ſocios fuerit, non quidem nego, attamen nullibi expreſſum deprehendere potui. Niſi aliae fortaſſis ſuperſint probationes, ad minimum litterae ad *Io. Hoſpinianum* d. d. 24. Aug. 1561. Epiſt. Lib. III. p. 102. b. de itinere Rhaetico quidem, non vero de *Bauhino* loquuntur. Deinde GESNERVS, *Io. Bauhino* Aprili huius anni Baſileam, Octobri vero Montempeſſulanum ſcribit, et praeſertim in vltimis longum ſilentium excuſat. Tandem in litteris ſtatim ab initio citatis, Viros aliquos *Bauhino* commendat, qui in hoc itinere propter liberalitatem et hoſpitalitatem bene meriti de GESNERO erant. Quo vix videtur opus habuiſſe, ſi *Bauhinus* teſtis ipſe fuiſſet; vel ſaltem GESNERVM verbis vſum fuiſſe probabile eſt, rem inter ambos notiſſimam exprimentibus, vt alias frequenter ſolitus eſt.

(*b*) Vide Additamenta ad Hort. Germ. in Cord. p. 299 b.

(*c*) Vide litteras ad *Io. Bauhinum*. d. d. vlt. Iunii 1564. Epiſt. ad Bauh. p. 145. et Adnotat. ad Cordi p. 288. a.

(*d*) Vide litteras ad *Io. Caium*. d. d. 29. Aug. 1561. Epiſt. Lib. III. p. 133. b.

feruore in plantas inquiſiuit, plurimasque diuiti iam ſuae collectioni intulit, de quibus picturae pulcherrimae ſuperſtites teſtantur. Simul autem vt fontium naturam cognoſceret, et valetudinis rationem haberet, Curiae ſtatim in pratis montoſis fontes duos acidos inſpexit, de quorum indole poſtea cum amico *Io.* FABRICIO egit; (*e*) vlterius duobus in locis balneo vſus eſt per aliquot dies, in vno etiam ſtillicidio, (*f*) ſiue id fuerit in Thermis Burmianis, quas ideo viſitauit, ſiue aliis quibusdam aquis ſoteriis; plures enim ad examen vocauit, et ex vno fonte Sal quoddam amarum, quod Nitrum verum antiquorum contra *Bellonii* ſententiam ſtatuit, ex fonte Scultini vero aliud ſalſum magis et acrius excoxit atque parauit; (*g*) bibit denique aquas vnius ſalſi acidi multo cum fructu. Non enim ſolum viribus aquarum medicatis, ſed etiam corporis exercitatione, amicorumque adloquio, tantum conualuit, vt melius ſeſe haberet, quam ante plurimos annos. (*h*) Ita integro menſe in his locis moratus, et viam emenſus itinere octidui a Tiguro diſtantem, domum reuertitur medio Iulio, (*i*) variis naturae donis locupletior. Stirpes enim varias in Commentarios non ſolum ſuos inſeruit, ſed et in horto plantauit, quem quotannis auxit, et elapſo modo Vere proprium nuncium ad *Franciſc.* CALCEOLARIVM tam longinquo itinere miſit, qui plantas aliquas rariores, benigne conceſſas ab eodem, tuto et cito adferret. (*k*) Ampliſſima ſic etiam nactus eſt auctaria ad librum de Thermis et fontibus Heluetiae atque Germaniae, olim excuſum, huc vsque autem toties recoctum et ampliatum ab Auctore, vt aliorum in hanc rem collatam operam diligentia et multitudine obſeruationum ſuperare poſſet, ſi recuderetur, quod GESNERVS et nunc et pluries poſtea in animo habuit. (*l*)

Hac demum aeſtate abſoluitur *Val.* CORDVS, per *Ioſiam Ribelium* (*m*) Argentorati typis exſcriptus, (*n*) et cura GESNERI ita correctus et adornatus, vt inter digniſſimos eius aetatis Codices botanicos numerari poſſit. Praemiſit quoque prolixum Catalogum ſcriptorum, qui in *Dioſcoridem* Commentarios compoſuerunt. Libris quatuor de plantis pro ornamento adiecit figuras, plerasque equidem ex TRAGO deſumtas, quas Typographus paratas adhuc habuit: nonnullas ex Operibus aliorum, qui libros imaginibus ornauerant, praeſertim ex MATTHIOLO et DODONAEO; aliquas etiam ex iis, quae *Io.* KENTMANNVS communicauerat, reliquas ex ſuis picturarum theſauris, non tamen ſemper adeo elegantes, quam illae eſſent, quas proprio inſtituto deſtinauit, iſtarum enim duae modo aliquid de charactere additum monſtrant; ſiquidem extra dubium poſitum videtur, quod huius inuenti pleniorem notitiam et declarationem ſibi ſoli ſuisque libris reſeruauerit. Subiunxit his *Bened.* ARETII amici Opuſculum, plantarum recenſionem continens, quam Auctor in GESNERI gratiam conſignauerat: et Gallandae Montis breuem deſcriptionem *Io.* FABRICII; quae excipit Liber de Hortis Germaniae cum Appendice. Compoſuerat hunc menſibus hibernis anni ſuperioris *ſexageſimi:* (*o*) et Catalogum non ſolum ſuppeditat vniverſae fere Europae, tunc notorum hortorum, praeſertim vero Germaniae; ſed etiam dum plantas ipſas recenſet, varia notabilia immiſcet, et frequentiſſime locos natales, potiſſimum in patria addit. Primus, vt pluries iam in aliis ſtudiorum generibus fecerat, laborem eiusmodi adorſus eſt, et poſteritatis gratias vel ideo promeruit maximas, quod hunc in modum ſeruauerit tot Virorum, qui hortos coluerunt, memoriam, quae alias nobis periiſſet. Cum autem typographi negligentia vitia irrepſerint permulta,

(*e*) Vide litteras ad illum d. 12. Octobr. 1562. Epiſt. Lib. III. p. 92. a.

(*f*) Vide litteras ad *Coſm. Holtzachium.* ad d. 18. Iul. 1561. Epiſt. Lib. III. p. 85. a.

(*g*) Euolui poſſunt de his omnibus litterae ad *Io. Cratonem.* d. d. 16. Aug. 1561. Epiſt. Lib. I. p. 1. b. ad *Io. Fabricium.* d. d. 3. Sept. ei. an. Epiſt. Lib. III. p. 91. a. ad *Io. Caium.* d. d. 29. Aug. ei. an. Epiſt. Lib. III. p. 134. a. et ad *Io. Kentmannum* Epiſt. Lib. IV. n. 13.

(*h*) Vide litteras ad *Achill. Pirm. Gaſſarum.* d. d. 7. Iun. 1562. (ita enim confitenter corrigere poſſum annum, qui ibi 1561. ponitur) Epiſt. Lib. I. p. 23. a. vbi dicit: „ *Superiori aeſtate* in „ Rhaeticis alpibus fontem ſalſacidum bibi etc.

(*i*) Vide Epiſt. ad *Io. Cratonem.* d. d. 16. Aug. 1561. Epiſt. Lib. I. p. 1. b. et ad *Io. Caium* ſupra cit. Epiſt. Lib. III. p. 133. b.

(*k*) Vide Dedicationem Appendicis Libri de Hortis Germaniae, *Calceolario* factam. apud Cordum p. 288. a.

(*l*) Conferantur litterae ad *Io. Caium*, *Io. Fabricium* et alios ſcriptae.

(*m*) Hic fuit *Ioſias*, *Wendelini Ribelii* ſupra nominati filius, quem *Wolfg. Fabric. Capito* anno 1525. Hagenoae primum ſacro baptiſmate abluit absque caerimoniis antea inter Papales ſuetis, in maxima hominum frequentia, rem inſolentem videre cupientium. Vide *Melch.* ADAM. Vit. Theolog. Germ. p. 91.

(*n*) Titulus eſt. *Val.* CORDI Simeſuſii Annotationes in Dioſcoridis de Materia Medica Lib. V. longe aliae quam antehac ſunt euulgatae. *Ei.* Hiſtoriae ſtirpium Libri IV. poſthumi. *Eiusd.* Sylva, etc. *Ei.* de artificioſis extractionibus liber. *Ei.* Compoſitiones medicinales aliquot. Accedunt Stocchornii et Neſſi etc. deſcriptio *Bened. Aretii.* *item Conr.* GESNERI de hortis Germaniae etc. Argentorati 1561. per *Ioſ. Ribelium.* Fol.

(*o*) Vide Dedicationem huius libri ad *Steph. Lauraeum Amorfortium* directam. Cord. p. 236. a.

ta, neque vltimae caſtigationes, a Noſtro miſſae, fuerint additae; (*p*) Liber demum CORDI de plantis quintus ſero miſſus, et prioribus maximam partem fere diſtractis, nempe biennio poſt anno *ſexageſimo tertio* imprimi potuerit: eas igitur ob cauſſas nouam omnium editionem meditatus eſt; (*q*) neque ſolum vitia pleraque correxit, ſed et varia, quae vſui eſſe poſſunt, ſubſtituit. Vnde natae ſunt adnotationes ipſiſſimae, quas infra adiunctas non inuidemus iis, qui GESNERIANIS fauent ſtudiis.

Series dicendorum non permiſit, vt mentionem facere potuiſſemus libelli, quem huius anni principio videtur compoſuiſſe de prodigio aliquo, quod per plures Germaniae regiones igneum et ſanguinei coloris in aere adparuit. Ea noſtri iterum fuit modeſtia, qua nomen proprium diſſimularet, et in adſcititium *Conradi Boloueſi* mutaret. (*r*) Probata interim eſt interpretatio haec ab exteris ita, vt ab Anglis, iuſtis ſemper egregiorum aeſtimatoribus, in ſuam linguam verteretur. Adeo nihil in natura euenit, quod eius attentioni euadere potuerit. Non autem in eo ſolum ſubſtitit, vt propria induſtria latiſſimum ſcientiarum campum, vbi modo poſſet, excolere et locupletare tentaſſet: ſed alios etiam excitauit re et conſilio; vt in idem praeclarum conſpirarent negotium. Hinc *Ioſuam* PICTORVM, Tigurinum, hortatus eſt et iuuit efficaciſſime, vt Dictionarium Germanicum et Latinum copioſiſſimum conficeret, quod cum imprimeretur, praefatione muniuit, in qua de lingua Germanica in vniuerſum, eius dialectis, ſcriptisque nouis et recentibus commentatus eſt, ſimul autem in id inquiſiuit, quod ei cum Gothica et Gallica lingua commune eſſet. (*s*) Collegerat enim hucusque eum in finem, vt origines Germanicae linguae Gothicos demonſtraret, quantum nanciſci potuit de characteribus Gothicis, (*t*) et poſtmodum a *Io. Wilhel.* REYFFENSTEINIO, qui prope Stolbergam habitabat, vna cum foliis aliquot et *Ottfridi* Euangelio Lucae, Alphabetum Gothicum, aliaque eius linguae accepit ſpecimina, qualia etiam *Georg.* CASSANDER e Colonia miſit. (*u*) Mithridatem enim ſuum multo perfectiorem aliquando edere in animo habuit.

1562. Neque annus *milleſimus quingenteſimus ſexageſimus ſecundus* abſque laboribus fuit diligentiſſimo Viro. Concinnauit enim praeclara prolegomena in *Galeni* Libros latinos, Baſileae recudendos, quibus non ſolum *Galeni* Vitam prolixam inſeruit, et pro vaſta, quam poſſidebat, librorum notitia, iudicio plenum Catalogum adiunxit interpretum Auctoris omniumque, qui quoquo modo Galenicam doctrinam illuſtrarunt; ſed etiam plurima praeſtantia adſperſit, rem Medicam vniuerſam, et futuri abſoluti medici exemplar illuſtrantia. (*w*) Publicauit etiam *Caſſii* Iatroſophiſtae libros, diu ſub manibus tractatos (*x*) et interpretatione propria aeque ac ſcholiis inſtructos. Addidit illis *Ant.* SCHNEBERGERI conterranei et diſcipuli quondam ſui, (*y*) Catalogum Medicamentorum ſimplicium, peſtilentiae veneno aduerſantium. (*z*) SCHNEBERGERVS, vt gratum ſeſe oſtenderet erga Praeceptorem, olim in ornanda Animalium hiſtoria vtilis fuit, vt ſupra vidimus: poſtea plantas miſit Cracouia, vbi vitam egit; (*a*) demum GESNERVM nobili cuidam Polono ita commendauit, vt res raras, ad hiſtoriam naturalem, praeſertim animalium ſpectantes largiretur non ſolum, ſed et hoc circiter tempore litteras ad ipſum daret, quinque ducatis geminis onuſtas; quo vtique dono, eximio tunc, inſtinctum ad maiora ſufflare, et nomen honorare voluit. (*b*) Noſter etiam ſimili plane modo quo Germanicae

(*p*) Confer litteras ad *Io. Cratonem.* d. d. 15. Febr. 1562. Epiſt. Lib. I. p. 10. a. et b. ad *Eundem* d. d. 16. Aug. 1561. Epiſt. Lib. I. p. 2. a. litteras ad *Io. Kentmannum.* ad d. 28. Aug. 1561. Epiſt. Lib. IV. n. 13. ad *Io. Caium* d. d. 29. Aug. 1561. Epiſt. Lib. III, p. 134. a.

(*q*) Vide litteras ad *Io. Cratonem* ad d. 28. Dec. 1562. Epiſt. Lib. I. p. 11. b. ad *Eundem* d. d. 12. Nouembr. 1563. Epiſt. Lib. I. p. 14. b.

(*r*) Rationem huius rei reddit in Epiſt. de Libr. a ſe edit. p. 28. a. n. 63. Cel. etiam SCHEVCHZERVS in Biblioth. Hiſt. Nat. p. 23. Sub hoc nomine librum recenſet, cuius titulus: *Conradi Boloueſi* Fridemontani, Hiſtoria et interpretatio Prodigii, quo coelum ardere viſum eſt per plurimas Germaniae regiones, ineunte anno 1561. die tertio a natali Dominico, qui pueris innocentibus dedicatus eſt: et de aliis quibusdam prodigiis veteribus ac nouis.

(*s*) Vide Epiſt. de Libr. a ſe editis p. 28. a. n. 64.

(*t*) Vide litteras ad *Achil. Pirm. Gaſſarum* Epiſt. Lib. I. p. 26. b.

(*u*) Quod factum eſt anno 1563. Vide litteras ad *Achill. Pirm. Gaſſarum* Epiſt. Lib. I. p. 28. a.

(*w*) Vide litteras ad *Theod. Zwinggerum* Epiſt. Lib. III. p. 106. a. De huius vero laboris praeſtantia, recentiſſima teſtimonia Cel. KAESTNERI, deprehendi poſſunt in Biblioth. Med. p. 38. §. 19. et p. 102. §. 11. vbi inter alia dicit: quod prolegomena iſta contineant, minime vulgaria, lectuque longe vtiliſſima, et notatu omnino digna, et quod Auctores recenſiti plerumque cum vtili cenſura dimiſſi ſint.

(*x*) Mentionem enim eorum iam facit in Bibliothec. Vniuerſal. p. 181. b.

(*y*) Vide Praefationem ad Libellum de rerum foſſilium figuris p. 1. a.

(*z*) Integrum titulum vide in Epiſt. de Libr. a ſe editis. p. 28. b. n. 69.

(*a*) Scriptum reliquit hoc GESNERVS in Codicis KENTMANNIANI frontiſpicio.

(*b*) Vide litteras ad *Achill. Pirm. Gaſſarum.* Epiſt. Lib. I. p. 24. a.

nicae linguae curam habuit priori anno, nunc Medicae artis perfectionem ante oculos habuit, et cum ipſe non poſſet, *Io.* BAVHINO, cum quo huc vſque familiariter egerat, conſilium dedit, vt Lexicon Medicum conſcriberet, (*c*) BAVHINVS laborem ſuſcepit, ſuaſore circa inſtructionem operis exſiſtente *Roberto* CONSTANTINO, qui tunc opportune cum DALECHAMPII picturis et libris Baſileam venerat. (*d*) GESNERVS ipſe conſtituerat quidem apud ſe hac aeſtate, montes aliquot remotos et praealtos nouiter inuiſere; (*e*) valetudinis vero aduerſae ratio videtur obſtitiſſe, eumque coegiſſe, vt ad diem *duodecimum* Auguſti, huius anni, Badam tertium deſcenderit, et aegram vxorem, quae ibi iam ante lauabat, inuiſerit. (*f*) Ibidem ipſe aquarum, ab Atrio poſteriori vocatarum, vires expertus eſt, et primo die quinquaginta vncias calide bibit mane, poſt meridiem balneo inſedit. Altero die ſeptuaginta quinque vncias, tertio centum adſumſit, et bene ſeſe habuit. (*g*) Nouam etiam ſuſcepit methodum, adplicandi aquas infirmis partibus; ipſe enim in balneo ſedens, ſpongia magna, toti capiti impoſita, aqua calida e fonte perfundi ſe iuſſit ad horam et amplius, mane et veſperi per quadriduum: quem modum vtiliorem deprehendit ſibi, quam infuſionem ex alto, ante biennium inſtitutam. (*h*) In eundem locum accerſere tentauit *Io.* BAVHINVM, cum quo Tigurum repetere, et pedes ire voluit, vt eo melius confabulationibus in via locus eſſet; hoc vero non aduentante, ſolus rediit, poſtquam per ſeptiduum ibi commoratus eſſet. (*i*) Expediuit poſtea in gratiam *Henr.* STEPHANI de venatione libellum *Xenophontis*, cum obſeruationibus et emendationibus tam in hunc quam in totum librum. (*k*) Typographis etiam *Henrico Petri* et *Petro Pernae* recudendos ſuppeditauit de Venenis libros *Santis Ardoyni*, cum aliis eiusdem argumenti. (*l*) Scripſit denique Epiſtolam ad *Wilhelm.* TVRNERVM, Theologum et Medicum Anglum, in qua conſignauit propria ſcripta. Hac non ſolum omnes, qui vitam Noſtri deſcripſerunt, vſi ſunt, ſed eadem mihi etiam pluribus in locis conduxit. (*m*)

Prout autem GESNERVS in edendis Kyberianis et Cordi libris ſummam fidem monſtrauerat, et propter hanc candoris ſpeciem laudem famamque ſibi pepererat magnam; ita accidit, vt MOIBANVS, Medicus Auguſtanus, qui viuens Noſtrum magni fecit, morti proximus etiam a GASSARO peteret, quo ad GESNERVM transmitteret librum εὐπορίστων *Dioſcoridis*, quem multo labore emaculauerat, et e viuis nunc excedens, prelis tradere non potuerat. Ob amicitiam, quae ſibi inuicem interceſſerat, GESNERVS hoc quoque negotium lubentiſſime in ſe ſuſcepit, partem libri poſteriorem abſoluit, et multa inſuper de ſuis addidit. (*n*) Huic labori ita diligenter incubuit, vt ſepoſitis omnibus aliis, propriis etiam circa plantas ſtudiis, (*o*) anno iam *milleſimo*

H *quin-*

(*c*) Vide litteras ad *Io. Bauhinum* ad d. 13. Aug. 1562. ſcriptas Epiſt. ad Bauh. p. 108.

(*d*) Vide litteras *Io. Bauhini* ad GESNERVM datas d. d. 20. Oct. 1562. Epiſt. ad Bauh. p. 116.

(*e*) Vide litteras ad *Io. Kentmannum* d. d. 4. Mart. 1562. Epiſt. Lib. IV. n. 14.

(*f*) Vide litteras ad *Achill. Pirm. Gaſſarum.* Epiſt. Lib. I. p. 23. b.

(*g*) Ita proponunt excerpta manuſcripta GESNERI, quae communia fecit Cel. SCHEVCHZERVS in Hydrograph. Heluet. p. 403. et libro dicto: Vnterſuchung des Bades zu Baden. p. 50.

(*h*) Vide litteras ad *Achill. Pirm. Gaſſarum* Epiſt. Lib. I. p. 23. b. *ſupra ſub nota* (*f*) *citatas.*

(*i*) Vide litteras ad *Io. Bauhinum* p. 197. Ita componi poteſt diſcrepantia inter locos hucusque citatos; cum litterae ad *Gaſſarum* de quadriduo loquantur, Collectanea a Cel. SCHEVCHZERO publicata plures dies indicent, litterae ad *Io. Bauhinum* ſeptiduum determinent. Vt per triduum biberit, per quadridum balneauerit, ad ſeptiduum vsque manſerit. Malui etiam pro Iunio, quo litteras ad *Gaſſarum* ſignauit, ad Auguſtum menſem referre iter, duobus ſuffultus teſtimoniis, nempe litteris ad *Bauhinum* et SCHEVCHZERI Excerptis, contra vnum e litteris ad *Gaſſarum* deſumendum.

(*k*) Vide Epiſt. de Libr. a ſe edit. p. 29. a. n. 2.

(*l*) Nempe: *Santis Ardoyni*, Piſaurenſis Medici, de Venenis libri octo: cum tribus eiusdem argumenti *Ferdinandi Ponzetti*, Cardinalis. Baſileae apud Henr. Petri, et Petr. Pernam 1562. Fol. Vide Epiſt. de Libr. a ſe edit. p. 28. b. n. 70.

(*m*) Connexa eſt Vitae ſaepius citatae, a SIMLERO elaboratae, a pag. 20. b. ad pag. 30. a. Videtur tamen, aliquos errores commiſſos eſſe praeſertim circa annos editionum. Aliquos notauimus, quos detegere potuimus. Studuimus equidem, quantum modo valuimus, inſpicere codices et tractatus ipſos, reliquorum adquiſitionem, cum paruus omnino numerus ſit, exſpectare, et prela retardare inconſultum fuiſſet; in quibusdam itaque, etſi pauciſſimis, ſolius Epiſtolae auctoritati inniti coacti fuimus, quod plerumque indicauimus. Factum interim eſt, vt Illuſtr. TREWII indefeſſa cura, qua commodis et ſplendori Operis quouis modo prouidere ſtudet, ad manus venerit tractatulus, cuius ſupra ad annum 1546. pag. XI. not. (*o*) (vbi errore typographi 1536. poſitus eſt:) mentionem fecimus, ex quo videmus, quod iam biennio ante editus ſit alio in loco. En titulum; *Antonii Muſae Braſſauoli* etc. Examen omnium Catapotiorum vel Pilularum, quarum apud Pharmacopolas vſus eſt. etc. *it. Conradi* GESNERI, Enumeratio medicamentorum purgantium, vomitoriorum, et aluum bonam facientium, ordnie alphabeti. Omnia nunc primum edita et excuſa Lugduni ſub ſcuto Colonienſi 1544. 8vo.

(*n*) Vide litteras ad *Io. Kentmannum* ad d. 27. Aug. 1563. et ad d. 16. Febr. 1564. Epiſt. Lib. IV. n. 16. et 17.

(*o*) Vide Epiſt. de libr. a ſe edit. p. 29. a.

(*p*) Vide litteras ad *Gaſſarum* d. d. 2. Ian. 1563. et ad *eundem* d. d. 26. Iun. ei. an. Epiſt. Lib. I. p. 25. b. et. 27. b.

quingenteſimo ſexageſimo tertio cuncta perfecerit. (*p*) Interim tamen non prius quam anno *ſexageſimo quinto* prodierunt. (*q*) Adeo liberalis vero fuit in Moibani pupillos et haeredes, vt gratis omnia adornaret, atque pecuniam in vſus eorum deſtinaret et ſervaret. (*r*) His itaque tempeſtiue confectis, plantarum inquiſitioni, a qua non niſi invitus ſaepiſſime tamen auocatus huc vsque fuit, omni qua potuit cura ſeſe conſecravit, etiamſi valetudine tum minus ſecunda vteretur, et viribus valde exhauſtum ſe ſentiret; (*s*) incitatus autem feruore in hoc ſtudiorum genus, qui maior eſſe non potuit,
1563. tempusque colligendis ſtirpibus aptum nactus, ad milliare a Tiguro in fluuio et lacu natauit, etſi iam aliquot annis deſuetus, herbasque aliquas aquaticas raras et perelegantes inuenit, atque ſtatim pinxit. (*t*) In vniuerſum vt antea, ita nunc potiſſimum plantas viuas attulit ipſe tam ex continente, pratis, agris, ſemitis, vineis, hortis, collibus, montibus, ſyluis, quam fluuiis, riuis, ſtagnis, lacubus, ripis et quibuslibet aliis natalibus ſtirpium locis. (*u*) Plurimas quoque a *Io.* BAVHINO ſiccatas recepit. (*w*) Has omnes partim ad viuum quam diligentiſſime delineari curauit propriis ſumtibus, (*x*) nullo vsquam patrono intercedente, partim ita, vt fieri potuit. (*y*) Aliquas iam in formis ligneis pingi ſculpique ordinauit, et manus admouit hiſtoriae etiam conſcribendae, cui omne quod ab adoleſcentia per omnem aetatem in hoc argumento obſeruauerat, inſerere voluit; ſumtus enim tam graues facti erant, et Typographo *Froſchouero* fides iam nunc data ita vrſit, vt hunc laborem amplius omittere aut intermittere non licuerit: (*z*) quamuis tunc temporis catarrhus cum tumore maxillae et hemicrania Noſtrum valde exerceret, de quibus parum boni ſibi augurearetur; (*a*) ſtrenue tamen laborare maluit, quam deſiſtere a propoſito, quod ſibimet ipſi adeo glorioſum, tot aliis vero naturae ſcrutatoribus adeo ſalutare futurum eſſet. Cum autem neque naturam pro voluntate cogere poſſet, neque ſibi modo viueret, ſed multiplici negotiorum catenae intricatus ſemper exſiſteret; amoeniſſimum iſtud penſum in aliud differre tempus ab inſuperabili neceſſitate adactus eſt, ita vt ad finem vergente hoc anno ne operis quidem formam inſtruere, multo minus aliquid ad editionem diſponere valuerit. (*b*) Cupiebant enim fautores Operum *Val.* CORDI, vt GESNERVS nouam editionem correctiorem ſiſteret, et acceperat etiam per *Hier.* HEROLDVM piſcium deſcriptiones numero ſexaginta ſex adcuratiſſimas, cum magnis et pulchris picturis, ab eo Venetiis confectas. (*c*) Hac porro aeſtate in gratiam Typographi potius, quam quod librum valde probaret, emendauit *Iodoci WILLICHII* Magirica, et praefatione muniuit, (*d*) prout paullo ante extemporalem, vt vocat, librum De Anima, ſententioſa quadam breuitate veluti per Tabulas et Aphoriſmos ad prelum ſcripſerat. (*e*) Horum itaque et multorum forte aliorum magnorum voluminum elucubratio, iuncta negotiis, quae et publica Profeſſio, et Medicinae liberum exercitium quotidie peperit, et quae auxit numeroſorum propinquorum et rei familiaris propriae cura, cum vxor ad comparanda τὰ πρὸς τόν βίον prorſus inepta eſſet: (*f*) Cuncta haec, inquam, tantum valuerunt, vt non ſolum prorogaretur ſtirpium hiſtoria, ſed etiam vt imbecillum iam corpuſculum adhuc magis eneruaretur. Reſtitit equidem, quantum potuit, optimis remediis, cum ante ali-

(*q*) Vide Corollarium ad Epiſt. de libr. a ſe edit. p. 31. a. Impedimenta vero, quae editionem retardarunt, recenſet in litteris ad *Gaſſarum* Epiſt. Lib. I. p. 29. a.

(*r*) Vide litteras ad *Gaſſarum* d. d. 22. April. 1563. Epiſt. Lib. I. p. 28. a. et alibi.

(*s*) Ita enim ſcribit ad *Io. Kentmannum* ad. d. 23. Martii 1563. Epiſt. Lib. IV. n. 15. „ Corpus „ meum ſi videres, imaginem mortis videres. etc.

(*t*) Vide litteras ad *Gaſſarum* ad d. 26. Iun. 1563. Epiſt. Lib. I. p. 27. b. et litteras ad *Io. Baubinum* ad d. 11. Iul. ei. an. Epiſt. ad Bauh. p. 118.

(*u*) Vide litteras ad *Gaſſarum* nota praecedente citatas.

(*w*) Vide litteras ad *Io. Bauhinum* d. d. 9. Aug. 1563. datas. Epiſt. ad Bauh. p. 120. et alias Cal. Aug. ei. an. datas. ibid. p. 122.

(*x*) Vide litteras ad *Io. Kentmannum* d. d. 27. Aug. 1563. Epiſt. Lib. IV. n. 16. in quibus felicem praedicat amicum, quod numis et gratia Electoris ſui, negotium ſimile agitaret.

(*y*) Inter quae Tragoriganum nunc ſuccurrit, quod cum aliis nominatur in litteris ad *Io. Bauhinum* p. 123. et ſuperſtes eſt cum pluribus. Singularum picturarum *Bauhini* cura confectarum, pretium fuit *quatuor Plappardorum* (monetae generis tunc vſitati) Vide Epiſt. ad Bauh. p. ead.

(*z*) Vide litteras ad *Io. Cratonem* ad d. 9. Aug. 1563. Epiſt. Lib. I. p. 13. a. *it.* ad *Io. Kentmannum* d. d. 27. Aug. eiusd. an. Epiſt. Lib. IV. n. 16. et ad *Bauhinum* p. 128.

(*a*) Vide litteras ad *Io. Bauhinum* ad Cal. Aug. datas. Epiſt. ad Bauh. p. 123.

(*b*) Vide litteras ad *Io. Cratonem* d. d. 12. Nou. 1563. Epiſt. Lib. I. p. 15. a.

(*c*) Vide litteras ad *Io. Cratonem* Epiſt. Lib. I. p. 6. a. et Lib. I. p. 13. a. *it.* Epiſtolam dedicatoriam praefixam libello *Val.* CORDI De Haloſantho. Tiguri 1565. 8vo.

(*d*) Vide litteras ad *Io. Kentmannum.* d. d. 27. Aug. huius anni. Epiſt. Lib. IV. n. 16. et Corollar. de Libr. a ſe edit. p. 31. a. *it.* litteras ad *Kentmannum.* d. d. 16. Febr. 1564. Epiſt. Lib. IV. n. 17.

(*e*) Vide de hoc in litteris ad *Io. Cratonem.* Epiſt. Lib. I. p. 24. a. vt et Corollarium ad Epiſt. de Lib. a ſe edit. p. 30. b.

(*f*) Vide de his cunctis litteras ad *Io. Hoſpinianum* ad d. 3. Oct. 1563. Epiſt. Lib. III. p. 103. b. et litteras ad *Io. Cratonem* ad d. 4. Febr. 1564. Epiſt. Lib. I. p. 16. a.

aliquot iam menſes dorſi lumborumque dolores, iſchiadis olim moleſtae reliquias, de nouo perſentiſceret, et arenulas ſubinde redderet; (*g*) et ne quid intermitteret, *Augusto menſe* huius anni (*h*) ad Thermas Badenſes, vrbi patriae vicinas, ſeſe contulit, ibique rurſus per ſeptiduum haeſit. Primo die triginta duas bibit vncias aquae thermalis, altero octoginta, tertio centum et quatuor, quarto centum et ſexaginta octo, quinto centum et viginti, ſexto ſeptuaginta duas, ſeptimo demum quadraginta hauſit. Summo mane per bihorium balneo inſedit, quo excedens bibit, veſperi vero in ipſo balneo modicam aquae quantitatem ſumſit. Obtinuit hac ratione, vt bene vacuatus ac ſemper melior rediret, et inſigniter leuatus fuerit. (*i*) Non autem in ſe ſolo, ſed aliis quoque Thermarum harum vſum probauit, et propria experimenta ſedulo adnotauit, vt iis augeret librum ſuum de Thermis, quem quouis modo polire in hunc vsque diem non deſtitit, cuius tamen auctam editionem non parauit, dum in viuis eſſet. (*k*)

Adeo vbi quid perpetrauit, non ſibi vnice ſed aliorum quoque opportunitati inſeruire voluit. Ne tamen immemor penitus videretur famae gloriaeque, quam ſibi huc vsque pepererat iuſtiſſimis titulis et curae, quam ſuſceperat in ſe de iis, qui ſanguine cum ipſo iuncti erant; id potiſſimum nunc egit, vt exiſtimationem ſui et familiae ſplendidiorem redderet: ideo petiit a Medicis Caeſareis, *Iulio* ALEXANDRINO, *Steph. Lauraeo* AMORFORTIO, et *Io.* CRATONE, amicitiae intimioris vinculo ſibi iunctis, vt inſigne aliquod et ipſi et familiae ſuae impetrarent ab Auguſtiſſimo Imperatore, quem non minus propitium ſibi ſciuit. Inſignis huius aliquot ſpecimina, a ſe ipſo inuenta, ad viros ſupra nominatos miſerat GESNERVS; (*l*) Caeſar vero optimus clementiſſimusque, merita tanti Viri in Hiſtoriam Naturalem omnem praeſertim vero Animalium ponderans, tale impertiuit, quod perenne laborum praeſtitorum monumentum eſſe poteſt. Scutum nempe quadripartitum, quod Aquilam expanſam, Leonem erectum, Delphinum coronatum, et Baſiliſcum gerit, qui ore anulum incluſo ſmaragdo prehendit. Caſſidi ſuper coronam hederaceam inſidet Cygnus, cuius pectori tres ſtellae et totidem ſingulis alis expanſis inſcriptae ſunt. Litterae patentes adiunctae horum omnium rationem continent, et datae ſunt ad diem *tertium Aprilis*, anni *milleſimi* 1564.
quingenteſimi ſexageſimi quarti. (*m*) Ideo vero GESNERVS quod improlis huc vsque eſſet, id quoque impetrauit, vt non ſibi ſolum, ſed patruo etiam *Andreae* GESNERO ſeniori, conferrentur eaedem praerogatiuae, qui tunc annos octoginta natus aetatem adhuc bene tulit, atque ſenator tribunitiae dignitatis, liberorumque, nepotum et pronepotum vtriusque ſexus pater, auus et proauus numero centum et quinquaginta fuit, quorum maior pars tam adhucdum vixit, quam indies creuit. Huius itaque filiis et poſteritati cunctisque cognatis et conſanguineis, qui GESNERORVM nomine familiaque comprehenduntur, impetrata ſunt haec honeſtamenta, (*n*) quorum priſcum ſplendorem maſcule tuentur Viri ſuperſtites, Nominis virtutumque auitarum ex aſſe haeredes. Praeſtantia iſta munificentiae Caeſareae ſigna magno ſuo gaudio accepit Noſter, vna cum particulis Lapidis Bezoar, ab Imperatore conceſſis, et tunc inter rariſſima computatis, octiduo ante quam in Thermas abiret; (*o*) atque merito tanti fecit, vt ſcriptam conſignaret de hac re voluntatis ſuae declarationem, in qua ſerio monet cognatos, vt inſignia pro incitamento haberent, ad honeſta quaeuis et praeclara perpetranda: atque hortatur, vt liberos poſterosque ad excolendas bonas artes ſcientiasque impellerent. Ad quem ſcopum eo melius ſuſtinendum, centum florenorum ſummam legauit, et ſanciuit, vt annui eius reditus illi ex familia, qui hoc ſubſidio quam maxime indigeret, quotannis diſtribuerentur. Imperauit etiam, vt ſingulis annis conuenirent, ac celebrato prandio, Teſtatoris memoriam renouarent. (*p*) Ne quid autem deeſſet, quod facti honorisque celebritatem ad ſeriora tempora propagare poſſet, Numus quoque cuſus eſt elegans, cuius effigiem Artificis noſtri peritiſſima manu expreſſam vide-

(*g*) Vide litteras ad *Felic. Platerum* Epiſt. Lib. III. p. 98. a.

(*h*) Ita incipit litteras *ad Io. Kentmannum* d. 27. Aug. 1563. datas. Epiſt. Lib. IV. n. 16. „ Litterae „ tuae, quinto Martii datae, 23. Auguſti de- „ mum mihi redditae ſunt, in thermis, vrbi no- „ ſtrae vicinis agenti.

(*i*) Vide Cel. SCHEVCHZERI Hiſt. Nat. Heluet. P. II. p. 403. et 404. It. EIVSD. Deſcript. Therm. Badenſ. p. 51. et 52.

(*k*) Inclytus SCHEVCHZERVS varia GESNERI notamina de Aquis mineralibus inſeruit variis locis Partis ſecundae Hiſtoriae ſuae naturalis Helvetiae, ſupra citatae: de Thermis Badenſibus praeſertim obſeruata habentur non ibi ſolum, ſed et in deſcriptione harum aquarum propria; quod autem haec ex dono Reu. Dn. *Rod. Hoffmeiſteri*, Canonici et Praepoſiti, habuerit, perhibet in Bibliothec. Hiſt. Nat. p. 95.

(*l*) Vide litteras ad *Io. Cratonem* ad d. 17. Aprilis 1564. et ad *Eund.* d. d. 26. Martii. ei. an. datas. Epiſt. Lib. I. p. 19. a. et p. 21. b.

(*m*) Vide MORERI loc. cit. ſub tit. GESNER. p. 280.

(*n*) Vide litteras ad *Io. Cratonem* ad d. 26. Martii 1564. Epiſt. Lib. I. p. 21. b.

(*o*) Vide litteras ad *Io. Cratonem* in die Pentecoſtes 1564. et alias ad d. 24. Iul. ei. ann. ad *Eundem* datas. Epiſt. Lib. I. p. 18. a. et 21. a.

(*p*) Excerpta haec debemus itidem Cl. SVLZERO.

videmus in fronte huius tractationis. Poſtquam accepiſſet inſtrumentum horum inſignium, Vere adhuc, vt monuimus, ad Thermas Badenſes de nouo abiit, vt aquas biberet, quas toties huc vsque valetudini ſuae adeo congruas deprehenderat. Comites itineris habuit *Scharpfium*, adfinem *Cratonis* et *Oſtrorogum* duos iuuenes, qui ſtudio-
1564. rum cauſſa Tiguri morati erant, nunc vero Geneuam ſeſe ſubtrahere conſtituebant, quia Tiguri a *Martio* menſe *huius anni* ad hoc vsque tempus graſſaretur Pleuritis quaedam maligna, vt tunc credebatur, absque inflammatione et ſputo ſanguinis, cum febre tamen et dyſpnoea, (*q*) quae propter ſordes, in primis officinis collectas, hodie febris meſenterica vel catarrhalis maligna adpellatur. In Thermis haerens, primo die pocula, quatuor vncias capientia, bibit quinque: ſecundo decem aeque capacia, tertio quindecim, quarto denique viginti duo abſoluit. Aquarum hunc vſum, etiamſi iis non vacuatus eſſet, et Senna ſe mouere coactus eſſet, nunc quoque valde proficuum habuit, atque humectatum ſe ſenſit. Ventriculum etiam, non obſtante magna aquae copia, roboratum reportauit, et adpetitum excitatum, qui antea proſtratus erat. (*r*) Confirmatus itaque ſanitate conſuetos labores alacriter rurſus ſubire potuit, et herbarum quoque cauſſa iter ſuſcipere; ſiquidem *Auguſto* menſe Bokkematum Montem, in Suitenſium ditione ſitum, adſcendere, et ibi curioſa naturae rimare valuerit. Stirpes deprehenſas vna cum aliis pingi curauit, vt ornaret iis Hiſtoriam plantarum, in qua concinnanda maximam laborum priuatorum partem poſuit, excepto aliquo tempore, quod in adfectando libro de metallis et lapidibus nunc conſumſit. (*s*)

Quemadmodum vero nihil ex omni parte beatum vocari poteſt in vita humana; adeo quoque idem hic annus *ſexageſimus quartus*, etiamſi fortunatus valde propter collatos nouos honores fuerit, GESNERI animum diuerſarum calamitatum ſerie non parum depreſſit. Magno enim luctu contriſtatus eſt, cum Matrem octogenariam, quam huc vsque in ſolatium inſigne ſuperſtitem coluerat, ſemperque cariſſimam habuerat, primis fere diebus *Aprilis* Menſis amitteret. (*t*) Hanc ſecunda iam vice, cum praefocari metueret, Oxymelite ſuo minori a praeſentiſſimo periculo liberauerat: malo autem magis magisque in peius ruente, dyſpnoica et aſthmatica demum facta, et per plures dies lecto adfixa, (*u*) partim vi morbi oppreſſa, partim ſenio ceonfecta eſt. Poſtea *Auguſti* menſis fine peſtis, quae Baſileam prius occupauerat, Tigurum etiam inuadere coepit, (*w*) in qua compeſcenda GESNERVS operam ſuam ſtrenue et quouis modo contulit; non enim ſolum in conſilium ſimul adhibitis reliquis vrbis Medicis, praeſertim *Caſp.* WOLPHIO, libellum compoſuit, de contagii huius indole et remediis agentem, ſed etiam inuiſendo aegros ſubinde non leuiter periclitatus eſt, (*x*) cum malum vndique ſerperet, ciuesque multos, et inter caeteros *Theod.* BIBLIANDRVM, Theologum inſignem auferret. (*y*) Ita tamen placuit Summo Numini, vt in hunc annum incolumis et illaeſus ſeruaretur, quid quod pro ſuo temperamento ſatis commode valuerit, quamuis dira lues vbique viciniam eius inuaſiſſet. Mortem interim ſibi tunc praeſagire incepit, cum in ſomniis ſe a ſerpente morderi ſibi viſus eſſet, quem morſum peſtem eſſe interpretatus eſt, et ad amicos litteris mandauit, quod ſeſe ſenſim componeret ad migrationem ad coelites, ſerio admonitus. (*z*) His tamen non obſtantibus, praeclaro BVLLINGERO a conſiliis fuit, qui ex duobus carbunculis aegrotauit, quorum vnus ferro vſtus, alter remedio cauſtico ſuppuratus eſt ita feliciter, vt eger euaſerit. (*a*) Adeo viriliter publicae vtilitati, vbi modo potuit, proſpexit, neque communi iſta calamitate retentus eſt, quo minus lucubrando ſtrenue pergeret, praeſertim cum lues verſus *Septembrem* Menſem moderate agere inciperet, et quinquaginta ſolum per ſeptimanam tolleret, tandemque exeunte anno ſub ipſo natali Domini remitteret, (*b*) alia vero

(*q*) Vide litteras ad *Io. Cratonem* ad d. 5. Martii. 1564. et alias ad d. 17. Aprilis ei. ann. ad *eundem* ſcriptas. Epiſt. Lib. I. p. 17. b. et p. 19. b. *it.* litteras ad *Io. Bauhinum.* p. 147.

(*r*) Vide litteras ad *Io. Cratonem* ad d. Pentecoſtes 1564. Epiſt. Lib. I. p. 18. a. *it.* litteras ad *Adolph. Occonem* d. d. 19. Iun. 1564. Epiſt. Lib. II. p. 51. b. vt et Cel. SCHEVCHZERI Hiſt. Nat. Heluet. Part. II. p. 403. ſequ. et EIVSD. Deſcript. Therm. Badenſ. p. 52.

(*s*) Vide litteras ad *Io. Kentmannum* ad d. 16. Febr. 1564. Epiſt. Lib. IV. n. 17.

(*t*) Vide litteras ad *Theod. Zwinggerum.* ad d. 7. April. 1564. Epiſt. Lib. III. p. 107. a. *item* litteras ad *Io. Bauhin.* ad. d. 5. April. ei. ann. Epiſt. ad Bauh. p. 136.

(*u*) Vide litteras ad *Io. Cratonem* ad d. 6. Febr. 1564. Epiſt. Lib. I. p. 20. b. et Epiſt. ad *Io.* Bauh. p. 134.

(*w*) Vide litteras ad *Io. Kentmannum* ad d. 27. Aug. 1564. Epiſt. Lib. IV. n. 18.

(*x*) Vide litteras ad *Coſm. Holtzachium* ad d. 24. Sept. 1564. Epiſt. Lib. III. p. 88. a.

(*y*) Vide SIMLERI Vit. p. 18. a.

(*z*) Vide litteras ad *Achill. Pirm. Gaſſarum* ad d. 16. Sept. 1564. Epiſt. Lib. I. p. 36. b.

(*a*) Vide litteras ad *Achill. Pirm. Gaſſarum* ad d. 20. Octobr. 1564. Epiſt. Lib. I. p. 35. b.

(*b*) Vide litteras ad *Io. Kentmannum* ad d. 27. Ian. 1565. *it.* ad *Eund.* d. d. Martii. ei. an. Epiſt. Lib. IV. n. 20. et 21. et litteras ad *Achill. Pirm. Gaſſarum* d. d. 15. Ian. ei. ann. Epiſt. Lib. I. p. 39. b.

vero Epidemia in prioris locum ſuccederet, quae minus periculoſa fuit, et multos quidem corripuit, pauciſſimos tamen iugulauit. (*c*)

Multo hilarius denique principium ſumſit annus *milleſimus ſexageſimus quintus*, quam 1565.
finitus eſt. KENTMANNVS enim, qui in hunc vsque diem intimam & fraternam plane amicitiam coluerat, & vltra ea, quae iam adduximus, plurimas res naturales rariores, calculos humanos eorumque typos, picturas herbarum praeſtantes, & nuper admodum numos duos argenteos bene craſſos miſerat, quorum vnus Donatoris imaginem exprimebat: ſtrenae loco nunc calculos aleatorios triginta elegantiſſime fabrefactos dono dedit. (*d*) Quare GESNERVS cum mediis circiter anni huius menſibus Libros de omni rerum foſſilium genere, gemmis, lapidibus, metallis et huiusmodi (*e*) imprimendos curaret, Amici cariſſimi Nomenclaturas rerum foſſilium et libellos de calculis humanis inſeruit non ſolum, ſed et effigie inſignibusque KENTMANNIANIS, aliisque figuris ornauit; et cum huic collectioni varios vtiles tractatus coniungeret, aliquos additionibus et doctis pro more Corollariis locupletauit, aliquos vero amicis in reciproci fauoris teſſeram dedicauit, *Valerando* nempe DOVREZ, Flandro Inſulano, Pharmacopolae Lugdunenſi, a quo plantas minus frequentes marinasque, Italiae praeſertim et Iſtriae, communicatas habuerat: atque Andreae PELLIZERO, Carintho, Medico Gedanenſi, a quo et *Io.* WEIDNERO, genero eiusdem, pulcherrima e Succino tornata opera nactus erat. (*f*) Neutri autem horum ſcriptorum bonitate cedit proprius liber de rerum foſſilium, lapidum et gemmarum figuris ac ſimilitudinibus, qui noſtris etiam temporibus vſus eſt non obſoleti; foſſilia enim plurima praeſertim Germaniae et Heluetiae deſcribit, tunc temporis plerisque incognita, et quaedam etiam hodie minus frequentia, e quibus Lapidem caudae cancri perſimilem, nunc Orthoceratitem nunc modo nomino, cuius habitum plenius demum expoſuerunt Viri, quos nominasſe ſufficiet pro commendatione, BREYNIVS atque KLEINIVS. Tot tantaque adſecutus eſt GESNERVS in hoc quoque ſcientiarum genere, in quo aliquid modo delibare ſuſcepit, et edita haec ſpecimina pro imperfectis et mutilatis propter typographi feſtinationem pronunciauit: praeſtantiora abſque dubio produxiſſet adhuc, ſi maturiorem diligentiam in elaborationem collocare, vel alteram huius libri partem adiicere potuisſet, prout in animo habuit; vbi de ſingulis adcommodatius agere, et ſecundum classes quaeuis ordinare voluit, quae tamen curae poſteriores lucem nondum viderunt. (*g*) Interea primam hanc partem, vbi licuit, figuris non inconcinnis decorauit, quas coloribus etiam natiuis illuſtrari curauit. (*h*) His quoque pro voto abſolutis, Bibliothecae quidem ſuae ſecundam partem, monente Typographo intra annum recudendam dare, et Catalogos plurimorum Typographorum addere voluit: (*i*) his tamen aliisque rebus fere omiſſis, totus nunc Operi botanico incumbere, illique formam addere incepit, cum hactenus in materia colligenda ſolum occupatus fuiſſet. Nactus enim hoc anno adhuc eſt plantas ſiccas a *Theod.* ZWINGGERO, easque depinxit: (*k*) *Ioach.* CAMERARIVS quoque aliqua tradidit: (*l*) rariſſimas denique multas herbas *Leonh.* RAVWOLFIVS ſuppeditauit, alias ab amicis accepit, quos omnes recenſere nimis longum foret, cum plerique ſuo loco occurrant. In cunctis his quin etiam BAVHINIANIS pingendis adhuc occupatus fuit. (*m*) Vltra haec proprium rhizotomum ſiue herbarium his et forte prioribus temporibus habuit, qui plantas e regionibus, quas ipſe aut plane non aut non tempeſtiue ſatis peragrare poterat, comportare in mandatis habuit, et plures etiam collegit. (*n*) Ne quid tandem praetermitteretur, quod Opus locupletaret, de nouo ſibi propoſuit, hac aeſtate Alpes adire, et quaeſiuit adoleſcentem doctum, quem laborum et itinerum comitem facere poſſet. (*o*) Cum itaque tot ad-

(*c*) Vide litteras ad *Achill. Pirm. Gaſſarum* d. d. 25. Febr. 1565. Epiſt. Lib. I. p. 40. a. et Epiſt. ad Bauh. p. 151.

(*d*) Vide litteras ad *Io. Kentmannum* ad d. 23. Martii 1565. Epiſt. Lib. IV. n. 22.

(*e*) Quae huic collectioni inſerta ſunt, recenſentur in Corollar. ad Epiſt. de Libr. a ſe edit. p. 30. b. ad quod L. B. ablegamus.

(*f*) *Valerando* nempe excerpta ex Epiſtola Galli cuiusdam ad GESNERVM ſcripta, de Bituminum generibus, et *Valerandi* ipſius obſeruationes de Auernico bitumine: *Pellizero* autem Librum *Cordi* de Haloſantho.

(*g*) Vide Dedicationem, libro ipſi praefixam. Notandum inſuper in quibusdam collectionis huius praefationibus legi annum 1566. qui tamen iuſtus eſſe nequit.

(*h*) Vide litteras ad *Io. Kentmannum* ad d. 27. Aug. 1565. Epiſt. Lib. IV. n. 23.

(*i*) Vide litteras ad *Ad. Occonem.* Epiſt. Lib. II. p. 60. b.

(*k*) Vide litteras ad *Theod. Zwinggerum* datas ad d. 26. Nou. 1565. Epiſt. Lib. III. p. 113. a.

(*l*) Superſunt haec inter picturas, et adſcriptum nomen a GESNERO monſtrant.

(*m*) Vide litteras ad *Io. Bauhinum* ad d. 9. Iul. 1565. Epiſt. ad Bauh. p. 154.

(*n*) Hunc in frontiſpicio Codicis Kentmanniani nominat *Ludouicum* SCHEIDEGGERVM, Burgundum: in Voluminum maiorum vero folio 236. aliter, nempe SCHEIDENMACHERVM enunciat.

(*o*) Vide litteras ad *Theod. Zwinggerum* ad d. 8. April. 1565. Epiſt. Lib. III. p. 112. a.

miniculis ingentem obſeruatorum vim, magnamque ſtirpium copiam conquiſiuiſſet, adeo vt non ſemel erga amicos conquereretur, ſe in ſuo ſtirpium Oceano paene ſubmergi, et obrui multitudine rerum. (*p*) Non delaſſatus tamen, ſed ſemper ad vlteriora pergere conatus eſt, ita vt hoc anno laborioſiſſimus omnium in pingendo fuerit, quod reliquiae ſatis teſtantur; quamuis nunc iam praemature ſenectutem ſibi moleſtam paullatim fieri deprehenderet, (*q*) quod non potuit non citius iuſto euenire, quia iuuentutem immenſis propemodum laboribus transegerat. Quotidianum igitur valetudinarium agere conſueuit, et nihilo ſecius vrgentibus publicis priuatisque negotiis eo demum perductus eſt, vt ſe ſuamque valetudinem, rem familiarem et alia neceſſaria vel negligentiſſime vel plane non curaret. Acceſſit ad haec, quod peſtis medio *Iulii Menſis* iterum ad vrbem adpropinquaret, voluntatem tamen Dei tranquille exſpectauit; (*r*) quin etiam mediocriter ſatis ſeſe habuit, quod ad cibum, potum, ſomnum et labores attinet, etiamſi lues *Menſe Octobri* valde ſuaeuiret. Pro praeſeruatione non ſolum in ſe ſed et aliis vſus eſt Oxymelite ſuo, quo efficacius remedium nullum reperit; (*s*) de longa tamen vita dubitauit, et quauis data occaſione ad amicos mentem, quae numquam quidem profana fuit, nunc potiſſimum in coeleſtia directam monſtrauit. (*t*) Cum autem *Nouembri Menſe* malum ſatis clementer ageret, atque demum *Decembris* initio moderatiſſimum eſſet, (*u*) nemo facile putaſſet, tempus hoc GESNERI Noſtri morbo ita notabile, ita luctoſum futurum eſſe. Ea tamen fuit Summi Numinis voluntas, vt eriperetur e medio curſu vtiliſſimorum laborum praeſtantiſſimorumque conatuum, plantarum praeſertim hiſtoriam concernentium. *Dies* erat *nonus Decembris* eiusdem, quando laborare coepit. Carbunculus illi primo exortus eſt in latere ſiniſtro, cordi directe imminens; etſi autem loco periculoſo natus eſſet, minus tamen periculi videbatur, quod nullum dolorem capitis, nullam febrim, nullum aliud ſymptoma graue ſentiret. Nihil fere vires proſtratae fuerunt per morbum, numquam enim decubuit, niſi ſi quando, ita vti veſtitus erat, in grabatum paullum ſe reclinaret. Veruntamen quia plerique, quos morbus hic inuaſit, moriebantur, quamquam ab initio non magna vis morbi eſſe videretur; ipſe quoque moriendum ſibi eſſe concluſit. Conuocauit itaque amicos, teſtamentum condidit: quaedam vxori, quaedam nepotibus ex ſorore legauit, haeredem vero ex aſſe nominauit ſororem vnicam ſuperſtitem. Ne autem perirent impigerrimae induſtriae fructus, Bibliothecam ſuam omnem, *Caſparo* WOLPHIO, Medico, diſcipulo antea, nunc Collegae et amico, *Iohannis* WOLPHII Theologi eximii fratri, iuſto pretio vendidit, ac illis diebus, quibus aegrotauit, non ſolum labores omnes ſuos ipſi commendauit, ſed et plurima cum illo de plantarum hiſtoria, quam aliis omnibus antepoſuit, locutus eſt. Multa etiam tunc litteris mandauit, ne qua poſt obitum vel in re familiari, vel in lucubrationibus ſuis confuſio oriretur. Sapienter itaque tam domeſticae rei, quam publico commodo conſuluit, dum tradidit ingenii foetus immaturos, quia alios non habuit, et ἄπαις adhucdum fuit, Viro amico, fideli, docto et induſtrio; vt perfecti tandem lucem adſpicerent. Hic ſane promiſſi memor, pro viribus plurium rationem habuit, et quaedam edidit, neque reliquiſſet praeſtantiora altiorisque momenti, ſi integrum ipſi fuiſſet, omnia ad placitum Defuncti praeſtare, quod ſuo loco luculenter probabimus. His compoſitis animum in metam ſublimiorem et ſpem diuinitus promiſſam vnice fere direxit, et miniſtros Eccleſiae, praeſertim *Henr.* BVLLINGERVM et *Ioſiam* SIMLERVM, quos ſummopere amauit, libenter non ſolum audiuit, de ſalute immortali diſſerentes, ſed et verba fiduciae et conſtantiae plena cum illis miſcuit. Quintus iam illuxerat dies, ex quo aegrotare coeperat, cum Medici non prorſus omnem ſpem abieciſſent, plurimum tamen de vita eius ſolliciti eſſent, ipſe vero meliuſcule habere ſibi videretur: itaque cum amici quidam noctu illi adeſſe cuperent, et aegrotanti adſiſtere; gratias illis egit, ſeque eorum adminiculo opus habere negauit. Adeo qui in vita multis commodus, moleſtus fuit nemini, ne morbum quidem ſuum cuiquam praeterquam ſibi ipſi grauem eſſe patitur. Deductus autem in cubiculum, in quo ſemper ſolitus erat quieſcere, fuſis ardentiſſimis ad Deum precibus, ſeſe ad quietem compoſuit. Circa horam autem noctis vndecimam, cum animaduerteret vim morbi naturae robur ſuperaſſe, vocata vxore voluit reduci in Muſeum, in quo hactenus tot egregia meditatus erat, et in quo pridie ſibi lectum ſterni iuſſerat: ibique paullo poſt in manibus vxoris inter pias preces leniter exſpirauit, et

(*p*) Vide litteras ad *Io. Bauhinum* p. 153. et ad alios alibi.

(*q*) Vide litteras ad *Io. Bauhinum* p. 158.

(*r*) Vide litteras ad *Achill. Pirm. Gaſſarum* ad d. 19. Iul. 1565. Epiſt. Lib. I. p. 42. b.

(*s*) Vide litteras ad *Adolph.* Occonem Epiſt. Lib. II. p. 76. b. et 77. b.

(*t*) Exempla huius rei maxime notabilia deprehendi poſſunt in litteris ad *Ad. Occonem* d. d. 5. Maii 1565. ſcriptis. Epiſt. Lib. II. p. 62. a. deinde ad *Bened. Aretium* ad d. 22. Aug. ei. ann. Epiſt. Lib. III. p. 121. b. tandem ad *Io. Hoſpinianum* ad d. 27. Nou. ei. ann. Epiſt. lib. III. p. 104. a.

(*u*) Vide litteras ad *Gaſſarum* d. d. 3. Dec. 1565. Epiſt. Lib. I. p. 44. a.

et reddidit animam Creatori, quem tot modis, promulgando et obſeruando magnalia praepotentis Opificis magnifice extulerat. Studiis elegantioribus adeo funeſtus, et amicis adeo deplorabilis dies fuit *decimus tertius Decembris* anni *milleſimi quingenteſimi ſexageſimi quinti*, quo GESNERVS mortalia depoſuit, *annum* non penitus explens *quinquageſimum*. Doluit morte eius vrbs tota: magna igitur frequentia poſtero die omnium ordinum homines funus deduxerunt, corpusque in ſummi templi periſtylium ſepeliuerunt, iuxta *Iohannis* FRISII ſepulchrum, qui ſuperiori anno eum praeceſſerat; vt poſt obitum coniungerentur corpora, quorum animi ſemper fuere coniunctiſſimi. (*w*) 1565. d. 13. Dec.

Deſiit igitur inter mortales eſſe Vir fauſtiſſima ſorte et longaeuitate multo maiore digniſſimus; nam ſi integrum quoque ſaeculum abſoluiſſet, neque gloriae ſuae neque ſcientiarum emolumento ſatis vixiſſet. Vaſtiſſimorum vero laborum, eaque numquam interrupta catena, corporisque fragilitas ex teneriori ſtructura pendens, vix promiſiſſent canam ſenectutem, ſi quoque virulentus iſte morbus ipſi peperciſſet, quod ipſe pluries praeuidit. (*x*) Habitum enim corporis debiliorem a iuuentute fere nactus eſt, quod morbi paſſim enarrati confirmant, ipſeque ſe phlegmaticum et frigidi ventriculi hominem vocat. (*y*) Vultus ideo etiam paullo macilentior pallidiorque fuit praeſertim aetate virili. Frons tamen patens et bene fornicata, per ſeueras meditationes rugis magnis parallelis ſenſim exarata fuit, ſinubus frontalibus modice prominulis. Orbitae amplae ſuperciliis veſtitae rectioribus, neque trucis neque iracundi ſed placidi animi indices. Palpebrae decenter in latum fiſſae oculos prehendunt, qui ſerenitatem modeſtiamque egregie produnt, et quamuis hebetudinis et luſcitionis vitium habuerint, (*z*) acutiſſimi perſpicaciſſimique fuiſſe debuerunt; cum lentium vitrearum, microſcopiorum nempe, beneficio, quo hodie tanta nobis naſcitur commoditas, nondum ſuffulti, minutiſſimas plantarum florumque partes adeo diſtincte rimari potuerint, vt rariſſime aliquid eorum aciei effugerit. Naſus longior parum et eleuatus, non tamen aquilinus, ſed qualis ſublimem ingenuamque faciem decet. Os gratum, cuius labia non extuberant, ſed fere in temperantiae et conſiderati ſermonis ſignum occultata componuntur. Myſtaces labium ſuperius non impediunt, ſed cum decore quodam ad latera defluunt; barba vero copioſa, denſa, in mento praecipue promiſſior, qualem eius ſaeculi grauitas in viris popoſcit, modice et vndoſo tractu criſpa, lenitatis ingenii indicium eſſe poteſt. Quas itaque virtutes vultu (*a*) iam quaſi praeferebat GESNERVS, eas et plures in vita et moribus declaratas dedit. Summa enim ipſi fuit Dei diuinique cultus purioris reuerentia: tantus etiam amor erga ſcripturam ſacram, vt Codicem Hebraeum Graecumque frequenter in manibus haberet. Numquam diſſimulavit, ſed pluries ad amicos et alibi profeſſus eſt ſententiam conuictionemque ſuam de veritatibus diuinis: ſola epiſtola ad DALECHAMPIVM ſcripta arduam mentem, non amplius in cortice haerentem, pleniſſime declararet, etſi aliud non ſupereſſet teſtimonium. (*b*) Summa quoque in illo erat humanitas, ſimplicitas et integritas: nulla oſtentatio, luxus nullus, libidinis ne veſtigium quidem occurrebat; pudorem potius et verecundiam vbique quam maxime demonſtrabat, absque ſeueritate tamen vel moroſitate, ſed hilaris et facetus interdum exſtitit, (*c*) prout res dedit. Ob praeclara haec animi dona

 quo-

(*w*) Pleraque morbum nouiſſimum et obitum concernentia, deſumta ſunt ex SIMLERI Vit. p. 19. a. ad 20. a. vbi aliqua fuſius adhuc explanantur. Placet adiungere litteras a Cl. GESNERO communicatas *Io. Henr. Bullingeri.* Eccleſ. Tigur. Antiſtitis ad *Io. Fabricium* ad d. 14. Dec. 1565. „ Quid dicam aut ſcribam, mi Frater *Fabrici*? Moeror moerorem excipit, et auget ſupra modum. „ Scis quantus mihi ex meorum mortibus dolor „ ſit excitatus. Nunc mors Clariſſimi, Eruditiſſimi et Sanctiſſimi Viri D. GESNERI tantum non enecat me. O miſerum me, qui ſemiuiuus tot funera ſequi cogor. Sed cum Domino ſic placeat, libenter me ſubmitto diſciplinae eius. Hac praeterita nocte migrauit ille hora XI. ad Dominum. Heri mihi valedicens profitebatur fidem ſuam, et miſericordiae Dei per Chriſtum ſe commendabat. *Laborauit in extremum vsque halitum. Heri quoque adhuc ſcripſit. Nunquam decubuit, ſemper vel conſedit vel obambulauit.* Dominica die adhuc in ſacro coetu fuit. Peſtilentiſſimus anthrax praecordia eius occupauit, bubo ingens ſub axilla eius ſiniſtra ſubſedit. Plura me dicere dolor non ſinit. Effertur ad quartam veſpertinam.

(*x*) Vide litteras ad *Io Fabricium* ad d. 12. Octobr. 1562. Epiſt. Lib. III. p. 92. a. *item* ad *Io. Kentmannum* et alibi pluries.

(*y*) in Deſcriptione Mont. Fract. p. 49.

(*z*) Vide Epiſt. Lib. III. p. 84. a. et ibid. p. 85. a.

(*a*) Effigiem, naturali minorem, viuis coloribus expreſſam, et archetypo coaeuuam, inſpicere nobis conceſſum eſt beneuolentia Cel. GESNERI.

(*b*) Plura de his legi poſſunt in litteris Epiſt. Lib. I. p. 25. b. Epiſt. Lib. II. p. 56. a. et b. Epiſt. Lib. III. p. 123. b. *it.* ibid. p. 125. a. et alibi, vt et in Vita SIMLERI. p. 16. a. et b. Epiſtola vero ad *Dalechampium* ad d. 8. Ian. 1562. ſcripta, quam MORERI loc. cit. optat vt ederetur, inſerta legitur nunc in Muſ. Heluet. Particula I. Tiguri 1746. 8vo. impreſſa. p. 133. ad 150.

(*c*) Vide exempla Epiſt. Lib. I. p. 29. b. Epiſt. Lib. III. p. 90. a. ibid. p. 104. b. *ad Theod. Zwingger.* it. Epiſt. Lib. IV. ad *Kentm.* d. d. 29. Oct. 1556.

quorumcumque, qui eum vel propius et de facie, vel ex ſcriptis nouerant, amicitiam, fauorem, quid quod venerationem ſibi contraxit, et honorificentiſſimum Imperatoris FERDINANDI iudicium, publice latum promeritus eſt; quod GESNERVS tota ſit probitas. (*d*) Praeterea nemini iniquus vel grauis fuit, neque animum contentioſum monſtrauit, vbi potuiſſet etiam; quod ſatis probauit in oborto diſſidio cum MATTHIOLO, ſatis celebri quidem ſed faſtuoſo aduerſario. Nam grauibus conuiciis ab hoc laceſſitus, defenſionem cauſſae ſuae ſuſcipere in animo habuit; cum autem Norimbergenſes Medici, *Hier.* DONZELLINVS, *Hier.* HEROLDVS, et *Io.* HESSVS, aeque ac *Iul.* ALEXANDRINVS, Medicus Caeſareus, aliique quidam ſeſe interponerent, non deſtitit ſolum a vindicta, ſed eo quoque adigi ſe paſſus eſt, vt ad inimicum litteras amicas et modeſtas dederit, in quibus ſibi reſeruauit quidem, cum moderatione diſſentire, vbi vellet, pax tamen facta eſt; (*e*) etſi Noſter indubiis argumentis euincere poſſet, Aconitum primum aduerſarii eſſe fictam iconem ex Squamariae radice minus recte repraeſentata, cui Doronici folia adpoſita fuerant. Noluit autem crabrones vlterius irritare non pro ſua ſolum parte; (*f*) omni iure ſperans, tempus figmenta declaraturum, et illatam iniuriam vlturum eſſe: ſed et GVILANDINVM admonuit, vt feruorem temperaret. (*g*) Facilem ſemper ſeſe praebuit ad diſcendum, vt neminem ſperneret, quod ſuo loco vidimus, a quo aliquid proficui haurire poſſet. Ob eam autem facilitatem reprehenditur a CRATONE, meritorum ſuorum alias magno et aequiſſimo iudice, atque ab eo credulitatis redarguitur, quam vero bonitati animi non defectui tribuit. (*h*) Ideo autem, ſi quod hac in re meum eſt iudicium, cum meliora edoctus ſe ipſum corrigeret, multo minus nocuit ſcientiis, quas coluit, quam ſi inuincibili quaſi obſtinatione conceptae opinioni inhaeſiſſet, ac ſe falli neſcium credidiſſet, quod vitium clarorum virorum merita ſubinde obnubilauit, et infinita veritati impedimenta oppoſuit. Ea in re ne amicis quidem facilior fuit quam ſibi, ſed eos candide refutauit, vbi lapſus in illis deprehendit; maximam enim amicitiae praerogatiuam habuit, vt ſalua amicitia alter ab altero diſſentire quam liberrime poſſet. (*i*) Interim non ſemper abſque omni delectu corraſit quaelibet, neque coeco quaſi impetu adſtipulatus eſt commentis omnibus, ſed enarrauit potius; vbi vero iudicium ſuum adpoſuit, hoc plerumque valde commodum, quantum nempe ſaeculi, in quo vixit, genius patiebatur, quin interdum multo acutius et defoecatius dici meretur, quam ab ea aetate exſpectari poteſt; cuius prolixa exempla, ſi longus eſſe vellem, in medium producere poſſem. Amicitiae curioſiſſimus omni tempore exſtitit cultor, et leuiſſimum quodcumque humanitatis officium magni ſtatim fecit, gratoque animo, cum plerumque aliter non valeret, vel in ſcriptis, vel dedicatione aliqua oblata agnouit; Viros autem, a quibus multum ſubleuatus fuit, et quibuscum intimius vinculum contraxit, impenſiſſime dilexit, et extulit data quauis occaſione, vt profuſior iuſto interdum iudicatus fuerit. (*k*) Tantum abeſt, vt cuiquam eorum inuideret, vt potius ipſe GVILANDINVM, CAIVM, KENTMANNVM, *Io.* BAVHINVM, *Ioach.* CAMERARIVM aliosque excitaret, ne perire ſinant induſtriae ſuae ſpecimina, ſed mature ea publicarent, quae nominis celebritatem procreare poſſent. Vt pro ſua ſtatim parte ad poſteros propagaret amicorum famam, a ſingulis petiit, vt vel ſibi quilibet eligeret plantam aliquam, quam ſecundum ſuum nomen adpellari vellet: vel permitteret, vt quaedam pro lubitu ipſi offerretur, quae a veteribus innominata manſerit, viribus tamen medicatis polleret;

antiqua

(*d*) Facti hiſtoriam *Io. Crato* in litteris ad GESNERVM. Vienna Auſtriae ad d. 28. Febr. 1564. datis, et SIMLERVS Vit. p. 17. b. et 18. a. prolixe enarrant.

(*e*) Vide litteras ad *Io. Kentmannum* d. d. 27. Febr. 1559. Epiſt. Lib. IV. n. 10.

(*f*) Haec prolixe recenſet in litteris ad *Io. Kentmannum* d. d. 27. Aug. 1563. Epiſt. Lib. IV. n. 16.

(*g*) Vide litteras ad Eundem Epiſt. Lib. III. p. 140. a vbi inter alia haec habet: „ Loquamur de „ rebus ipſis, et contenti ſimus docere. Ve„ ritas ipſa per ſe vincet, idque maiori aduerſa„ riorum ignominia, noſtra vero gloria: quam „ ſi conuiciis et vanis oſtentationibus cum illis „ certaremus.

(*h*) Ita ſcribit *Crato* in litt. inedit. ad *Ioach. Camerar* Fil. d. d. 27. Nou. 1584. „ GESNERVS noſter, dum eſ„ ſet vir optimus, omnia credidit. Saepiſſime igi„ tur eſt falſus, et aenea putauit aurea eſſe. Idem *Idem* ad *Eund.* d. d. 24. Iul. 1585. „ Nimi„ vm facile hominibus ineptiſſimis Vir optimus „ credebat, et fidem ſibi quoque adhiberi vo„ luit.

(*i*) Vide Epiſt. Lib. I p. 12. b.

(*k*) Factum id eſt a *Io. Cratone*, quantum *Io. Kentmannum* concernit, in litteris ad *Ioach. Camerarium* Fil. d. d. 24. Iul. 1585. ineditis, vbi de libri IV[ti]. Epiſt. GESNERI editore loquitur: „ Sunt Epiſtolae GESNERI ad D. *Kentmannum* editae. Auctor doctiſſimum illum fuiſſe „ contendit, et inſtillatum aliquid GESNERO „ putat: GESNERVM tam putat ſtupidum, vt „ epiſtolae illi non indicio eſſe potuerint, quam „ bene doctrina inſtructus fuerit. Studioſe me„ tallica et piſces D. *Kentmannus* congeſſit, ac „ iſta diligentia laudem meretur. Sed de mor„ tuo non niſi bene" etc. Huius vero et aliorum, de quibus *Crato* erga ipſum GESNERVM monuit, ratio redditur a Noſtro. Epiſt. Lib. I. p. 6. a. ad fin. Gratiſſimi denique animi praeſtantiſſima teſtimonia exſtant in editis et ineditis eius ſcriptis.

antiqua enim oblitterare nomina religioni duxit. Ita GASSARO propoſuit Achilleam novam vel Gaſſeriam. OCCONI Patri et Filio Pyrolam vel Burſam paſtoris ſub Occonia vel Adelpha: (*l*) In ARETII honorem Gentianae ſpeciem, cuius vſum in peſte pecorum et boum primus docuerat, Aretiam vocare voluit. (*m*) CAMERARIO Anblatum conſecrauit, (*n*) propter vires, quas ille in aqua eius ſtillatitia deprehenderat. CORTVSVS et CALCEOLARIVS ſtirpes παρονύμως miſerant, alias vero, quas non nominat, *Io.* BAVHINO, HEROLDO, VOLLATO, STENGELIO et RAVWOLFIO deſtinauit. (*o*) Pro ea quoque, qua fuit humanitate hoſpitalem ſemper ſeſe praebuit, admittendo non ſolum litteratos homines et peregrinos, qui vel vt ipſum viderent et noſcerent, vel contemplarentur copiam rerum naturalium ex omni regno naturae vndique conquiſitarum, in aedes eius properabant, ſed etiam iuuenes ſtudioſos domi habuit; cunctis libentiſſime ſingula demonſtrauit, et ſuauiter ac erudite de rerum natura viribusque diſſeruit. (*p*) Quae de caetero fuerit fides GESNERI in edendis amicorum peregrinorumque ſcriptis et obſeruatis partim exemplis iam illuſtrauimus, partim adhuc magis eluceſcet in ipſo hoc opere, neminem enim induſtriae adhibitae fructibus fruſtrari voluit, ſed quemlibet laudari et honoris cauſſa commemorari, a quo aliquid didicit vel accepit. Securus enim ferme fuit, innumera in ſcriptis ſuis manſura eſſe, quae propria meditatio et obſeruatio excoxerat, et quae ſuffectura forent ad indelebilem nominis perennitatem.

Prolixiſſimae eruditionis et ſtupendae fere adſiduitatis capax cum eſſet, et ſcriptis aliorum et propriis vndique adcommodare potuit noua et nondum ſatis dilucidata. Nullum adeo fere fuit elegantiorum litterarum et ſcientiarum ſolidiorum, praeſertim ad rem Medicam collimantium genus, in quo non eminuit, vel ſaltem vltra mediocritatem verſatus fuit. Quanto ſtudio per totam vitam inſudauerit Philologiae, quantique fuerint in lingua Graeca, Latina et Hebraica profectus, ſufficienter probant enarrata, et luculentius adhuc euiciſſent forſitan ea, quae mors intercepit. Vltra haec Arabicam linguam tetigit, (*q*) nec Italicae locutionis imperitus fuit, teſte exemplari Italico MATTHIOLI, cui plurima ſedulae lectionis indicia adſcripſit. (*r*) Belgicam quoque linguam eum in finem didicit, vt DODONAEVM legere poſſet, (*ſ*) Gallicae mediocrem vſum habuit. Germanicam linguam praeſertim variis modis illuſtrare ſtuduit, ac multa nomina animalium et herbarum ingenioſe excogitauit: inſuper in vocum praecipue nominum propriorum origines ex Hebraea, Graeca vel Latina lingua petendas, curioſe inquiſiuit; vt oſtenderet, pleraque certam aliquam ob cauſſam impoſitas eſſe Graecorum fere in morem. Librum aliquem eius argumenti, et alium de Scriptoribus Germanicis componere meditatus eſt, qui abſolutus non eſt. Aliquot millia etiam nominum propriorum Germanicorum vetuſtiſſimorum diſpoſita in ordinem poſſedit, (*t*) et varia priſcae Germaniae, vt vidimus, monumenta collegit. (*u*) Itaque antiquitatis ſtudium non penitus neglexit, ſed ei aliquid temporis dedit, prout occaſio tulit, numosque antiquos vel reſeruauit, vel amicis donauit. (*w*) Lubens mitto plures circa linguas alias peregrinas et cultiores litteras occupationes, quae quemlibet eruditum ornant, longe praeſtantiora cum praeſtiterit in tot aliis ſcientiis, quarum quaelibet totum requirere ſolet hominem. Creberrima adeo cum Naturae ſcrutinio conſuetudo effecit, vt penetraret ad veritates, quae hodie pluribus abſconditae manent. Succinum ergo foſſile eſſe, et cognatione quadam Chalcanthi naturae adpropinquare, contra perſuaſionem aeui ſui ſuſtinuit: idem adfrictu ſolo non igne admoto calens non ſolum, ſed et Aſphaltum, Gagatem et alia bitumina paleas trahere expertus eſt. (*x*) Gemmas etiam non paucas iisdem viribus pollere vidit. (*y*) Vt viperarum naturam propius cognoſceret,

K tribus

(*l*) Vide Epiſt. Lib. I. p. 42. b. it. Lib. II. p. 63. a. et Lib. eod. p. 73. a.

(*m*) Vide Epiſt. Lib. III. p. 120. b.

(*n*) In litteris ineditis ad d. 27. Aug. 1565. ſcriptis.

(*o*) Vide de his Epiſt. ad Bauh. p. 146. et 147. it. Epiſt. Lib. II. p. 73. a. et Epiſt. Lib. III. p. 120. b.

(*p*) Vide Epiſt. Lib. I. p. 17. b. et SIMLER. Vit. p. 17. a. et b.

(*q*) Vide litteras ad *Theod. Zwinggerum* d. d. 26. Nou. 1565. Epiſt. Lib. III. p. 113. b. vbi de Rhaſis Operibus loquitur: „ Loca multa emendabo, et multorum *Arabicorum vocabulorum* in ſimplicibus medicamentis *interpretationem* adſcribam: *quod iam etiam in Auicennae Libro ſecundo feci.*

(*r*) Exemplar hoc a Cl. GESNERO itidem tranſmiſſum inſpeximus.

(*ſ*) Perhibet id ipſe in litteris ineditis ad *Ioach.* CAMERARIVM Fil. d. d. 27. Ian. 1565.

(*t*) Vide de his SIMLER. Vit. p. 7. b. it. Epiſt. de Libr. a ſe edit. p. 29. b. n. 17. et p. 30. a. n. 18. *it.* ibid. p. 31. a.

(*u*) Vltra enarrata, Auentini hiſtoriam ſumma 35. vel 40. thalerorum emere voluit. vide Epiſt. Lib. I. p. 25. a.

(*w*) Vide Epiſt. Lib. II. p. 49. b. et 50. a. ad *Occonem.*

(*x*) Vide Epiſt. Lib. II. p. 68. b. et p. 70. a. et b. item ibid. p. 61. a. et p. 45. a. et b.

(*y*) Vide Epiſt. Lib. II. p. 61. b.

tribus annis ante mortem continuis viperas ex Italia et Gallia adlatas domi aluit, etſi de periculo ab amicis praemonitus; (z) verasque per ſquamarum habitum a congeneribus diſtingui animalibus deprehendit. Neque neglexit plane corporis humani naturalem malamque conformationem obſeruare, et vbi potuit, morbos ex vitio Machinae explicare tentauit. (a) Praecipuos vero a teneris ad extremum vitae terminum conatus plantis dicauit, et tanta praeſtitit, quanta nemo anteceſſorum vel longa annorum ſerie ſequentium perfecit. Vtinam abſoluiſſet inſtitutum, nos ſane hodie non ita ſubinde dubii haereremus de pluribus eiusdem ſaeculi et proxime ſequentis ſtirpibus, quarum nomina propter notarum conſtantium defectum de planta ad plantam pro lubitu migrant et errant. Quod characteris veri primus inuentor nuncupandus ſit, quum floris et fructus ſtructuram et cognationem, quibus interdum radicem adiunxit, (b) pro fundamento poſuerit, iam euicimus, et Opera haec ipſa adeo indubie adfirmabunt, vt longior huius adſerti commendatio plane inutilis cenſeri debeat. Quam liberalis fuerit in erogandis ſumtibus pro impetrandis vndiquaque plantis, quaeue itinera ſuſceperit ipſe, toties hucusque enarrauimus, quoties tempus praeciſum indicare potuimus, plures tamen perfecit incertis annis. Montem ita Gotthardum etiam conſcendit, montes Suitenſes, Glaronenſes, Vntervvaldenſes, Alpes Bernenſis ditionis, Stockhornium denique, Laegerium, et Gemmium in Valeſiis et alios perreptauit, aliquos iteratis vicibus perueſtigauit, (c) multo plures regiones humiliores patriae vrbi magis vel minus vicinas praetereo. Pictores ad manus habuit exquiſitos ſane et artificioſos, quibus ſemper dum laborarunt, adſtitit, idemque ſculptoribus praeſtitit. Ipſe inſuper ſcitiſſime delineauit; quod proprio teſtimonio paſſim innuit, et *Caſp* WOLPHIVS confirmat. (d) Primus quoque fuit, qui Tiguri in hortis exoticas, tum ſylueſtres et montanas ſtirpes coluit, et amicos ad paria conamina excitauit. (e)

Quemadmodum autem in extricanda plantarum fabrica laborioſiſſimus et feliciſſimus exſtitit, ita etiam non minorem impendit operam in perquirendas et rite diiudicandas earum vires medicatas. Non enim ſolum ſimplicium et paratorum ex iis remediorum effectus in aliis hominibus ſedulo obſeruauit et notauit, ſed etiam vt certior de plerisque fieret, eo proceſſit, vt proprium corpus porrigeret pro capiendo experimento, quod vel ideo fecit, ne aliorum vitam ſanitatemque temere in diſcrimen adduceret, vel quia ex praemiſſo ratiocinio aut longo cum plantis conſortio, ſenſuumque externorum ope efficaciam ſubodoratus eſt. Vbi vero dubius fuit, parciſſime ſingula ſumſit, doſin ſemper augendo. (f) Helleborum itaque vtrumque, Eupatorium aquaticum, Polygalam, Gratiolam, Aſtrantiamque intus ſumens, potenter ſupra vel infra vacuatus eſt. Anthoram Aconiti ſpeciem ſalutarem, Split vero herbam inefficacem eſſe, nec laudibus reſpondere deprehendit. Torae bulbulum ſiccum guſtare auſus eſt, eumque non amplius vrentem inuenit. Pomi amoris rubri ſeu Lycoperſici fructum integrum absque detrimento comedit. Mandendo ſolum Nicotianae folium vertigine adfectus, a fumo autem ex Saluia, Rosmarino et Iuniperi baccis attracto nihil laeſus eſt. Doronicum varia forma et pluribus vicibus ad duas vsque drachmas ingeſſit, nihilque omnino mali inde retulit praeter aliquam corporis et ventriculi debilitatem ſemel obortam; tantum abeſt, vt ex eius vſu interemtus fuerit, vt potius animaduerterit, radicem aliis congruis mixtam epilepticis prodeſſe. (g) Belladonnam Opio non ignauiorem eſſe, et ſuccum caute

(z) Vide Epiſt. ad *Gaſſarum* 1563. Lib. I. p. 43. a. et ibid. ad *eund.* 1564. Lib. II. p. 66. a. it. ad *Kentmannum* 1565. Epiſt. Lib. IV. n. 21. et Praefat. ad Librum de foſſilibus.

(a) Exempla paſſim in Epiſtolarum Libris continentur, vnum praeſertim in litteris ad *Placotomum* 1557. ſcriptis. Epiſt. Lib. III. p. 137. a. contentum lectu non indignum eſt.

(b) Vide Epiſt. Lib. III. p. 113. a.

(c) Nomina haec et plura paſſim in Voluminibus picturarum occurrunt, quas vero in ſingulis decerpſerit plantas, conuenientiori loco indicabitur, quando ipſae picturae prodibunt.

(d) Pluribus Epiſtolarum locis GESNERVS de ſe id perhibet, luculentiſſime autem in litteris ad *Io. Kentmannum* d. d. 24. Iun. 1564. Epiſt. Lib. IV. n. 19. vbi dicit: „ *Sum et ipſe ſubinde in variis plantis depingendis occupatus.* WOLPHIVS autem in Pollicit. p. 44. b. et in fragmento Hiſtoriae Stirpium, infra ſequente, ſub Abrotono ſexto idem teſtatur.

(e) Vide Lib. de Hort. Germ. apud Cord. p. 238. a.

(f) Prolixe de hac re diſſerit in litteris ad *Ad. Occonem.* Epiſt. Lib. II. p. 71. b. et ad *Gaſſarum* Epiſt. Lib. I. p. 44. a.

(g) De *Helleboro vtroque* vide praecipue in Epiſt. Lib. II. p. 69. a. et p. 71. b. De *Eupatorio* Epiſt. Lib. II. p. 63. a. et Lib. III. p. 121. a. De *Polygala* bis Epiſt. Lib. III. p. 121. a. De *Gratiola* Epiſt. Lib. I. p. 22. a. Lib. II. p. 71. b. et Lib. III. p. 94. b. *item* Epiſt. ad Bauh. p. 147. De *Aſtrantia* Ep Lib. II. p. 78. b. De *Anthora* Ep. Lib. II. p. 66. a. De *Split* Ep. Lib. I. p. 8. b. De *Tora* Lib. de Aconit. p. 9. b. et p. 18. b. De *Lycoperſico* Ep. Lib. III. p. 107. a. De *Nicotiana* Ep. Lib. II. p. 79. b. et Lib. III. p. 96. b. De *Saluia* etc. Ep. Lib. II. p. 80. a. De *Doronico* Lib. de Aconit. p. 12. b. et p. 13. b. *item* Epiſt. Lib. I. p. 18. b. praeſertim Lib. II. p. 74. b. et p. 78. a. in litteris ad *Occonem* d. d. 18. April. et 28. Sept. 1565. ſcriptis; Refellitur

caute vſurpatum dolores aluique fluxus mitigare, expertus pronunciauit. Paridem herbam ad haemorrhoides dolentes valde conducere, et Nucis Vomicae antidotum eſſe vidit. Gentianae ſucco febres intermittentes rebelles commodiſſime domari, et Syrupum Rubi Idaei, Auro, Sapphyris, Smaragdis, gemmisque reliquis, nuda forma in remedia vulgo receptis, praeferri poſſe iuſtis experimentis didicit. Succum Citri, acetum ſtillatitium, aliaque acida contra morbos malignos et venena plurimum valere corroborauit. Oleum lini pleuriticis leuamen adferre, felici euentu obſeruauit. Fraga calculoſis vtilia eſſe, lixiuium etiam fabalium Lithiaſin potenter curare pluries probauit, et de huius viribus ſcriptum aliquod compoſuit, quod non prodiit. (*h*) Habuit etiam medicamenta compoſita, in quibus magnam fiduciam poſuit; inter quae Oxymel helleboratum maius et minus, Syrupum et aquam helleboratam cum aceto, Decoctum Foenigraeci, Anticaſſiam et alia plura ipſe concinnauit, (*i*) et vbique laudauit: plura ab amicis communicata poſſedit, hisque viciſſim ſua lubentiſſime communicauit. Multa omnino ſileo, quae largiter ad manus eſſent, haec cum abunde ſufficiant pro argumento, quod Vir tanto iudicio, tanta experientia, e rebus ipſis adquiſita praeditus, Medicinam fecerit felici ſucceſſu; praeſertim cum ſecuriſſima via ſemper procederet, leniora dando in principio, fortioribus vero inſiſtendo, poſtquam aegri naturam explorauerat, vel morbus lenioribus cedere recuſauerat. (*k*) Hoc quidem verum eſt, GESNERVM, qui in imitationem maximorum Medicorum, Medicinam quaeſtus cauſſa exercere noluit, Praxin ſuam vocare aliquando anguſtiſſimam, quando aliis grauibus laboribus implicitus fuit; (*l*) Nemo tamen horum gnarus ideo imperitiam ipſi obiiciet. (*m*) Satis enim patet ex ſcriptis, quod non raro fauſtiſſime debellauerit, Aſthmata, Hydropes, Apoplexias, Epilepſias, Suffocationes hyſtericas, Quartanas, aliosque morbos atroces plurimos: Lumbricos, vel Taenias, tredecim cubitorum aliquot in aegris, et Scarabaei genus nigrum expulerit e foemina per aluum. (*n*) Arteriotomen in temporibus, diu obſoletam, reuocauit, ac tumorem enormem e dorſo manus dextera ſectione auferri curauit. Venae ſectionem, cui alias fauit, minus proficuam, quin nociuam plerumque inuenit in febribus contagioſis et malignis. Polline teſtium equinorum ſecundinas exturbauit, ruſtici experientiam non ſpernens. (*o*) Oculorum morbis tamen mederi noluit, quia ipſe myops, et conſpicillo vſus fuit obiecta imminuente, ne quis propriam turpitudinem obiiceret. Mineralibus minus fiſus eſt, neque Stibio multum tribuit, Sulphure tamen viuo aliquoties vſus eſt, et pro Trochiſcis de Vipera ſubſtituit; Oleum, vt vocatur, Vitrioli vero frequentius in vſum traxit. (*p*) Aeque minus Chymicorum Theoriae fauit, et *Paracelſum*, *Phaedronem* ac *Suchtenium* aliosque adſeclas pro Magis habuit, remedia tamen eorum laudauit. (*q*) Numquam finirem, ſi latius diuagarer, et ſigillatim plura recenſerem, quae non in hoc ſolum, ſed quolibet fere ſtudiorum elegantiorum genere praeclara praeſtitit, eamque ipſam ob cauſſam nihil amplius iniicio de immortalibus meritis in rem herbariam, cum

K 2 haec

litur autem non his ſolum, ſed et reliquis, de mortis genere ac tempore ſupra adductis teſtimoniis, opinio, ac ſi GESNERVS ex comeſto Doronico diem obiiſſet ſupremum. Alii idem ab Anthora eueniſſe publicarunt. Vtramque opinionem recenſet eximius *Io. Henr.* SCHVLZIVS in Mat. Medic. p. 316. et 353.

(*h*) Vide de *Belladonna* Ep. Lib. I. p. 16. b. et p. 34. b. De *Paride* Ep. Lib. I. p. 16. b. p. 33. a. et Lib. III. p. 110. b. De *Gentiana* Ep. Lib. II. p. 63. a. et p. 74. b. *it.* Lib. III. p. 97. a. De *Rubo Idaeo* Ep. Lib. II. p. 50. b. et Lib. I. p. 4. b. De *Citro* et *acidis* Ep. Lib. I. p. 4. b. et p. 46. b. *it.* Lib. III. p. 95. a. De *fabalium lixiuio* Ep. Lib. II. p. 73. b. De *Fragis* Ep. Lib. III. p. 92. b. De *oleo Lini* Ep. Lib. I. p. 39. a. et Lib. III. p. 108. a.

(*i*) *Anticaſſiae* meminit Cel. SCHEVCHZ. in Deſcr. Therm. Badenſ. p. 50. *Aqua helleborata* deſcribitur Ep. Lib. I. p. 5. b. et p. 25. a. *it.* Lib. II. p. 69. a. *Syrupus* Ep. Lib. III. p. 83. a. *Oxymel* et alia, peculiari libello, Libro de Aconitis adnexo, a p. 21. a. ad finem vsque p. 28. a. ex quo vires cognoſci poſſunt. Contra admixtionem dulcium ad Helleborum quaedam monet *Io. Henr.* SCHVLZIVS in Hiſt. Medic. p. 264.

(*k*) Vide Epiſt. Lib. III. p. 129. a.

(*l*) Vide Epiſt. ad Bauhin. p. 140. et SIMLER. Vit. p. 15. b.

(*m*) Quod tamen factum videtur in GVNDLINGII Hiſt. Litterar. Part. II. p. 2963. cuius verba hic exhibere nolumus parum commoda.

(*n*) Vbique refertae ſunt Epiſtolae et alia ſcripta morborum Hiſtoriis, de *Lumbricis* vide Ep. Lib. III. p. 90. b. De *Scarabaeo* Ep. Lib. III. p. 94. b. et Ep. ad Bauh. p. 148.

(*o*) De *Arteriotome* vide Ep. Lib. III. p. 96. a. De *Tumore* Dedicationem Libelli *Iac.* Ruffii De Tumoribus etc. De *Venae ſectione* Ep. Lib. II. p. 47. b. et p. 66. b. *it.* p. 95. a. et 100. b. De *Teſtibus equinis* Ep. lib. I. p. 27. a.

(*p*) De *Stibio* vide Ep. Lib. II. p. 75. b. De *Sulphure* Ep. Lib. IV. ad *Kentm.* n. 22. De *Oleo Vitrioli* Ep. Lib. I. p. 31. a. et pluries paſſim. De *Chymicis* Ep. Lib. I. p. 24. a. p. 28. a. et alibi praeſertim in litt. inedit. d. d. 27. - - - - 1565. ad *Ioach.* CAMERARIVM.

(*q*) Vide Epiſt. Lib. III. p. 84. a. et p. 85. b. *it.* Lib. III. p. 136. b et 137. a.

haec ipſa Opera, continua ſerie proditura, per ſe loquantur, et inſtar terſiſſimi encomii eſſe poſſint. Haec qui conſiderat, vix credet, vnicum hominem inter tantum inueniendorum cumulum, et tantam ſaeculi difficultatem tot diuerſis ſufficere potuiſſe. Eo magis miremur ſtupendam Viri induſtriam aeque ac eruditionem, qui expeditiſſima ſcriptione non ſolum tot libros vtiliſſimosque conficere, vel induſtria ſua illuſtrare ac edere potuit, coactus non raro, praeſertim primis temporibus, inopia et neceſſitate, (*r*) quae ſane grauia obſtacula, laborum dignitatem pretiumque inſigniter augent; ſed et integerrimo animi robore valuit, priuatis ſtudiis tantum temporis ſimul conſecrare, vt nouos ſemper libros poliendos et componendos ſibi ſumſerit: in vniuerſum naturae complexum meditationes et obſeruationes direxerit: tantam vegetabilium vim collegerit et acutiſſimo ſcrutinio extricauerit; et tamen vltra haec omnia prolixiſſimum commercium litterarium frequentauerit, quod pari fere facilitate tam Latino quam Graeco idiomate ſuſtinuit. Triginta enim Medicos ſolum habuit, quibuscum per litteras communicauit. (*s*) Non autem dedit epiſtolas inertes et ſteriles, ſed profunda doctrina vtiliſſimisque rebus refertiſſimas, quae merentur, vt in hunc vsque diem ſaepius euoluantur. (*t*) Scripſit praeterea varia, vel alios libros adnotationibus inſtruxit et emendauit: quorſum ſcholia in *Orpheum* de Gemmis, *Oppiani* verſio in Latinam linguam, emendationes in *Moſchionem* de affectibus muliebribus, *Cleopatrae* et *Priſciani* Gynaecea, et *Trotulae* librum, *Plinii* naturalem, *Theophraſti* plantarum hiſtoriam, et *Dioſcoridis* Materiam medicam, aeque ac *Phaemonis* libellum aliosque de canibus pertinent. De Praxi Medica et remediis collectanea, in ſchedis per claſſes diſpoſitis plurima reliquit. Quaedam poſt obitum edita ſunt, (*u*) alia vna cum pluribus, quae diſperſa ſunt vel deliteſcunt, expiſcari integrum non fuit. Neque enim de his, neque reliquis GESNERI laboribus mihi perſuadeo, ac ſi omnes recenſuerim; ſtudio enim dato quosdam praeteriui, et eminentiores forte ſolum enarraui; cum binorum ſaeculorum interuallum facillime tantum valuerit, vt tot virtutes et tot praeclara facta ſub obliuionis, vmbra ſuppreſſa, vel ab ipſo GESNERO ex connata modeſtia celata fuerint, quot ad nominis celebritatem comparandam interdum requiri ſolent. Per totam enim vitam in id intentus fuit, vt publico prodeſſet, amicos iuuaret, artesque liberales, praeſertim vero rem Medicam et Botanicam praeſtantiſſimis obſeruationibus et inuentis locupletaret.

HISTO-

(*r*) Candide id ipſe profitetur in Biblioth. Vniuerſ. p. 180. b.

(*s*) Vide Epiſt. Lib. I. p. 41. b. quorum plerique ſuo loco nominabuntur.

(*t*) Editi ſunt Epiſtolarum Medicinalium *Conr.* GESNERI Libri tres. His acceſſerunt EIVSD. Aconiti primi aſſeueratio et Oxymelitis elleborati vtriusque deſcriptio, per *Caſp. Wolphium.* Tiguri 1575. 4$^{to.}$ Froſchouer. Secutus eſt Epiſtolarum medicinalium *Conr.* GESNERI Liber quartus. Vitebergae, ex Gronenbergii officina 1584. 4$^{to.}$ absque paginarum numero. Hoc epiſtolae 23. omnes, (excepta vnica) ad *Kentmannum* continentur. Libri huius nullibi fere inter Catalogorum Scriptores mentio fit. Aliae litterae ad *Io. Bauhinum* ſcriptae adiunctae deprehenduntur Libro *Caſp.* Bauhini de Plantis a Diuis Sanctisue nomen habentibus. Baſil. Waldkirch. 1591. 8$^{vo.}$ a pag. 90. vsque ad finem. Superſunt adhuc octo litterae aliae, quae in Theſauris Illuſtris TREWII vna cum reliquis ſeruantur, et ſuo loco publicabuntur.

(*u*) Huc pertinebunt adhuc: *Pſelli* et *Heracliti* Homileticae allegoriae, phyſicae meditationes, annotationes et ſcholia, edita a *Caſp. Wolphio.* 1586. vt habet Cl. *Ioecherus* in Lexico Erudit. tit. GESNER. p. 970.



HISTORIA OPERIS.

Exiſtimatio hominum ab omni aeuo rerum bonitatem eum in modum menſurauit, vt ex vna parte iis vel maxime faueat, quae nouitate ſeſe commendant: ex altera vero iſtis patrocinetur, quae canae antiquitatis ſigna praeferunt. Noſtrum non eſt, vt dirimamus lites, quae alios ſatis exercuerunt. Nemo tamen inficias ibit, Tempus eſſe optimum cotem vtilitatis et praeſtantiae, inhaerentis rebus, praeſertim iis, quas ingenii vires produxerunt. Numquam Architecturae et ſculpturae ex priſco orbe relicta fruſta in hunc vsque diem intuentium oculos in ſe traherent, aut in admirationem raperent, neque tot celebrium apud antiquos hominum ſcripta tot tantasque iniurias effugiſſent, et hodie adhuc eum, quem habent, merita eſſent adplauſum, niſi vel inimitabilis fere artificii monumenta exſiſterent, vel inconcuſſis veritatibus ſuperſtructa eſſent. Eiusmodi praeſidiis quod deſtituitur humani ingenii aut laboris opus, longaeuitatem vix videt; ſed mox ruinae proximum vel cum ipſo ſtructore vel ante eum non raro in deſpectum et obliuionem ruit. Seueritatem temporum ſplendida cogitata, hypotheſes arbitrariae, et precario adſumtae opiniones non effugiunt, encomiorum et commendationum agmine obiecto, quae ad aliquod interdum tempus tuentur, vel aduerſarios repellunt. Ventura ſemper poſteritas longe aliter iudicat, et ius ſibi ſumit, reprobandi ea, quae veritatis limam non ſuſtinent, retinendi vero et laudandi iſta quae ſibi et poſteris in ſeros annos proficua cognoſcit. Quae vero fido hoc duce incedunt, firmo ſtant talo, ſaeculorum viciſſitudines eludunt, et preſſa quidem interdum ſilentio, eo illuſtriora et aeſtimabiliora reſurgunt. Pleniſſimum horum teſtimonium exhibere poſſunt Opera haecce, per integra duo ſaecula deſiderata. Agnoſcunt illa auctorem *Conr.* GESNERVM, qui, propter ſolidiſſimam eruditionem impenſiſſimamque doctrinam in plurimis elegantiorum litterarum generibus, ſaeculi ſui ornamentum vocatus eſt. Is cum vbique plerumque excelleret, quoties animum in ſcientiae alicuius culturam dirigeret, in herbarum ſtudio eo magis ad tantum cognitionis gradum penetrauit, quantum nemo vel ſua vel priori aetate adſecutuseſt, quo magis ab ineunte iam aetate in iſtam Naturalis Hiſtoriae partem inſito quodam feruore impulſus fuit, et per totam vitam, praeſertim vltimis viginti annis continuis fere (*a*) in idem negotium indefeſſa cura intentus manſit. Quamquam autem tantum temporis triuerit in addiſcenda, ampliandá, polienda, et ornanda Botanica, pauca tamen propriae induſtriae ſpecimina ipſe dedit, dum viueret, ex quibus ſatis cognoſci potuiſſet ambitus doctrinae et dignitas elegantiſſimi, nobiliſſimique inuenti, characteris nempe certi, ex cuius conſideratione plantae in familias et genera ſubordinata diſpeſci poſſunt. Vmbram ſolum eius aliquando conſpiciendam praebuit, (*b*) et plura ſemper promiſit, quae pro virili parte praeſtiturus fuiſſet, ſi diutius vixiſſet. Vidit etiam orbis eruditus partem, omnino paruam, induſtriae excellentis huius Viri, et laboris elegantiam miratus eſt, non raro tamen eundem ſub alieno nomine accepit; vnanimi autem conſenſu mox doluit occultationem, mox optauit promulgationem reſiduae portionis. Tantum excitare cum potuerint deſiderium formae plantarum imminutae, et diſperſa paſſim obſeruata, apud artis peritos; facile concludi poteſt, quid effeciſſent icones, eo ſplendore, et eo artificio plane peculiari, quo exſtant adhucdum, ſi prodiiſſent, atque ſi lucem vidiſſet ingens cumulus rerum, quas vel ex libris impigra lectione excerpſerat, vel ab amicis acceperat, vel proprio ſtudio expertus erat. Perlegerat enim, vt ipſe de ſe prodidit, ducentos et ſexaginta libros, ex quibus omne, quod ſcopo ſuo adcommodatum deprehendit, ſelegit.

(*a*) Vide *Caſp.* WOLPHII Pollicit. p. 43. b.

(*b*) In *Val.* CORDI Hiſt. Stirp. in Polyacantha p. 91. b. et Styrace ibid. p. 194. a.

ſelegit. (*c*) Confluxerunt deinde ad eum, quaſi ad Hiſtoriae Naturalis totius parentem et conmune promtuarium, ſingularia quaeuis a viris vltra ſexaginta, quibuscum commercium circa haec iniuit, ita vt plurimi aut picturis aut plantis recentibus ſiccisue, vel ſeminibus: alii libris, facultatibus, liberalitate et omnibus quibus poſſent viribus eum ſubleuarent. Liceat praecipuorum nomina adiungere, cum GESNERVS ita voluerit, vt nominarentur. (*d*) Sunt autem circiter ſequentes: *Aegid.* TSCHVDIVS, *Anton.* SCHNEBERGERVS, *Balth.* HVMMEL, Pharmacopola Baſileenſis, *Bened. Mart.* ARETIVS, *Caſp.* WOLPHIVS, *Caſp.* COLLINVS Valeſianus Praefectus, *Chriſtoph.* PIPERINVS Verbi diuini Miniſter Sigrisvvylae, *Conr.* FORERVS, *Didymus* OBRECHT Argentinenſis, *Felix* PLATERVS, *Caſp.* LINDENORVS Poſnanienſis Medicus, *Guiliel.* GRATAROLVS, *Georg.* AEMYLIVS, *Georg.* SIGHARTVS Pharmacopola et ciuis Auguſt. Vindelic. *Georg.* CLAVSERVS, *Hieron.* HEROLDVS, *Hieron.* MASSARIVS, *Io.* CAIVS, et GIPSONVS Angli, *Coſma* HOLZACHIVS Medicus Scaphuſinus, *Io.* Du CHOVL, *Georg.* et *Paul.* OLLINGERVS, STOEKLINVS, SCHMIDLAPPIVS, QVADRIVS, TAGAVTIVS, *Nicol.* RASSIVS Chirurgus regius in Gallia, *Io.* COGELIVS Doctor, *Io.* KENTMANNVS *Io.* TEXTOR, *Io.* FABRICIVS Curiae Miniſter, *Iſaac* KELLER ſiue CELLARIVS Doctor Baſileenſis, *Io.* DALECHAMPIVS, *Io.* BAVHINVS, *Iac.* BVMANNVS, *Io. Iac.* MVRALDVS *Io.* PONTISELLA, *Iac. Anton.* CORTVSVS, *Ioach.* KREICHIVS, Pharmacopola Torgenſis, *Laur.* IOVBERTVS Profeſſor Monſpelii, *Laur.* HIEL Profeſſor et Medicus Ienenſis, *Melch.* GVILANDINVS, *Petr.* BELLONIVS, *Petr.* BOVTINVS Auinionenſis Pharmacopoeus, *Petr.* FIGVLVS Lithotomus, *Petr.* COLDENBERGIVS, *Sebaſt.* HOWINSCHILT Pharmacopola Tigurinus, M. *Sebaſt.* FABRICIVS, *Theod.* ZWINGGERVS, *Tob.* EGLI, *Thom.* IORDANVS, VALERANDVS DOVREZ Belga Inſulanus Pharmacopola, *Wolfg.* MEVRERVS, *Vlyſſ.* ALDROVANDVS, *Franciſc.* CALCEOLARIVS, *Adolph.* OCCO, *Ioach.* CAMERARIVS Fil., *Leonh.* RAVWOLFIVS, *Euſtath.* QVERCETANVS, atque *Huldric.* FVGGERVS, vna cum Legato Regio, Curiae degente. Ipſe denique inuincibili niſu et improbo labore plantas vndique indagauit, viuas vel ſiccas comportauit tot itineribus extra et intra Heluetiam ſuſceptis, in hortis curioſe coluit, vires earum explorauit, potiſſimum autem ſtructuram ſollicite extricauit, nullisque pepercit ſumtibus, quos non libentiſſime eum in finem fecerit: adeoque tanto impetu totque modis in herbariam rem graſſatus eſt, vt inde ſolus ipſe et Botanicae et Operi ſuo praecipuum conciliaret et fulcrum et ornamentum. Vltra haec cum ſciret, verborum vim non ſemper adeo efficacem perſpicuamque exſiſtere, vt pleniſſimam obiectae rei notitiam ſubminiſtrare poſſet, et ductas apte lineas aliquot interdum praeſtare longum ſermonem, non ſolum ipſe icones ſtirpium perita manu exarauit, et communicatas plerumque rudiores nitidiſſime reformauit, ſed et conduxit eum in finem operas, pictores nempe adprime habiles, qui ſecundum ipſius voluntatem et ordinationem ſingulari quodam, et herbis adcommodatiſſimo artificio figuras tam in chartas quam in ligna coniecerunt et concinnarunt, ipſiſſimas plantas totamque penitus earum naturam exprimentes. Horum aliquos Ipſe paſſim memoria prodidit, SPORVM nempe, *Anſonem* KORSTENIVM, MICHAELEM quendam et *Iohannem* THOMAM adfinem ſuum, niſi hic forte vnus ex illis fuerit. Quantumuis autem abſolutiſſimis hiſce picturis Opus ſuum ſuper omnia ſui temporis efferre potuerit, noluit tamen in ſolis illis ſubſiſtere, ſed in id quoque contendit, vt pleniſſimam de herbis notitiam lectori daret. Singula itaque, quae ex indicatis fontibus hauſerat, in vnum corpus comportare, et orbi erudito tradere apud ſe conſtituit. Quod opus futurum fuiſſet ſolo GESNERO et dignum et factu poſſibile, vt qui Vir fuit in-

genii

(*c*) Ex litteris ad *Io. Cratonem* excerpſit SIMLERVS in Vit. GESN. p. 18. b. Caſp. WOLPHIVS ſupra ducentos modo nominat, quorum partem maximam ipſe contulit et perluſtrauit, aliquam vero WOLPHIVS ab eo inſtructus. Vide *Ei.* Pollicitat. p. 44. a.

(*d*) Ideo eos in frontiſcipio Codicis Kentmanniani conſignauit, aliquos addidi, plures forte in ipſis operibus addentur.

genii vaſtiſſimi, nil niſi eximium meditantis, et profundiſſimae cum linguarum peritia coniunctae eruditionis. Vt autem ordinem aliquem ſequeretur, de qualibet planta praemittere voluit *primo* loco *Nomina* ex potioribus Auctoribus & notiſſimis linguis depromta, Latina nempe vetera et noua minus proba, Hebraica, Arabica, Perſica, Graeca, Italica, Rhaetica, Gallica, Hiſpanica, Germanica, Belgica, Anglica, Illirica, Bohemica, Polonica, Barbara diuerſa, tum vetera tum recentiora vt Turcica aliaue; et quidem in plurimis ſaltem, cum de omnibus ita fieri non potuerit. *Secundo* poſtmodum, *Deſcriptiones* tam priſcorum quam nouorum Scriptorum, addendo ſimul ſuas curatiores, ex foliis, radicibus, floribus in primis et fructibus, vniverſo plantae habitu ac ſexu et ſimilibus deſumtas. *Tertio* dein *Tempus* florendi et fructum ferendi adiungere, aut locos germinationi aptiſſimos. *Quarto* etiam Sympathias et Anthipathias, quarum eo tempore magna fuit auctoritas. *Quinto* porro *Culturam* et varia ad rem ruſticam et hortenſem ſupplere. *Sexto* quoque de *Vſu* herbarum vario et multiplici. *Septimo* tandem differere de *Remediis* inde parandis, et *Temperamento* ad quatuor facultates adaptato, qua in re antiquorum omnis fere virium aeſtimatio conſtitit, vbi tamen non pauca ſaniora tradere par fuit. *Octauo* denique in animo habuit *Philologiam* ſubiungere, cuius non leuiter peritus fuit. Modum autem ſiue ſeriem Operis totius poſt varias in hunc finem ventilatas deliberationes ita inſtruxit, vt ſecundum litterarum ordinem ſingulas herbas recenſere voluerit; optimum enim id ipſi viſum eſt propter commoditatem tam elaborationis, quam vſus inde capiendi pro lectoribus, qui inuenire ſic ſtatim poſſent, quod quaererent. (*e*) Ortum hac ratione fuiſſet Opus, ſi ad colophonem perductum fuiſſet, quod maximi circa ſtirpium hiſtoriam et rem ruſticam Commentarii et Nomenclatoris inſtar fuiſſet, et quod etſi noſtro ſaeculo ſyſtematico minus forte adcommodatum exſtitiſſet, ſuo tamen tempore Auctorem in ſummum euexiſſet cacumen celebritatis et ſolidae gloriae, et noſtris quoque hodienum ſtudiis miniſtrare potuiſſet vel maxime ideo, quia tot clarorum apud veteres ſcriptorum placita in conuenientem ordinem diſpoſita exhibuiſſet.

Tale circiter fuit inſtitutum operis immenſi, quod incomparabilis GESNERVS de plantis molitur. Illud *figuras* minimum *mille quingentas* differentes continere debuit, (*f*) et plures adhuc absque dubio comprehendere potuiſſet, ſi biennium adhuc, intra quod abſolutum iri ſperauerat, in viuis fuiſſet, eaque qua coeperat cura continuaſſet. Maximam etiam materiei partem ipſe in congruum ordinem iam compoſuerat, etſi paſſim ſolum per ſchedas adhuc diſſeminata eſſet, (*g*) cum inopina et praematura morte exſtingueretur praeſtantiſſimus Auctor die *decimo tertio Decembris* menſis, anni *milleſimi quingenteſimi ſexageſimi quinti*. At- 1565.
tamen cum ſentiret, ſe vim morbi mortiferi vix euaſurum eſſe, mature cum viuus et bene ſibi conſtans eſſet, ita proſpexit, vt *Caſparum* WOLPHIVM, Medicum Tigurinum, amicum et Collegam, cuius adminiculo ſaepius iam vſus fuerat, ſeligeret pro edendo et abſoluendo Opere, quod imperfectum relinquere coactus fuit. Huic itaque in Muſeum deducto, ſuppellectilem multam et variam pro ſtirpium concinnanda Hiſtoria hinc inde ſparſam, ſuo quamque loco non ſolum oſtendit, ſed et curae eius pluribus verbis commendauit enixiſſime. Idem vero propriis viribus minus fiſus primum renuit, ceſſit tamen morituri petitioni, et cuncta ad hanc rem pertinentia, certo pretio indicata ex legato conſtituto accepit, vniuerſam nempe herbariam ſuppellectilem, ſchedas omnes, et libros neceſſarios, atque exſtincto GESNERO Chaos iſtud ex pacto ſuſceptum ſtatim adorſus eſt, et vtcumque digeſſit. Quo peracto vt promiſſis ſtaret aliqua ex parte, ac amicorum defuncti ſuorumque auxilium conſiliaque ſibi procuraret, *pridie Iduum Martii* anni *milleſimi ſe-* 1566.
xageſimi ſexti Pollicitationem de publicanda Stirpium Hiſtoria hacce conſcriptam edidit, et generalem Operis ideam ſimul exhibuit. Ab hoc tempore et interiectis proximis quindecim annis otioſus certe non fuit, nec leuiter rem ſuſceptam tractauit vt mercenarius, ſed omnem omnino lapidem mouit, vt aliquid perficeret. Non enim ſolum plenum indicem in omnes picturas confecit, quae quoniam non raro, prout ab Auctore elaboratae ſunt, per varias paginas particulatim diſperſae deprehenduntur, non paruam popoſcerunt diligentiam; ſed et icones in formis ligneis iam ſculptas vel ſaltem delineatas, quarum maxima pars a GESNERO ipſo inſcripta non fuit, nominibus propriis donauit et citationibus, quorſum pertinent, et vbi in Voluminibus GESNERIANIS deprehendi poſſunt, quod infra fuſius in illarum figurarum indicibus patet. Adſciuit etiam ſibi in ſubſidium viros doctos, herbariae rei peritos, e quibus ſententias de variis ſtirpibus ibi occurentibus explorauit. Ex his praeſertim *Io.* BAVHINVS et *Thomas* PENNEIVS plurima praeſtiterunt. BAVHINVS nempe, a quo GESNERVS inſignem plantarum ſiccarum copiam habuit, et picturas ſecundum eas fabricauit, quae vero exemplaria ſicca WOLPHIVS poſt obitum Noſtri iuſta reſtitutione reddidit, (*h*) pluribus picturarum paginis illuſtrationes adſcripſit. *Thomas* PENNEIVS vero, Doctor Medicus Londinenſis pauca ſolum earundem iconum folia praetermiſit, quibus non aliquas obſeruationes vel animaduerſiones, loca natalia praeſertim concernentes adleuerit. Abunde ex iis elucefcit, quam ſedulus fuerit ipſe hic ante eximium RAIVM in perquirendis montibus et locis copia herbarum conſpicuis per Heluetiam et Galliae finitima, et quantum temporis inſumſerit in ornandis et promouendis WOLPHII ſuſceptis conaminibus. WOLPHIVS denique manus admouit adhuc propius elaborationi Hiſtoriae ipſius de ſtirpibus, et perfecit in eius *Libro primo capita* omnino *octoginta* valde prolixa. Ordinem ſecutus eſt alphabeticum, qui GESNERO ipſi aptiſſimus inſtituto ſuo ob rationes adlegatas habitus eſt, et ſingularia capita ad normam ſupra indicatam pertractauit, quoties argumentum eam patiebatur. Vt intelligeret, num amicis placeret labor, aliquot

L 2

(*e*) De his omnibus prolixiora in *Caſp.* WOLPHII Pollicit. p. 45. b. 46. a. et b. et 47. a. legi poſſunt.

(*f*) Vide *Caſp.* WOLPHII Pollicitat. p. 43. b.

(*g*) Ideo forte GESNERVS ipſe dicere potuit, ſe formam operi dare incipere.

(*h*) Vide litteras ineditas *Caſp.* WOLPHII ad *Ioach.* CAMERARIVM, d. d. 29. Aug. 1587. datas.

quot folia inchoati operis *Io.* CRATONI miſit: (*i*) eiusdem fragmentum, Editoris manu ſcriptum, et in patria vrbe ſeruatum, huic Volumini inſertum legitur. (*k*) WOLPHIVM itaque multis vtique nominibus optime de GESNERIANIS meritum fuiſſe huc vsque, nulla ſupereſſe poteſt dubitandi ratio. Interim tamen euitare non potuit ſiniſtrum aliquorum iudicium, qui ſuſpectam eius fidem reputarunt propter moram hactenus interiectam. Vt ergo aliquid acciperent illi, qui pollicitatione allecti deſiderio flagrarunt, Opus maius habendi, cum totum expedire nequiret, Epiſtolas ſolum GESNERI tribus libris comprehenſas edidit anno *mille-*
1577. *ſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo* ad finem vergente, atque ſpeciminis loco adiunxit Librum GESNERI De Aconito primo *Dioſcoridis*, qui trigeſimum Caput maioris operis efficere debuit. Ibi ſatis declarauit, haud quaquam taedio promiſſi, negligentiae vel laboris impatientiae tribuendum eſſe, quod nihil adhuc ab eo in lucem datum fuerit. (*l*) Adſeuerauit potius ſe pollicitationis probe memorem eſſe, etiamſi et publica et priuata negotia, iuncta poſtmodum morbis grauiſſimis tribus, (*m*) indies maiora obiicerent impedimenta abſolutioni Operis, quod in ſe ipſo moleſtum laborem popoſcit, et vnius hominis vires ferme ſuperauit. Cum itaque digerendorum infinitorum collectaneorum multitudine obrutum ſeſe videret, nec alienis auxiliis ſubleuaretur, quaeſiuit Maecenatem aliquem, cuius liberalitate fulciri et ad perficiendum opus ipſe aptus fieri poſſet, vel quemlibet alium, harum rerum aeſtimatorem, idem volentem ac audentem ſibi optauit, cui totum opus certis ſub conditionibus cedere, atque inſtitutum nihilo ſecius opera ſua promouere vellet. Eam voluntatem cum publice expoſuiſſet, (*n*) nullum eſt dubium, quin eandem etiam ad amicos priuatim repetierit; vero itaque admodum ſimile eſt, *Adolph.* OCCONEM, cui GESNERVS viuens adeo
1578. et 1579. carus exſtitit, occaſionem aliquam arripuiſſe. Nam cum OCCO a *Ioach.* CAMERARIO litteras GESNERIANAS, ad hunc ſcriptas, pro noua et auctiori Epiſtolarum GESNERI editione peteret anno *milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo octauo:* (*o*) eundemque ſequente anno *ſeptuageſimo nono* ad ſe Auguſtam Vindelicorum inuitaret; (*p*) fieri omnino potuit, vt tunc CAMERARIO, qui inuitationi humaniter factae obſecundauit, (*q*) praeſens primum mouerit deſiderium, adquirendi vniuerſam, per GESNERVM tot curis coaceruatam de plantis materiem. *Ioach.* CAMERARIVS igitur, Patris *Ioachimi* Magni et excellentiſſimi, quantum vixit, purioris doctrinae ſacrae et profanae fulcri filius digniſſimus, natu ſecundus, Phyſicus vt vocatur, in-
1580. clytae Norimbergae ordinarius, declinante anno *milleſimo quingenteſimo octogeſimo* emtorem per litteras ſeſe obtulit. (*r*) WOLPHIVS tot enatis difficultatibus delaſſatus, et abſolutioni ferme impar, (*ſ*) manus praebuit. Cum autem non ſtatim de pretio conſtituendo inter vtrumque conueniret, et CAMERARIVS poſtularet, vt cuncta ad perluſtrationem Francofurtum ad Moenum WOLPHII impenſis mitterentur, ideo multi ab vtraque parte tractatus celebrati ſunt, quorum ſumma eo demum conſpirauit, vt emtor venditori pro vniuerſa GESNERI ſuppellectile herbaria *centum* et *quinquaginta* florenos, pro *Plinio* vero, *Dioſcoride* et *Theophraſto*, quos copioſiſſimis adnotationibus idem inſtruxerat, *viginti quinque* florenos ſeorſim numeraret. His ſtabilitis WOLPHIVS ſingula haecce ad *Io. Lud.* HAVVENREVTERVM, Filium, cuius interuentu pleraque de hoc negotio acta fuerunt, miſit Argentoratum circa finem *Iulii* menſis *anni milleſimi*
1581. *quingenteſimi octogeſimi primi*, et ſtipulatum argentum recepit. (*t*) Non parua equidem haec fuit ſumma, ſi rationem eius aeui habeas, vix autem conſideranda, dummodo nobilitatem rerum aeſtimes, aequiſſima vero et modica admodum, ſi exantlatos hucusque WOLPHII labores ſpectes, cum plus quam tertia huius ſummae pars *Froſchouero* pro figuris exſolui deberetur, et Herbae pictae ac illuſtratae paullo minoris conſtiterint.

Secunda adeo vice ſede mouerunt, et migrarunt GESNERI incomparabiles reliquiae Norimbergam vsque ad *Ioach.* CAMERARIVM. Ne quis tamen credat, easdem in ignobilis vel imperiti cuiusdam manus incidiſſe ideo, aliqua in medium proferre non abs re erit, ex quibus eluceſcet, Virum hunc negotio ſuſcepto nihil minus quam parum aptum fuiſſe. A prima enim aetate naturae quodam inſtinctu in ſtudium rei

(*i*) Vide litteras ineditas *Io. Cratonis* ad *Ioach.* CAMERARIVM. Vratiſlauia Norimbergam datas ad d. 22. Iulii 1583.

(*k*) Obtinuimus illud vna cum pluribus ex fauore Cel. GESNERI.

(*l*) Vide Praefationem ad Libellum de Aconito. p. 2. a. et b.

(*m*) Vnum, quem dislocationem vel disiunctionem oſſium Ilii ab oſſe Sacro credidit, deſcribit in litteris ad *Io.* CAMERAR. ad d. 8. Mart. 1586. nondum editis.

(*n*) In praefatione ad Libellum de Aconito. p. 2. b.

(*o*) Scribit enim *Ad. Occo* ad *Ioach.* CAMERARIVM. in litteris d. d. 13. Sept. 1578. datis ineditis: „ Expecto a Te epiſtolas GESNERI p. m. ad Te datas, vt „ denuo cum aliis excudantur.

(*p*) Litterae *Ad. Occonis* ad *Ioach.* CAMERARIVM ſcriptae ſunt, pridie Non. Maii. 1579.

(*q*) Teſtantur id litterae *Ad. Occonis*: ad *Ioach.* CAMERAR. Prid. Id. Iulii 1579. ſcriptae, vbi haec habentur: „ Maluiſſem Te diutius apud nos habere. etc.

(*r*) Vide reſpouſionem *Caſp.* WOLPHII. prid. Cal. Ianuar. 1581. datam ineditam.

(*ſ*) Teſtatur id fuſius, excerptum quoddam ex *Caſp.* WOLPHII Bibliotheca manuſcripta, a *Cel.* GESNERO nobis communicatum; vbi vt anonymos propria ſcripta recenſens, ita loquitur de Pollicitatione: „ Huic cum ſatisfacere, promiſſumque exſoluere ſaepius atque iterum ſtudioſe et intentiſſime conaretur, *in tres grauiſſimos morbos, ex quibus vix tum conualeſcere potuit*, *incidit*: tanta fuit operis „ huius perficiundi magnitudo et difficultas, praeſertim ei, qui alienis auxiliis deſtituebatur, aliisque occupationibus magnis et multis praeterea „ auocabatur. *Perfecit tamen in eius operis Lib. I. Capita 80. quae foliis 100. vix capi potuiſſent.* „ Tandem a Cl. Viro D. *Ioach.* CAMERARIO cum „ haec omnis materia cuperetur, ne quid tanti Viri „ laborum periret, ab eo certis conditionibus impetrauit.

(*t*) Nimis prolixae ſunt et copioſae litterae propter hoc negotium ſcriptae, ideo omnes ad commodum locum reſeruamus, cui integras inſeremus.

rei herbariae impulſus, (*u*) eundem amorem poſterioribus annis continuo fouit itineribus in exteras regiones ſuſceptis, vbi inter alios *Aloyſ.* ANGVILLARAM et *Vlyſſ.* ALDROVANDVM Praeceptorem habuit. (*vv*) A GESNERO ipſo propter nouas ſtirpes, a MATTHIOLO non deſcriptas requiſitus, (*x*) et tunc iam ab eodem propter herbas miſſas et ob alia merita, quae ex illius induſtria in plantarum ſtudio redundare poſſent, magni habitus ac oblatione facta nobilitatus (*y*) eſt. Similiter cum praecipuis eius ſaeculi Viris plantarum cauſſa commercium litterarium frequentauit, inter quos ſunt praeſertim MATTHIOLVS, BAVHINVS vterque, CLVSIVS, ZWINGERI, *Thom.* PENNEIVS Anglus, *Io.* AICHHOLZIVS Vienenſis, RAVWOLFIVS celebris ille peregrinator, *Michael* MERCATVS, *Ferrant.* IMPERATVS, *Io.* POSTHIVS, *Georg.* PVRKIRCHERVS Poſonienſis, *Adolph.* OCCO Auguſtanus, *Io.* MATTHESIVS Gedanenſis, *Matthias* STOIVS Regiomontanus Pruſſus, (*z*) *Felix* PLATERVS, *Ioſeph.* a CASABONA, *Io. Ant.* SARACENVS, *Bernh.* PALVDANVS, *Iac.* DALECHAMPIVS, *Nicol.* RASSIVS, *Hier.* DONZELLINVS, *Andr.* BELLICOCCVS, is Medicus, hic Pharmacopoeus Veronenſis, *Melch.* et *Frideric.* SEBIZIVS, *Seuerin.* GOBELIVS, (*a*) *Laur.* SCHOLTZIVS Vratislauienſis, et complures alii, quorum aliquos adhuc in indice iconum infra ſequente nominaui. Plerosque ex litteris inter haeredes ſuperſtitibus perlectis cognoui, quarum quaedam ad ſcopum noſtrum facientes, vbi commodum videbitur, publici iuris fient; omnes enim emtionis iure, vt mox exponemus, in poſſeſſionem venerunt Illuſtris TREWII, munificentiſſimi horum Operum Patrocinatoris. Ab his omnibus ſemina, plantas viuas, vel ſiccas, nouiſſime detectas vel rariores, aut ſaltem icones aut deſcriptiones earundem nactus eſt; Hortum etiam, vt ſatis notum eſt, exquiſita cura inſtruxit proprium, tunc temporis non Norimbergae ſolum et in tota Germania, ſed etiam apud exteros multum celebratum. Non autem ſuum modo, ſed etiam Landgrauii Haſſiaci WILHELMI, qui ſtirpium elegantiorum cultura mirum in modum delectabatur, hortum amoeniſſimum exquiſitiſſime inſtruxit, eamque ob rem ſingulari gratia ab eodem Principe adfectus, et gratioſiſſimarum litterarum commercio honeſtatus fuit, quod cum adhuc ſuperſit, ſatis probat, quanta fuerit eo tempore, et eruditorum et CAMERARII potiſſimum fama, auctoritas ac exiſtimatio tam apud Magnates, quam apud aequales; ſiquidem ſaepius poſtulatus fuerit ad dicendam ſententiam, et ferendum iudicium de dubiis hinc inde obortis. (*b*) Fuſior eſſe poſſem in vindicanda eius dexteritate circa herbas, niſi Illuſtr. HEISTERVS, Medicorum Germaniae noſtrae decus atque parens, pro ſua celebritate eandem rem ſolidiſſime egiſſet. (*c*) Luculenta etiam teſtimonia in ipſis mox ſecuturis indicibus plus vno loco deprehendi poſſunt, vbi plerumque melius icones explicauit, quam vllus ferme eorum, qui iisdem vſi ſunt, atque propter eandem inſignem ac inter eruditos ſui aeui ſatis cognitam peritiam a pluribus praeſertim a *Thoma* IORDANO, praeclaro Nominis GESNERIANI aeſtimatore dignus iudicatus eſt, qui ſolus fere in Germania par eſſet, huius operibus vltimam imponere manum. (*d*)

CAMERARIVS igitur cum GESNERIANIS reliquiis nunc potitus eſſet, omnino ſibi firmiter propoſuiſſe videtur, Operis totius elaborationem ſecundum Auctoris inſtitutum perficere, et propriis obſeruationibus auctum in publicum dare; ipſe enim iam antea magnum aliquod opus de herbis meditatus fuit: quoniam autem multa adhuc per ſchedas ſaltem diſperſa et nondum ordinata deprehenderet, (*e*) adeoque laborem

(*u*) Vide prima praefationis verba Epitom. Matthioli et Herbario Germanico praefixae.

(*vv*) Primum eo titulo ſaepius laudat in Herbario Germanico, de altero teſtantur *Melch.* ADAM. Vit. Germ. Med. p. 349. et litterae manuſcriptae.

(*x*) Vide GESN. Epiſt. ad *Io. Cratonem* d. d. 12. Nou. 1563. et aliam d. d. 21. Febr. 1564. ſcriptam Epiſt. Lib. I. p. 15. a. et p. 17. a.

(*y*) Vide retro in Vita GESNERI p. nobis XXXIII. not. (*l*) et p. XXXVII. not. (*n*)

(*z*) *Stoius* hic natus eſt Regiomont. Pruſſ. an. 1526. d. 26. Aprilis. Magiſter Philoſophiae ibidem factus an. 1547. et Medicinae Doctor 1560. Medicinae Profeſſor ſecundus et Phyſicus prouincial. an. 1575. Abiit Regiomonte 1576. rediit vt Profeſſor primarius et Archiater Ducis ALBERTI 1579. Matheſin etiam extraordinarie docuit, et obiit d. 15. Ianuar. 1583. Haec et plura de eodem communicauit mecum per litteras integerrimus amiciſſimusque *Io. Wilh.* WERNERVS, Regiomont. Prof. Med. Publ. meritiſſimus. *Stoius* herbas Pruſſicas ſedulo collegit, et pingendas curauit, vt teſtantur litterae ineditae ad *Ioach.* CAMERARIVM poſtrid. Cal. April. 1567. et d. 7. Iul. 1579. datae.

(*a*) Etiam *Gobelius* in colligendis, recenſendis et pingendis plantis Pruſſicis ſedulus fuit, vt patet ex litteris ad *Ioach.* CAMERAR. Regiomont. d. d. 7. Aug. 1583. ſcriptis, vbi dicit: „ Tradidi pictori depingendas „ meas plantas, vtinam ex voto ſatisfaciat. „ *item* ad *Eundem* d. d. 26. Aug. 1586. „ Miſi typographo Tu„ronienſi vnam partem *libri de virtutibus herbarum* „ *Pruſſicarum*. omiſſis deſcriptionibus et iconibus, „ cum alii ſatisfaciant. „ *Tandem* ad *Eundem* d. d. 2. April 1589. „ *Faſciculum* meum, paſtori Grau„dentienſi tradidi, *de iis plantulis, quae creſcunt* „ *in Boruſſia*, ſed tantum ſunt nuda nomina. etc.

(*b*) Vt vnicum nunc modo adiungam, placent potiſſimum verba *Petr. Monauii* in litteris d. XI. Cal. Sextil. 1581. Praga Norimbergam ſcriptis ineditis, vbi ſic loquitur: „ Quae herba ſit Luiula, abs te ſcire velim. „ Mentio eius fit in Antidotario Auguſtano in ſcho„liis ad Diaſcordium Fracaſtorii. Non conſentiunt „ inter ſe *Dnus Crato*, *Aichholzius*, *Sebizius*, alii„que, quos hic nominatim conſului. Diuerſis di„verſa placent, ſed Te inter praecipuos audire per„cuperem. „ In aliis litteris deinde nunciat, CAME„RARII ſententiam obtinuiſſe.

(*c*) In praefatione, Epiſtolae *Io. Henr. Burckhardi* de cha„ractere plantarum naturali ex partibus genitalibus, de nouo editae Helmſtad. 1750. a pag. 19. vsque ad pag. 35.

(*d*) Vide *Thom. Iordani* litteras ad *Ioach.* CAMERARIVM datas, quas integras aliquando exhibebimus.

(*e*) Vide Praefationem Epitom. et Herbario Germanico Matthioli praefixam.

borem pluribus vix annis finiendum concreditum ſibi cerneret, ideo conſilium ex parte quadam mutauit,
atque praecipue eam ob cauſſam, quod vndique maxima eſſet eruditorum prodituri Operis exſpectatio, non
1582. quidem ſepoſuit cogitationem voluntatemque de priſtino inſtituto, ſed maturauit ſaltem aliqua, et ab anno
iam *milleſimo quingenteſimo octogeſimo ſecundo*, per inſequens triennium et quod excurrit, (*f*) quantum negotia patiebantur, intentus fuit, quomodo partem figurarum, quas conſecutus erat, inſumeret, atque eas
partim Epitomes MATTHIOLI nouae editioni, partim Herbario ſuo Germanico adplicaret: non tamen ſolis
GESNERIANIS iconibus, ſed aliis quoque propria pecunia confectis hos libros illuſtrauit, vt infra pluribus
dicetur, quod niſi CAMERARIVS ipſe indicauerit, (*g*) vel ex eo concludi ferme poſſet, quod magna
ſatis lignorum pars, quibus WOLPHIVS nomina inſcripſit, nunc demum primum publicantur, adeoque
tunc inedita manſerunt. Maximo autem teſtimonio eſſe poſſunt ſuperſtites litterae *Ioach.* IVNGERMAN-
1584. NI Lipſienſis, ex ſorore filii, qui *ſexto* Cal. Iunii anni *milleſimi quingenteſimi octogeſimi quarti* Norimbergam venit, et impigram eo in negotio operam praeſtitit. Hiſce quidem moliminibus perturbatus eſt
aliqua ex parte editionis modus, inter vtrumque ſtipulatus; WOLPHIVS enim eo pacto tradiderat, vt non
ſolum indicarentur honorifica mentione, quae a GESNERO ipſo ortum duxerint, ſed et vt amicis ſingula
tribuerentur, quae contuliſſent, ne quis debito honore defraudaretur; (*h*) hinc non niſi inuitus conſenſerat: non tamen denegauit operam ſuam CAMERARIO, ſed quouis modo ſe ſe adhuc commodauit in procurandis ſculpturis figurarum per artificem Tigurinum, cuius opera prius iam et ipſe et *Froſchouerus* vſi
erant, cum intelligeret, CAMERARIVM edendis GESNERIANIS vltra priora adhuc intentum futurum
1586. eſſe. Miſit itaque vltima vice figuras elaboratas anno *milleſimo quingenteſimo octogeſimo ſexto* menſis *Martii octauo die*, cum figurae ad libros dictos requiſitae iam ordinatae, vt videtur exſtitiſſent, (*i*) quae adeo
vix amplius ibi locum obtinere potuiſſent. Continuauit omnino CAMERARIVS in digerenda et elaboranda GESNERI ſupellectile botanica (*k*) et adiungendis nouis: non enim ſolum IVNGERMANNVS in
abſoluendis ſculpturis, et pingendis ſculpendiſque nouis ſemper occupatus fuit iuſſu auunculi, qui peregre Bambergae praeſertim tunc aberat; ſed etiam monente MONAVIO ( ) adſciſcere conatus eſt *Carol.* CLVSIVM, qui etiam Viennam in Auſtriacis eo tempore relinquens, Francofurtum ſeſe collaturus, vt ibi commoraretur, Norimbergam *Octobri eius anni* traiecit, et ad menſem vnum fere ibi haerens GESNERIANA
perluſtrauit, deque ſingulis quaeſitus ſuam ſententiam (*m*) dixit. Cum autem CAMERARIVS Bambergam relinquere non poſſet, et CLVSIVS forte tales conditiones proponeret, quibus Norimberga retineri
vellet, quales CAMERARIVS ſuis facultatibus praeſtare ſolus abſque adminiculo Maecenatis alicuius non
valeret, (*n*) diſceſſit iſte re infecta, et CAMERARIO ſoli curam reliquit, qui nihilo ſecius ſtrenue perrexit, et tam a WOLPHIO adhuc vlteriores aliquas dilucidationes de quibusdam ſimplicibus et herbis ſiccis
1587. petiit anno *milleſimo quingenteſimo octogeſimo ſeptimo* (*o*), quam per IVNGERMANNVM et propria cu-
1588. ra noua auctaria adiecit, adeo vt anno ſequente *octogeſimo octauo* Horti philoſophici editionem emittere potuerit; interim etiamſi eodem anno IVNGERMANNVS cum *Ioachimo* CAMERARIO, *Ioachimi* Filio,
Ioachimi magni nepote, poſtquam ad quinquennium fere Norimbergae moratus erat, in Italiam abiret, per
eundem tamen plurima adhuc ibi conquiſita addidit, et fortaſſis ipſe quaedam in itinere Italico paullo poſt ſuſcepto adiecit. (*p*) Poſtea vero cum a WOLPHIO nihil amplius, quod diluendis circa GESNERIANA du-
1589. biis inſeruiret, nanciſci poſſet, et ſimul anno *milleſimo quingenteſimo octogeſimo nono Thomas* PENNEIVS
Anglus, qui huc vsque pluribus modis labores eius botanicos promouerat, et multas picturas herbaſque miſerat, e viuis decederet: (*q*) Ipſe quoque variis itineribus ad exteros potiſſimum Principes, domi vero negotiis
quam plurimis diſtraheretur, inter quae non minimum fuit ordinatio et conſtitutio ſplendidi Collegii Medici,
quod in patria vrbe in hunc vsque diem maximo rei publicae ciuiumque commodo floret, cuius adeo fundator et Decanus primus exſtitit; factum eſt ideo, vt lentius procederet publicatio Operis GESNERIANI et Supplementorum, quamuis pleraque eo perducta eſſent, vt titulus iam iam ſtabilitus innotuerit, quod
nempe nomine παραλειπομένων adparerent, et WOLPHIVS ſcribendi genus laudauerit. (*r*) Peſſum dedit tandem cunctos ferme praeclaros conatus ingruentis ſenectutis grauitas, et praecipue fatalis et deplorabilis interitus IVNGERMANNI, vt nihil prodierit, vsque demum ipſe *Ioach.* CAMERARIVS obiit.

Toties

(*f*) Vide de his WOLPHII, *Petri* MONAVII, *Melch.* SEBIZII, *Io.* IVNGERMANNI et alias plures litteras ineditas.

(*g*) In eadem praefatione indicata Epitomes et Herbarii Germanici.

(*h*) Vide litteras WOLPHII ineditas ad CAMERARIVM ad d. 26. Iunii 1581. et ad d. 3. Aug. 1583. datas.

(*i*) Dedicatio enim Epitomes ad Cal. Martias anni 1586. iam data eſt. Plura occurrent in litteris ipſis ineditis WOLPHII ad *Ioach.* CAMERARIVM. ad d. 8. Martii 1586. datis.

(*k*) Satis itaque his cunctis refutatur TOVRNEFORTII atque GARIDELLI adſertum, ac ſi amborum horum virorum negligentia cuncta perierint.

(*l*) Vide litteras *Petr. Monauii* ad d. 17. Maii 1586. datas vbi dicit: „Dn. CLVSIVM ſi Tibi adiungeres, „ rectiſſime profecto meo iudicio faceres; magnum „ enim illum in hac ſcientia artificem eſſe, iam a „ multis annis publice innotuit, et per ſe vnus ocu- „ lus non videt omnia. etc.

(*m*) Vide litteras IVNGERMANNI ad d. 1. Nou. 1586.

(*n*) Colligi id poteſt ex litteris *Petr. Monauii* ad *Ioach.* CAMERARIVM d. d. 4. Oct. 1586.

(*o*) Vide litteras ineditas WOLPHII ad d. 29. Aug. 1587.

(*p*) Vide *Melch.* ADAM. Vit. Med. Germ. p. 356.

(*q*) Vide litteras IVNGERMANNI ad d. 12. April. 1589. Patauio ſcriptas, vbi dicit: „ Audio amiciſſimum tibi *Thomam* PENNEIVM obiiſſe, et reliquiſſe ſua „ ſcripta MOVFFETO et TVRNERO etc.

(*r*) Vide *Melch.* ADAMI Vit. Med. Germ. Vit. CAMERAR. p. 350. et pluries in litteris ineditis WOLPHII, IVNGERMANNI aliorumque.

Toties nominato *Ioach.* IVNGERMANNO, iniquum fere exſiſteret ſi ſicco pede praeteriremus, pri-
mum praeſtantiſſimo huius iuuenis eximios progreſſus in re herbaria, tam in Saxonia quam Pruſſia (*s*)
inchoatos et excultos, ac qui tanti fuerunt, vt CAMERARIVS ipſi Norimbergam venienti curam librorum
huius generis et parandarum figurarum integram deferre potuerit, ob quam rem etiam aliquando iter fecit
Francofurtum ad Moenum, vt operas et editorem concitaret. Peregre abſens in Italia, vbi modo potuit
in gratiam CAMERARII et παραλειπομένων GESNERI, plantas nondum viſas in agris Patauinis, Florentinis,
Romanis, Neapolitanis, Piſanis, Bononienſibus, inſulis Venetis, montibus variis praeſertim Appenninis Euganeis
aliisque hortisque variis collegit, ex ſemine educauit, vel conſequi ſtuduit, vt eas eadem Methodo, quae in
reliquis figuris obſeruata fuit, cum floribus nempe et ſeminibus pingeret, quod ſcitiſſime et peritiſſima non
ſolum manu perfecit, ſed et deſcriptiones conſignauit, quales hodie abſolutiores aegre dari poſſent. (*t*)
Cum eruditiſſimis Botanicis Italiae CORTVSO, PINELLO, IMPERATO, GVILANDINO, CASA-
BONA, ALDROVANDO, *Proſpero* ALPINO intimius commercium aluit, ex eorum Theſauris plurima
depromſit, vel recentia accepit communicata; eo igitur modo peculiaria multa ab herbariis eius aeui non-
dum detecta collegit, ita vt promittere potuerit Paralipomena alia prioribus Paralipomenis. (*u*) Quod ta-
men maximum eſt, tantum inualuit peritia et celebritate in ſcientia, vt dignus ipſe fere ſolus ab amicis iu-
dicatus fuerit, qui GVILANDINI morte vacuam profeſſionem botanicam ambire poſſet. GVILANDINO
enim poſt ſumtum pharmacum morte repentina exſtincto; (*w*) PINELLVS et ALDROVANDVS potiſ-
ſimum inter alios auctores fuerunt, vt IVNGERMANNVS in hunc locum ſufficeretur: ipſe vero ſenem
CORTVSVM propoſuit, alii *Proſperum* ALPINVM, alii *Tagliaferrum* (*x*) quendam Parmenſem, alii
alium aemulum aut competitorem fecerunt; cum autem ipſe e CAMERARII nutu ſtrictiſſime pendere, ne-
que facile labores eo auſpice huc vsque coeptos et continuatos relinquere vellet, atque demum aliud adhuc
iter in diſtantiores regiones ſuſcipere contenderet, ardentiſſimo enim feruore flagrauit cognoſcendorum vege-
tabilium, vt Φυτομανία quaſi ſe captum ipſe profiteretur; ideo depoſuit ſponte voluntatem ambiendi id officium
publicum, quod duplex a GVILANDINO adminiſtratum fuerat antea ſeparatum, (vnum nempe quod prae-
lectiones in ſcholis, alterum horti curam plantarumque demonſtrationes inuoluit) quorum alterutrum vel vtrum-
que illi oblatum eſt, (*y*) cum ab ipſis Italis viris doctis et fide dignis crederetur, huius in rerum naturalium
cognitione ſimilem in Italia tunc haberi neminem. (*z*) Iter in Orientem potius meditatus eſt, ad quod
Ioſephus a CASABONA eum iam anno *milleſimo quingenteſimo nonageſimo* excitauerat, et in Cretam cum prae- 1590.
fecto Claſſis Venetae ſine ſumtibus impendendis ad ſe accerſere tentauerat. Hac vero occaſione irrita facta
ineunte anno *nonageſimo primo* Italiam relinquere, et Baſileam pro conſequendo Doctoris gradu adire 1591.
ac demum domum redire in animo habuit; cum autem eam ob cauſſam vt reditum inſtrueret Venetias ve-
niret, inopinato occurrunt liberales aliqui et ſtudiorum et morum ſuorum fautores, *Adrianus* nempe BOR-
CHIVS, nobilis Danus, cum tribus Nobilibus franconicis, HVTTENO, SCHAVMBVRGO et GICHIO,
qui vt iucunda illius conuerſatione fruerentur, proponunt abſque mora, quod ipſorum ſumtibus ſiue in Cre-
tam ſiue Conſtantinopolim ſiue quorſum vellet, ire poſſet, et redire quandocumque pigeret vlterius pro-
gredi. Ipſe igitur tam accepta tamque inexſpectata auxilia non recuſans, nihil moratus eſt, ſed dimiſſo *Ioach.*
CAMERARIO, cuius ſtudia hactenus moderatus fuerat, vna cum aliis comitibus Baſileam, *Maio* menſe an-
ni eiusdem *nonageſimi primi* nauim conſcendit, et Zazyntum verſus ſoluit. (*a*) Ab hinc viſitatis pluribus
Orientis regionibus et Palaeſtina, (*b*) redux demum Corinthum (*c*) petens et in mari Peloponneſiaco na-
uigans, ex contagioſo morbo periit. Lugubrior et intempeſtiuior eſſe non potuiſſet eius interitus; nam hac
ratione tot praeclarae obſeruationes hodoeporicae et collectanea penitus deſtructa et diſſipata ſunt non ſo-
lum, ſed in GESNERIANA etiam magnum redundauit detrimentum; cum nemo ſupereſſet, qui negotiis
annorumque multitudine ſenſim preſſum, et integro ante obitum triennio inteſtinorum laxitate vexatum, viribus-
que proſtratum CAMERARIVM inſtigaſſer, quem inſigniter et mirum in modum dilectiſſimi iuuenis mors ad-
flixit.

M 2 Quieue-

(*s*) Vide *Ioach.* CAMERARII Herbarium Germanicum p. 294. A. vbi de Petaſite quodam notat, quod Elbingae in Pruſſia a IVNGERMANNO inuentus fuerit.

(*t*) Plurima teſtimonia in ipſo Opere occurrent, inſigne tamen prae reliquis exemplum continent litterae ad *Ioach.* CAMER. Cal. Iun. 1589. Patauio datae.

(*u*) Vide litteras IVNGERMANNI ad *Ioach.* CAMERARIVM. d. d. 20. April. 1588. ſcriptas ineditas.

(*vv*) *Melch.* ADAMVS in Vit. Germ. Medicor. Vit. *Guilandini* p. 309. et 310. induxit quidem annum 1589. diem vero non indicat. Litterae tamen *Euerhardi* VORSTII ad *Ioach.* IVNGERMANNVM ſcriptae d. d. 10. Ianuar. 1589. mortis tempus et genus ſtrictius docent, et in vltimos *Decembris* menſis dies *anni* 1588. collocant, nempe: „*D. GVILANDI-*
„ *NVS ante 14 dies, diem ſuum obiit* morte
„ repentina, nam male habens, non ita tamen,
„ vt in lecto decumberet, conſilio *Maſſariae* ſumtis
„ Pilul. 5. ex Hierapicra Gal. ad dr. v. poſt horas
„ duas vomitione maxima exorta, vitam cum mor-
„ te repente commutauit. Bibliothecae haeredem in-
„ ſtituit Remp. Venetam, ſcriptorum vero ſuorum
„ et pecuniolae D. *Georgium Michaelem*, Patrit. Ve-
„ net. Sic amiſimus virum certe magnum, *cui quis*
„ *recte ſubſtitui poſſit*, *praeter* Te, (vt amicus, non
„ vt adulator loquor) *non video.*„ integra haec, quia varia notatu digna continent, inſerere volui.

(*x*) Vide litteras IVNGERMANNI ad *Ioach.* CAMERAR. d. d. 5. April. 1590. Patauio ſcriptas ineditas.

(*y*) Vide litteras IVNGERMANNI ad CAMERAR. d. d. 8. Martii et 16. Aug. 1590. ſcriptas ineditas.

(*z*) Teſtantur id litterae *Io. Cauritii* Med. Lic. Altorfio ad *Ioach.* CAMERAR. ſcriptae, an. 1591. quibus continentur verba *Victoris Capelli* Equitis et Patritii Veneti, ita ſonantia, vt diximus.

(*a*) Vide de his litteras IVNGERMANNI ad CAMERAR. d. d. 10. Martii. et 14. Maii 1591. datas.

(*b*) Vide *Melch.* ADAM. Vit. Germ. Med. Vitam CAMERARII p. 350.

(*c*) Vide praecellentiſſimi *Io. Iac.* BAIERI Biograph. Profeſſorum Medicin. in Acad. Altorfin. p. 80.

Quieuerunt igitur vlterius cuncta donec *Ioach.* CAMERARIVS *vndecimo octobris* die anni *milleſimi*
1598. *quingenteſimi nonageſimi octaui* vitam laborioſiſſimam cum morte mutauit. Praeceperat equidem praegnan-
tibus rationibus motus Teſtamento, vt GESNERIANA omnia vna cum figuris tam olim factis, quam nouiſ-
ſime paratis ſuamet cura, nihilo ſecius ederentur. Longe tamen aliter res cecidit. Mortuo enim patre hae-
reditas inter filios diuiſa eſt, et proinde maxima pars tam GESNERIANORVM quam additamentorum ad
Ioachimum CAMERARIVM *tertium*, primarum nuptiarum filium et natu maiorem migrauit; ad filium ve-
ro ex ſecunda coniuge natu minorem, *Ludouicum* nempe CAMERARIVM, eiusdem materiei Volumina
duo mole multo minora ſaltem peruenerunt, qui ea curioſe ſeruauit quidem, neſciuit vero, quid cum re-
liquis factum fuit. (*d*) Disiuncta ſemel collectione neutiquam mirum eſſe debet, Theſaurorum ita operoſe
collectorum publicationem maioribus ſenſim moleſtiis implicari potuiſſe. De *Ioachimo* igitur *tertio* nullibi
neque memoria neque litteris proditum eſt, quod Patris promiſſis inſiſtere, et Operis editionem moliri
vel ſuſceperit vel pollicitus ſit, etiamſi in patria vrbe vitam non ingloriam egerit, ſed inclyti Collegii
Medici a Patre inſtaurati Membrum exſtiterit. Fieri tamen omnino potuit, vt turbulentus rerum ſtatus pro-
pter bellum, quo integra Germania exarſit, tulerit aliquam occultationis et morae culpam praeſertim vlti-
1642. mis vitae annis. Quidquid autem rei ſit, tempus *quadraginta quatuor* annorum, quod filius a morte Patris
emenſus eſt, praeterlabitur, neque aliquid amplius tentatur, ſed *Ioachimus tertius* circa medium *Ianuarii*
(*e*) anni *milleſimi ſexcenteſimi quadrageſimi ſecundi* tandem moritur. Cum autem maſculam prolem non
relinqueret, haereditas et vna cum illa ex botanica ſuppellectile hac tantum, quantum ad ipſum conceſſe-
rat, perducta eſt ad filiae ſoboles. Filiam matrimonio dederat in gentem NVZELIANAM, ex qua filius
Ioachimus NVZELIVS, Perilluſtris Reipublicae Norimbergenſis Senator genitus eſt. Ab hoc poſſeſſore
1658. tantum Theſaurum obtinuit circiter circa annum *ſuperioris ſaeculi quinquageſimum octauum* Illuſtr, *Io. Ge-
org.* VOLCKAMMERVS, Praeſes Societatis Imperialis Naturae Curioſorum et Collegii Medici Norimber-
genſis Senior primarius, cuius merita in peregrina opera ex nunciata *Caſp.* HOFMANNI ſplendida *Galeni*
editione, quae adhuc in Bibliotheca THOMASIANA ſeruatur manuſcripta, ſatis innotuerunt. Idem vero
antequam aliquid certi de hiſce operibus GESNERI et auctariis CAMERARII ſtatuere poſſet, diem obiit ſu-
1693. premum anno *milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo tertio*, menſis *Maii* die *decimo ſeptimo.* (*f*) Reliquit
filios tres totidemque filias: inter filios quidem libraria ſuppellex diſtributa eſt; maritus tamen filiae natu ma-
ioris, b. THOMASIVS, celeberrimus apud Norimbergenſes medicus, plurimos ex illa codices, et inter eos
Volumina picturarum GESNERI duo nactus eſt; quae vltima vero certis ſub conditionibus recuperata ſunt
a filio natu tertio *Georg.* VOLCKAMMERO, eiusdem celebris Collegii Medici in patria vrbe Seniore pri-
mario. Is toties tentatam publicationem forte etiam in animo ſecum voluit, (*g*) difficultatem negotii au-
tem perpendens, ſaluberrimum cepit conſilium, quo ſane quosuis herbariae rei cultores plurimum ſibi de-
vinxit: iuſto nempe venditionis titulo viuus adhuc et bona cum voluntate poſſeſſionem tranſtulit in Illu-
ſtrem *Chriſtophor. Iacob.* TREWIVM, Sereniſſimi Marggrauii Brandenburgo - Onolzbacenſis Conſiliarium
aulicum et Archiatrum, inclyti Collegii Medici Norimbergenſis Seniorem digniſſimum et Societatis Acade-
miae Naturae Curioſorum Directorem grauiſſimum, pluriumque eruditarum Societatum ſodalem meritiſſimum.
(*h*). Factum id eſt anno *huius ſaeculi quadrageſimo quarto.* Praecellentiſſimus Vir, vt qui in aeſtimanda
1744. eiusmodi rerum dignitate limatiſſimum politiſſimumque iudicium prodit, et in conquirendis rarioribus quibus-
cumque, praeſertim derelictis eruditorum ſcriptis obſeruatisque molimina curasque priuati cuiuslibet ferme
ſuperat, (quod tamen absque inuidia dictum volo) et qui, vt factis id quod adſero confirmet recentiſſimis,
nuperrime acutiſſimi STAEHELINI elegantiſſimas reliquias in tutelam recepit, opima argenti ſumma
numerata: Vir ille inquam praeſtantiſſimus liberaliſſimum ſeſe praebuit, et quamuis poſſeſſor prius *quingento-
rum Thalerorum* Imperialium pretium ſtatueret, id vero mitigaret amicitia ductus inuicem exculta, non tan-
tam quidem, attamen bene magnam ſummam expendit pro Voluminibus duobus maioribus picturarum. Haec
mox Codex KENTMANNIANVS, vt et formae lignorum partim exſculptorum partim ſaltem delineatorum
ſecutae, et paullo minoris pretii habitae ſunt. Acceſſit paullo poſt ex Bibliotheca eximii Viri b. THOMA-
SII, *Val. Cordi* Codex a GESNERO ipſo adnotationibus inſtructus, quas infra adiungimus, et LOBE-
LIANVM opus, quo CAMERARIVS vſus fuit, et picturas aliquas adiunctas habet, quae KENTMAN-
NI nomen inſcriptum gerunt.

Vidimus ſupra, partem ſupellectilis botanicae vna cum haereditate ad *Ludouicum* CAMERARIVM migraſſe. Satis ſuperque conſtat, quam celebris fuerit idem in exſequendis negotiis publicis et multiplici in aulis miniſterio. Is itaque cum triplici vice in Belgio commoraretur, et demum Lugduni Batauorum, Ha-

gae

(*d*) Haec et quaedam praecedentium intellexi ex ſcheda aliqua, inter haeredum manuſcripta latitante.

(*e*) *Io. Georg. Schelhornius* in Vita *Philippi* CAMERARII. Norimberg. 1740. 4°. edita p. 8. Stemmat. Tab. II. mortis diem 13. Ianuar. facit. *Clar.* vero IOECHERVS in Lexic. Erudit. p. 1595. diem 15. Ianuar. nominat.

(*f*) Vide memoriam *Volkammerianam* et Tabulam Ephemerid. Acad. Nat. Curioſ. Dec. III. Ann. I. et II. adnexam.

(*g*) Innuit id *Io. Henr. Burckhardus* in Epiſt. ad *Leibnizium*, edita ab Illuſtr. HEISTERO, p. 111. et 112. et poſt eum Excell. HEISTERVS in nota (*s*) ad eum locum.

(*h*) Plurima quae a morte praeſertim *Ioach.* CAMERARII tertii euenerunt his operibus, cognoui partim ex terſiſſima Hiſtoria fatorum Operis, quam elaboratam comunem mecum fecit Illuſtr. TREWIVS, partim ex litteris humaniſſimis ad me datis.

gae Comitum et Groningae partim legati vices praeſtaret, partim vt priuatus per ſatis longum tempus viueret, (*i*) iſta Volumina ſecum etiam habuit: quod inde ſufficienter probatur, quia non paucae icones (non tamen GESNERIANAE) in MVNTINGII Phytographia, libro Groningae ſcripto deprehenduntur, quarum archetypi in iſtis Voluminibus adhucdum ſuperſunt. Redux tamen factus Heidelbergam anno *milleſimo ſex-* 1651.
centeſimo quinquageſimo primo vna cum familia, haec etiam retulit, et cum paullo poſt, *quarto* nempe *Octobris* eiusdem anni, e viuis migraret, (*k*) filium *Ioachimum* CAMERARIVM huius nominis *quartum* poſſeſſorem eorundem quoque conſtituit. Hic equidem reliquias eas ſedulo ſeruauit in bibliotheca ſua; cum autem ſemel a praecipua parte ſeiunctae eſſent, ſeorſim publicare non potuit, ſed intacta reliquit, praeſertim cum pluribus rebus grauiſſimis publicis gerendis occuparetur. Idem hic ob bellum a Gallis Germaniae illatum, anno *milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo quarto* Heidelbergae valedixit, et in terram auitam, Steegau- 1674.
racum nominatam, familiam facultatesque ad tempus aliquod ad ſecuritatem recepit, rediit autem in priſtinam ſedem, et tandem anno eius ſaeculi *octogeſimo ſeptimo*, die *vigeſimo quarto Nouembris* vitam finiuit. 1687.
(*l*) Reliquit filium *Io. Philippum* CAMERARIVM, iuuenem adhuc, haeredem. Accidit autem anno *nonageſimo tertio*; cum infelici incendio Heidelbergenſi gens CAMERARIANA magnam praetioſarum re- 1693.
rum copiam, et in primis inſtructiſſimam Bibliothecam, a maioribus tot curis totque ſumtibus conquiſitam perderet, vt ex ſingulari fortuna quaedam adhuc, praeſertim chartae manuſcriptae, quarum non paruam copiam litterae eruditorum conſtituunt, et inter eas codices etiam hi flammarum furori ſimul eriperentur. Translata ſunt omnia, quibus ignis pepercit, primo Hanouiam, dein Steegauracum; ex quo tamen loco bis aliorſum transuecta et relata ſunt, et tandem in Erlanga noſtra conſederunt. Mortuo poſtea *Io. Philippo*, die *vigeſimo ſecundo Septembris* anni *milleſimi ſeptingenteſimi decimi*, remanſerunt filio vnico
Philippo Engelberto Adamo CAMERARIO; cum autem idem ſub florentiſſima aetate, et tum, vbi omnes 1710.
quaeuis egregia de ipſo ſperare poſſent, morte perilluſtri Stirpi admodum luctuoſa e viuis eriperetur *vigeſimo nono Decembris* anni huius ſaeculi *quadrageſimi primi* mater vidua, adhuc ſuperſtes matrona venerabilis, ſeptuage-
naria maior et ſenectutem admodum bene ferens, maſcula prole orba cum eſſet, ita diſponi ſe paſſa eſt, vt 1741.
Volumina duo picturarum, vna cum ſeptem Voluminibus manuſcriptorum Theſauros Illuſtris TREWII intrarent anno *quinquageſimo* elapſo, et eum in modum prioribus iungerentur. Pictorum codicum ſuccinctam
rationem infra dabimus, Volumina vero manuſcripta potiſſimum continent litteras ad CAMERARIOS ſcri- 1750.
ptas ab eruditis quam plurimis ſui cuiusque aeui, partim medici partim philoſophici argumenti; numerus illarum ad ter mille octingenta quadraginta quatuor autographa pertingit, quae ſegregaui quanta potui cura ex numeroſiſſima reliqua ſuppellectile epiſtolari, quodlibet ſcientiarum fere genus concernente, et facile vltra duodecim millia litterarum adhuc excurrente. Ampliſſimas has acceſſiones munificentiſſimus et numquam ſatis laudandus Patronus horum operum graui auro redemit, valore nempe *quadringentorum florenorum* imperialium. Ea quoque liberalitas eo maioris aeſtimanda eſt, quo maior fuerit Illuſtris Viri promtitudo ad impenſas faciendas, ſimulac ex me audiuerat commodum inſigne GESNERIANIS inde emerſurum eſſe. Spes vtique non fefellit; ſiquidem non paucae ſint litterae, quae ſingularem ipſis Operibus adfundunt lucem et in componendis his tractationibus foecundiſſimi vſus fuerunt. Poſt haec, et emiſſo iam Propemptico de edendis Operibus, generoſus animi inſtinctus praeclaros Viros mouit, vt codices non exigui momenti beneuole communicauerint: inclytus nempe *Io.* GESNERVS Tigurinus *Matthiolum* Italicum et *Tragum* latinum, vtrumque copioſis adnotationibus a GESNERO inſtructum transmiſit; excellentiſſimus vero I. Albert. GESNERVS, Sereniſſ. Ducis Wurtembergici Conſil. aulic. Archiater et Director rei Medicae et Metallicae, *Fuchſii* icones largitus eſt, quae conſpicua picturarum copia celebris GESNERIANI ductus ſuperbiunt. Satis agnoſcimus in his miram Numinis prouidentiam, quae ſeruauit non ſolum praetioſas has reliquias inter tot temporum calamitates, ſed reuniuit quoque easdem, quamuis toties diſſipatas et in diſſitas plagas diſtractas, atque dedit ipſis Protectorem eum, quem habent, et qualem nanciſci debuerunt, vt lucem demum viderent.

Expoſuimus nunc fata, vtique varia et mirabilia, quibus Opera obnoxia fuerunt. Argumenti conditio expoſcit, vt de figuris ipſis tam ſculptis, editis et ineditis, quam pictis dicere inſtituamus; de iis enim hactenus dato ſtudio ſiluimus, ne nimis diſtraheremus hiſtoriae filum. Breuiores autem in his quoque eſſe poſſumus, poſtquam Illuſtris TREWIVS permiſit, vt proximo Volumini adiungatur Hiſtoria fatorum Operis, quam, vt ſolet, multo labore et concinno ordine Ipſe olim iam compoſuit. Potiora igitur horum recenſere vel ſupplere quaedam dum incipimus, neceſſe eſt, vt paullo altius rem repetamus a GESNERI temporibus. Diximus, eundem ſculpi curaſſe figuras minoris formae, obſeruata tamen ea ratione, vbi fieri potuit, vt plantae integer habitus admodum imminutus, partes vero, praeſertim nobiliores ad characteris cognitionem iuuantes, maiusculae repraeſentarentur. (*m*) Enarrauimus ſupra, CAMERARIVM inuito plane neque tale quid vmquam audente WOLPHIO venditore, (*n*) propoſitum GESNERI mutaſſe, et alii Operi adaptaſſe. Singulare et mirum omnino fuit GESNERIANORVM fatum, quod iisdem per CAMERARIVM ornarentur et politiora redderentur Viri Opera, cum quo fere vnico Auctori, dum vixit, aliqua interceſſit non dico inimicitia, ſaltem controuerſia. Claruit eo tempore et fama praepolluit MAT-

N THIO-

(*i*) Vide de his plura apud MORERIVM. l. c. Tom. II. p. 538. edit. Baſil. *it.* Lexic. Vniuerſal. *Zettlerian.* ſub tit. *Lud.* CAMERAR. p. 398. ſeq. et alios Lexicographos.

(*k*) Vide MORERI loc. cit. *item Schelhornii* Vitam *Philippi* CAMERARII. Stemmat. T. II. p. 8. et alios.

(*l*) Vide *Schelhornii.* Vit. loc. cit.

(*m*) Vide *Caſp.* WOLPHII. Pollicit. p. 44. b.

(*n*) Vide litteras WOLPHII ad *Ioach.* CAMERARIVM; ineditas ad d. 3. Aug. 1583. et ad d. 29. Aug. 1587.

THIOLVS, qui poſt magnum Opus herbarium, toties recuſum, Compendium ſuum ediderat; cuius exemplaria cum diu iam, praeſertim mortuo Auctore deficerent, (o) monentibus amicis CAMERARIVS, cui et Patri *Ioachimo* Magno amicitia iunctus fuit MATTHIOLVS, conſilium cepit, nouam adornandi editionem. Quod vt eo melius perficeret, nomina et deſcriptiones emendaret, picturas plantarum exquiſitiores et anatomen partium monſtrantes iſtis temporibus nondum viſas produceret, multasque a MATTHIOLO non deſcriptas ſtirpes adderet, GESNERIANIS in hunc finem vſus eſt: quod ipſe haud quaquam inficias iuit, ſed palam profeſſus eſt. (p) In eo tamen peccauit, quin etiam ſibi nocuit, quod ſingulatim non indicauerit, quae mutuo ſumſit. Verum enim vero ipſemet figuras quam plurimas elaborari curauit ſuis ſumtibus. Per *Caſparum* WOLPHIVM nempe conduxit ſculptorem Tigurinum, probatae per iſtum et *Froſchouerum* dexteritatis; qui non pauca ligna exſculpſit, quorum quodlibet prius *viginti quatuor crucigeris*, dein *baziis* decem, tandem, *medio thalero* venit. (q) Quaedam Pragae elaborata et elegantia ſunt curante *Petro* MONAVIO, cuius ſtudio ſculptor inuentus eſt, qui prius pretio *decem* dein *quaduordecim baziorum* pro ſingulis ſoluto operam praeſtitit. Amiciſſimus et officioſiſſimus CAMERARIO MONAVIVS ſculptorem *Wolfg. Mairbeck*, quo MATTHIOLVS olim vſus erat, adquirere tentauit; poſtea vero praeſtantem artificem procurauit *Peterlinum* nomine, typographum, pictorem et ſculptorem eximium, qui praeſertim ſingulare artificium ſciuit, ligna ita praeparandi, vt cornea duritie et ſimili lentore prelorum vi pertinaciter reſiſterent: hic Norimbergam ſe contulit, et CAMERARIO variis modis vtiliſſimus fuit. (r) *Melchioris* SEBIZII etiam adminiculo Argentoratenſes artifices *Bernherd. Iobinus*, *Sebaſt. Franck*, *Chriſtoph. Meier*, et *Petzius* quidam, operas ſuas contulerunt, et mox *quinque*, mox *duodecim bazios*, mox *medium thalerum* acceperunt pro ſingulis ſculptis. Auguſtae Vindelicorum per D. LAVBIVM, Medicum, artifex aliquis conductus eſt, quem IVNGERMANNVS ſaepius laudat. Norimbergae denique plures fuerunt vltra eum ſupra nominatum, qui ſeſe huic Operi commodarunt: inter Sculptores primas tenuit *Georg. Hoeſterus*, poſt hunc *Martin. Geiſſius*, *Sporelus*, *et Leonh. Viſcerus*; *Lucas* vero *Mairus* et *Vlricus Piſcator*, negligentiores cum eſſent, figuras deteriores confecerunt: inter pictores vero *Peterlinus* ſupra dictus, *Brechtelius* et *Ammon* quidam potiores fuerunt. (s) IVNGERMANNVS ipſe, cui cura omnis abſente auunculo commiſſa fuit, nitide pinxit, vt reliquiae teſtantur. Satis igitur in aprico erit, CAMERARIVM vltra GESNERIANA ligna plurima noua adhuc in ſubſidium ſibi procuraſſe, ex quibus ſeligere potuit ea, quae publicandam Epitomen ingredi debuerunt. Ipſa haec cum prodiret, (t) *tres ſupra mille* figuras expreſſas monſtrauit, vel etiam plures; ſi combinationes ſpecierum, paſſim occurrentes in vno ligno, ſeorſim numerantur. Cum autem MATTHIOLI Compendium 921. ſolum icones contineat, Epitome idcirco *octoginta duabus* figuris auctior adparuit, vel potius, quia e contrario *triginta et ſex* plantas a MATTHIOLO introductas omiſit, *centum et viginti octo* figuris locupletior. Dubium ſupereſt nullum, quin magna ſatis formarum ſculptarum GESNERIANARVM pars huc adhibita fuerit, aeque inſignis quantitas ſecundum picturas eiusdem exciſa eſt: interim aliae ad normam figurarum MATTHIOLI maiorum imminutae ſunt, aliae ex eiusdem Compendio transſumtae, perpaucae ex FVCHSII iconibus paruis mutuatae, reliquae ad plantas viuas elaboratae ſunt. (u) His tamen vna cum ſculptorum quorundam negligentia effectum eſt, vt valor omnibus non idem ſit, plurimae vero formam et partium proportionem adeo bene ſeruant, vt inter optimas, quas imminuta forma habemus, reputari poſſint.

Eodem cum Epitome anno emanauit etiam maius *Ioach.* CAMERARII Opus, Herbarium nempe Germanicum: ad cuius editionem Auctor excitatus eſt ab Electore Saxoniae AVGVSTO, et WILHELMO, Haſſiae Landgrafio. (w) Intrarunt hoc cunctae Epitomes figurae, aliquibus exceptis, quas emendatiores icones ſuppleuerunt, Pſeudoloti rudior icon omiſſa, Belladonna bis delineata abſque neceſſitate occurrit, et in vniverſum duodecim nouae icones acceſſerunt. Praeter haec in eo potiſſimum diſcrepat, quod deſcriptiones et vſus plantarum hinc inde fuſius pertractentur, nomina interdum mutata aut Synonymis aucta, amici aliqui a quibus ſtirpes habuit nominati, et figurae paſſim breuibus explicationibus pro meliori litterarum et ſignorum adpoſitorum intellectu donatae ſint. Idem illud Herbarium biennio poſt anno nempe ſupra *milleſimum quingenteſimo nonageſimo* iterum recuſum eſt, neque in rubro neque in numero foliorum mutatum, in eo tamen prae editione prima praerogatiuas poſſidens, quod non ſolum figurae 21, ad Hortum philoſophicum et Sylvam

(o) Vide litteras ineditas *Petr.* MONAVII ad *Ioach.* CAMERARIVM. d. d. 6. Iun. 1582. Compendium anno 1571. prodiit

(p) In Praefatione ad Epitomen MATTHIOLI.

(q) Vide de his WOLPHII litteras ineditas ad *Ioach.* CAMERARIVM plures, propter hoc negotium: itidem alias a *Ioach.* IVNGERMANNO ad *Eundem* ſcriptas, in quibus aliquoties enarratur, quae fuerint icones elaboratae

(r) Teſtantur de his MONAVII et IVNGERMANNI epiſtolae ad *Ioach.* CAMERAR. ineditae plurimae.

(s) De cunctis his adſunt epiſtolae *Melch.* SEBIZII, LAVBII, praeſertim vero IVNGERMANNI, qui ſingularia de quouis refert, e plurimas icones, quas ſinguli confecerunt, recenſet.

(t) Duplici titulo, prout vtrumque fuſius notat in ſua Hiſtoria fatorum Illuſtr. TREWIVS.

(u) Eas, quas vltra numerum, in MATTHIOLI Compendio occurrentem addidit, Aſteriſco notauit. Haec igitur nota non ita accipienda eſt, ac ſi ſolum eas ſtirpes notet, quas de nouo ſculpi vel pingi curauit, ſiquidem variae ita etiam notatae ſunt, quae GESNERO debentur, et in WOLPHII Pollicitatione iam occurrunt. Mirum enim eſſet, ſi eo impudentiae proceſſiſſet, vt viuo adhuc et per litteras communicante WOLPHIO, cui etiam exemplar transmiſit, aliena ſibi tribuerit.

(vv) Vide Dedicationem Herbario Germanico praefixam, et Praefationem ad Hort. Philoſophicum.

vam Hercyniam prius adhibitae,inſertae, ſed et *duae* inſuper nouae ſuperadditae fuerint, (*x*) adeo vt nunc demum iconum numerus ad 1037. adſcenderit. Poſt haec titulus Operis pluries, et forſitan quartum, quintum vel ſextum renouatus prodiit. (*y*) De titulo id modo innuimus eam ob cauſſam, quia nihil amplius in Opere ipſo mutatum occurrit, et ne folia quidem vtrimque numeris inſcripta, ſed antiquo more in vno latere ſaltem notata deprehenduntur; neque quidquam de obitu CAMERARII in nouiſſimis editionibus monetur: et denique quod maximum eſt, quia in interuallo annorum, inter editionem ſecundam et tertiam interiectorum formae iſtae ligneae, Herbario deſtinatae ad alia quaedam Opera adhibita fuerunt, vt mox videbimus. Vero igitur quam ſimillimum eſt, reſidua a ſecunda editione exemplaria emtoribus nouis modo titulis pluries oblata eſſe; ex quo etiam aliquo modo intelligi poteſt, cur Herbarium hoc Germanicum, non obſtantibus tot nouis editionibus ſimulatis, inter libros rariores referatur, et a ſcriptoribus rei herbariae toties praeterviſum ſit.

Elapſo ab Epitomes et prima Herbarii Germanici editione biennio aliud CAMERARII Opus lucem vidit, Hortus nempe philoſophicus et medicus cum THALII Sylua Hercynia. Vtrumque hunc librum Tabulae *quinquaginta* et *ſex* ornant, quarum *quadraginta ſeptem* priores ad Hortum, reliquae *nouem* ad Syluam pertinent. Speciminis loco praecurrere debuerunt maius illud Opus Botanicum, ſiue Paralipomena Rei Herbariae, in quibus elaborandis iam aliquot annis deſudauit, et breui, vt dicit, (*z*) ad finem perducere credidit. Icones hae omnino ex elegantiſſimis ſunt, quae CAMERARIVS publicauit, et quae forte vmquam in hoc genere prodierunt. Creditur equidem, has omnes GESNERO originem debere, et certum eſt, GESNERIANOS typos intermixtos eſſe, quod explicite de Tabula ſeptima Horti et eadem Syluae in deſcriptione adfirmatur, et archetypi Tabulae quartae vt et vltimae, ad Syluam pertinentium, vt bina ſaltem adferam exempla, inter picturas GESNERI adhuc ſeruantur; (*a*) cum autem CAMERARIVS pluries id teſtetur, quod plantas ipſas, quas figuris repraeſentauit, in horto ſuo inſtructiſſimo coluerit: proportionem partium naturalem iconibus paſſim ſupponat: amicos nominet varios et praecipue RAVWOLFIVM, qui mortuo iam dudum GESNERO iter in Orientem perfecit: (*b*) tandem diſerte adſerat, quod pictoribus ad conficiendas aliquas figuras vſus ſit, (*c*) et plurium picturarum in Voluminibus CAMERARIANIS adhuc praeſentium inſpectio doceat, quod poſt GESNERI obitum expeditae ſint: ideo extra dubitationis aleam poſitum videtur, CAMERARIVM etiam ſua induſtria praeſtantes figuras producere potuiſſe. His tamen omnibus ita ſe habentibus, GESNERIANO Nomini nihil detrahitur, ſed illum ſemper is honos eaque laus manebit, quod primus fuerit, qui figuras eum in modum inſtruxit, et quod CAMERARIO viam monſtrauerit, qua ratione plantae aptae adumbrari, et primariis diſtinctionis notis ornari deberent; quod niſi fuiſſet, numquam forte hic ad eam perfectionem et elegantiam, quam adſecutus eſt, deueniſſet.

Iniecimus ſupra, formas ligneas, in vſum Epitomes et Herbarii Germanici fabrefactas poſt ſecundam Herbarii editionem ad alia quaedam Opera adaptatas eſſe. De his itaque quaedam verba facere, operae pretium erit. Adeoque cum liber de Secretis Mulierum *Alberti Magni*, germanica lingua prima vice anno 1592; (*d*) altera vero anno 1608, (*e*) in quarta, vt vocant, forma Francofurti ad Moenum excuderetur, *viginti duae* ex his iconibus textui inſertae ſunt. Multo autem plures anno 1609. *Caſtoris Durantis* Hortulum ſanitatis per *Petrum* VFFENBACHIVM in vernaculam conuerſum, et impenſis *Ionae Rhodii* impreſſum ingreſſae ſunt. (*f*) Ligna circiter ſunt *octingenta quadraginta octo*, non computatis iis, quae paſſim bis poſitae ſunt. Interpoſitae ſunt aliae figurae *aliquot nonaginta*, adeo inconcinnae et plerumque ita ineptae ac fictae, vt non parum deforment librum; repetitae tamen pluries in lemmate capitum explicationes ſignorum, quae in Herbario additae fuerant iconibus. Patet igitur, formas illas mortuo CAMERARIO, et nemine earum curam habente, inter Bibliopolarum et Typographorum manus relicta eſſe, qui iis vſi ſunt, prout quemlibet lucri alicuius ſpecies adfulgens impulit. Hinc etiam poſt haec factum eſt, vt elegantes hae reliquiae in poſſeſſionem *Iohannis Goerlini*, Bibliopolae Vlmenſis peruenerint, qui tot earum, quot conquirere adhuc potuit, magnis ſumtibus, vt fertur, coemit, (*g*) et *Io. Iac.* BECHERO, Polygrapho et Chymico ſui temporis ſatis claro tradidit, vt easdem ad nouum Opus condendum adcommodaret. Vocatur Parnaſſus Medicinalis illuſtratus, et quatuor partibus abſoluitur, quae titulo generali annum 1663. exhibent; intus vero quaelibet pars ſpeciali titulo annum 1662. praefert. Prima pars 104. paginis Zoologiam tractat: tertia de Mineralibus agit: quarta in Scholam Salernitanam commentatur et alia quaedam addit, quae 164. paginis comprehendit; ſecunda vero, quae nobis prae reliquis aduertenda eſt, paginis 632.

 ico-

(*x*) Harum ſpecialem rationem, vna cum pluribus eleganter et operoſe congeſtis rebus, reddit Illuſt. TREWIVS in Hiſtoria ſua fatorum Operis.

(*y*) Illuſtr. TREWIVS in Hiſtoria ſua Operis annum 1611. et 1626. nominat, Ill. SEGVIERIVS annum 1598. adducit, in Bibl. Bot. p. 121. Ill. HEISTERVS demum annum 1600. ſupplet in Epiſt. cit. p. 24. quem tamen SEGVIERIVS eodem in loco quoque indicat.

(*z*) Vide Praefationem ad Hortum Philoſ. et Medicum ipſum.

(*a*) Ad has icones GESNERI mentio non fit, in illis vero, quas adduximus, etſi non ſint ex elegantiſſimis totius Libri, Auctorem nominauit CAMERARIVS; quare vero id fecerit, non diſquiram.

(*b*) Iter enim ingreſſus eſt anno 1573. et rediit 1576. vide Melch. ADAM.

(*c*) Quod fecit in figurae 17. 31. et 32. deſcriptione.

(*d*) Editionem hanc liberaliter communicauit Illuſtris TREWIVS.

(*e*) Hanc editionem et notitiam huius rei debeo fauori amici aeſtimatiſſimi, Cl. BEVRERI, Norimbergenſis totius Naturalis Hiſtoriae cultoris eximii.

(*f*) Librum hunc conceſſit pro conficiendo indice Illuſtris TREWIVS.

(*g*) Ita perhibet BECHERVS in Dedicatione Libri, ad IO. PHILIPPVM, Electorem Moguntinum directa.

icones CAMERARIANI Herbarii omnes rurſus complectitur, exceptis ſolum *ſex* omiſſis: (*h*) Rhabarbari etiam forma imitatione paullo rudiore ſuppleta eſt, quia forte prior laeſa fuit. Ordo de reliquo Herbarium Germanicum fere ſequitur paucis modo locis variatus; deficiunt vero plerumque ſignorum dilucidationes. Poſtquam haec ligna vſus quos diximus praeſtiterant, elapſis *quindecim* annis de nouo in ſcenam producta ſunt, et quidem in Heluetia. Quomodo id euenerit, neſcitur: nam VERZASCHA, qui nempe iis vſus eſt, nihil vlterius de hac re ſcriptum reliquit, niſi quod memoret, ſe ſuaſu plurium virorum celebrium ex Ordinibus Helueticis hoc Opus quaſi ſuum ſuſcepiſſe, et magnis ſumtibus laboribusque coagmentaſſe. (*i*) GESNERI interim per tranſennam mentionem ſolum facit, quod magnam herbarum Heluetiae indigenarum copiam in ſcriptis ſuis indicauerit, et prout loquitur, digitis quaſi monſtrauerit. Opus ipſum Baſileae anno 1678. lucem vidit, paginis 792. exſcriptum. Figuras proponit 1033. inter quas deprehenduntur equidem iſtae a BECHERO omiſſae praeter vnicam; (*k*) nihilo tamen ſecius 39 icones Herbarii CAMERARIANI deſunt, in quorum locum ſucceſſerunt aliae 35. quarum quaedam ex *Caſp.* BAVHINO, quaedam ex TABERNEMONTANO, aliae forſitan aliunde mutuatae ſunt. Anno denique 1696. ſexta demum vice eaedem formae intrarunt Opus, Baſileae itidem impreſſum, Theatrum nempe Botanicum *Theodori* ZWINGERI, quod paginas 995. explet, et figuras 1203. ſiſtit. Huic omnes figurae, quas VERZASCHA praeteriuit, de nouo inſertae inueniuntur, exceptis duabus, (*l*) quae prius iam forſitan perierunt; adeo vt nullum ab Herbarii publicatione prodierit Opus, quod tot continuiſſet eius icones: praetermiſſa ſaltem eſt vnica Saxifraga tertia Epitomes. Superadditae autem ſunt 133. aliae circiter icones, partim ex iisdem Auctoribus, e quibus VERZASCHA hauſit, partim aliunde depromtae. Ordines et deſcriptiones plerumque, frequentiſſime quoque nomina mutata ſunt. Tandem cum *Fridericus* ZWINGERVS, *Theodori* filius nouam Theatri editionem Baſileae curaret anno 1744. ipſae hae formae ſeptima vice productae ſunt in medium. Noua haec editio paginis 1216. icones 1226. continet, inter quas omnes ſunt, in priore editione occurrentes, ex iis vero, quas prius ZWINGERVS Pater in ſupplementum addiderat, quaedam mutatae ſunt, deſcriptiones quoque et nomina interdum emendata vel aliter enunciata ſunt. Nihil autem vllibi factum eſt in toto Opere, quod GESNERI conterranei memoriam reſuſcitare potuiſſet, etſi recentioribus praeſertim iſtis temporibus iam ſatis innotuiſſet, quantum huic Viro circa figuras iſtas tribuendum eſſet. Num autem poſt haec et poſt tot vſus, quos praeſtiterunt formae ligneae, aliquid adhuc de iis ſuperſit, an vero inter ictus machinarum typographicarum ita defoedatae ſint, vt ſeruire amplius nequeant, erui huc vsque non potuit. Mirum non eſſet, ſi conſumtae eſſent, cum toties prelorum vim ſuſtinuerint, quod fortaſſis ne potuiſſent quidem, niſi *Peterlini* artificium tantam ipſis conciliaſſet durationem.

Relinquimus igitur haec, et progredimur ad reliquam GESNERI ſupellectilem botanicam. Non eſt, quod poſt tot annorum interuallum inquiramus, quae et quanta et qualis fuerit, ſed indicemus ſaltem, quae tot viciſſitudines totque infortunia ſuperuiuere potuerint. Adſunt nempe, vt ſupra notauimus, codices quinque omnino, qui meris picturis conflati ſunt; acceſſerunt porro FVCHSII icones minores, in quibus GESNERI incomparabilis induſtria ſeſe manifeſtauit: praeſto ſunt icones ligno exciſae minoris moduli, et aliae in ſimilibus lignis penna artificioſe et ſubtiliter delineatae. Inter libros notis inſtructos, quos antea quoque indicauimus, TRAGI codex latinus ideo praecipuum adquirit pretium, quia Hyoſcyami albi characterem coloribus viuis adpictum conſeruat. De ſingulis ſuccinctam rationem reddamus, prolixiorem enim et Hiſtoria fatorum Illuſtris TREWII et Opera ipſa ſuppeditabunt. Maxime inſignem theſaurorum horum chartaceorum partem conſtituunt Volumina iſta duo maioris formae, quae prout paginarum ſeriebus iunguntur, ita coniunctim conſiderabimus. Primum folia 210. complectitur, alterum vero vsque ad numerum foliorum 490. continuatur. Folia primum ſolitaria fuiſſe, quibus tamen paginas partim GESNERVS partim WOLPHIVS adſcripſit, plurima perſuadent. Hanc igitur formam quam nunc habent, aut *Ioach.* CAMERARIVS Fil. aut ad minimum VOLCKAMMERVS ipſis dedit, vtrique enim Volumini inſignia familiae VOLCKAMMERIANAE in fronte praefixa ſunt. Cum folia non omnia aequalis eſſent magnitudinis, marginibus chartaceis adglutinatis ſubuentum eſt. (*m*) Intulit etiam WOLPHIVS icones vltra proprias quaſdam, *ſeptem* vel *octo*, mortuo iam GESNERO a KENTMANNO tranſmiſſas. CAMERARIVS adglutinauit figuras aliquas ex ſuis et eas quas IVNGERMANNVS et alii quidam miſerunt. Reliquae omnes GESNERVM collectorem habuiſſe videntur. Frequentiſſime vtraque foliorum pagina picturis repleta eſt, et icones non ſolum absque vllo ordine ſeſe excipiunt, ſed etiam vbi vna icon Auctori non penitus placuit, melior plerumque ſubſtituta eſt, vel vbi absque flore vel fructu vel radice et ſimilibus picta fuit, defectus alio in loco ſuppletus eſt, hinc etiamſi vna planta pluries occurrat, vel partes ſpatio ſeiunctae ſint, ſingula tamen ex collatione omnium

(*h*) Abſinthium marinum, Colutea ſcorpioides, Horminum ſylueſtre, Meliſſa Molucca, Ruta ſylueſtris, Tithymallus dendroides.

(*i*) Vide Dedicationem ad Ordines Helueticos directam, et Priuilegium Caeſareum adnexum.

(*k*) Meliſſam nempe Moluccam, Rhei etiam icon, a BECHERO introducta hic quoque cernitur, Cytiſi denique adumbratio differt in quibusdam lineis ab ea, quam CAMERARIVS dederat.

(*l*) Videlicet Meliſſa Molucca et Calamo odorato.

(*m*) *Ioach.* CAMERARIO praecipue formam tribuerem, quia IVNGERMANNVS in litteris vſus eſt verbis, non obſcure id innuentibus. GESNERO autem eam recentiorem eſſe, omnino certum eſt; adnotationes enim ab eodem, aeque ac a WOLPHIO et *Thoma* PENNEIO adiunctae ſub eo ſtatu, qui nunc eſt, omnino non adſcribi potuiſſent, margines etiam colorem multo recentiorem ipſis picturis produnt, et paſſim ductus litterarum WOLPHII et PENNEII obtegunt.

nium coniungi et integra reſtitui poſſunt. Vt reperiri poſſint eo melius, aliquo modo ſuccurrit index, a GESNERO anno 1564. Octobri menſe conſcriptus, quem WOLPHIVS poſtea, vt diximus, melius extricauit, renouauit, et KENTMANNIANAS nouas partim, partim ſuas quas pingi vel ſculpi curauit, numero circiter viginti decenter inſeruit. Iconibus ipſis promiſcue multae adnotationes adſcriptae ſunt, quae aut breues rerum deſcriptiones, nomina, ſolum natale, aut qualitates et alia notabilia concernunt. Optimis plerumque annum vel diem addidit, quo integram ſtirpem flores aut ſemina obſeruauit, aut quisnam ex amicis miſit vel communicauit aliqua, qua in re GESNERVS exactiſſimus fuit. Interdum litterae amicorum vel integrae vel particulatim adglutinatae ſunt; ex quibus omnibus ſatis eluceſcit, hos theſauros non in oculorum modo oblectamentum, ſed in inſigniores vſus congeſtos eſſe. Figurarum numerus, quantum generalis nunc patitur computus, 1600. non penitus explet, ſimul computatis fructibus, corticibus, radicibus, aliisque ad rem medicamentariam ſpectantibus, quorum plantae integrae non adſunt, vel iis ſaltem temporibus nondum innotuerant. Horum quantitas ad 130. adſcendit. Cunctae etiam icones non ſunt ſemper eiusdem bonitatis, illae praeſertim quae aliunde miſſae fuerunt, vel artifices minus gnaros auctores habuerunt. Horum 500. fere ſunt. Ex communicatis ab aliis 20. circiter minimi ſunt pretii, et ita comparatae, vt GESNERVS iam eas fictas declarauerit. Inſerti ſunt 28. ectypi formarum ligno exciſarum, qui ab aliis mutuati exſiſtunt. Non leuem etiam conſiderationem merentur duae imagines, vna foliorum Cacaliae, altera rami Mali Citreae, pigmento typothetarum recentibus foliis illito expreſſae, et a MEVRERO Norimbergenſi ad GESNERVM miſſae. Innotuit itaque eo iam aeuo ars, quam noſtris temporibus celeberrimi Viri BRVCKMANNVS et KNIPHOFIVS felici ſatis ſucceſſu ſuſcitarunt et exſecuti ſunt. (n) Primarium autem et inaeſtimabile pretium horum Voluminum conſtituunt figurae vltra mille fere, GESNERI ſtudio confectae, quae partim plantas integras, partim ramum aliquem naturali magnitudine, vel naturali parum minore repraeſentant. Figurationes prius libero pennae ductu lineatae ſunt, et linearum tam aequalis eſt leuitas, aptum decus, concinna ordinatio, atque manus tam audax firmitas, vt artificium dici mereatur inimitabile. Colores lineis ſuperinducti ſunt tanta ſimplicitate, et vmbrae vbique commodo adeo loco impreſſae, vt adcuratius et elegantius nihil ferme deprehendi poſſit. WOLPHIVS hinc vix adulatus eſt, cum artem, ingenium et induſtriam, in has figuras adplicatam, ZEVXIS et APELLIS artificio adſimilauerit. (o) Si demum conſideratur, quanta dexteritate, ſubtilitate et adcuratione minimi ſubinde floſculi, et organa eorum, fugientia interdum nudam hebetioris praeſertim oculi aciem, expreſſi ſint a Viro, inter incunabula Botanicae artis nato, et deſtituto non lentium ſolum ſubſidio, ſed et tot aliis adminiculis, quibus hodie abundamus, praecipue tot inuentorum notitia carente, quae indefeſſa poſteriorum ſaeculorum ſollertia recluſit, fidem ferme ſuperant, quae innuo. Haec ſi ponderantur, et ſic venuſtati graue vetuſtatis momentum additur, quisque facile adſtipulabitur, his iconibus praeſtantius et dignius non dari priſci aeui monumentum. Mirati etiam ſunt raram pulchritudinem, quotquot viderunt gnari harum rerum artifices, et lubens ego profiteor, artis pictoriae modicum quantum peritus, quod in hunc vsque diem ſatiari non poſſim ex conſideratione tot elegantiarum.

Tertium Volumen, quod ſupereſt, comprehendit Collectionem figurarum, a *Io.* KENTMANNO factam, et GESNERO communicatam. Depictum eſt ab artifice, eam ob rem conducto, ſecundum archetypos anno 1561. vt in fronte ſcriptum legitur. Conſtat foliis mediocris magnirudinis 146. ſiue paginis 292, vel quod idem eſt plagulis 73. Icones quae KENTMANNO debentur, omnes fere manu minus exercitata, et negligentius exaratae ſunt, de qua re GESNERVS etiam in ipſo Codice conqueſtus eſt, et pictoris incuriam accuſat. Fortaſſis autem archetypi non fuerunt meliores? Vt ita ſentiam, inducor fruſto quodam Herbarii picti, quod Illuſtr. TREWIVS nouiſſime ex Bibliotheca VOLCKAMMERIANA nactus eſt. Conſtat hoc plagulis 39. cum dimidia, regali chartae forma, vt vocatur: in quibus plantae centum et aliquot ſexaginta adumbrantur, ita tamen vt vna interdum pluribus modis proponatur, et hinc facile ducentae numerari poſſint figurae. Quaedam ex his cum Codice OELINGERI, cuius infra mentio fiet, conueniunt, plurimae vero figurationes, ſi ſolam demas magnitudinem, quae his paullo maior eſt, ita exacte linearum ductibus et colorum ordinatione conueniunt cum codice GESNERI KENTMANNIANO, vt communem originem ſatis ſuperque probent, et quilibet dicere cogatur, alterutrum ab altero mutuatum eſſe. Quibusdam huius fragmenti iconibus nomina ſubſcripta ſunt, quorum litteras ductibus *Hieron.* HEROLDI ex collatione inſtituta quam maxime ſimiles deprehendi, quin imo in vno nomine ductus ipſius KENTMANNI diſtinxiſſe mihi videor. Reliquis plerumque *Iohann. Georg.* VOLCKAMMERVS Pater adſcripſit, adeo vt indubium ſit, quod ex eius poſſeſſione fuerint, quocumque etiam modo ad eum peruenerint. Quamquam autem viliores ſint hae KENTMANNI icones, meliores tamen multo poſterioribus temporibus confici curauit, quod exempla adhuc reſidua teſtantur. Vt autem recuperemus filum hiſtoriae, a quo digreſſi ſumus, moneamus neceſſe eſt, GESNERVM quoque ſuo Codici intra quadriennium, a quo illum nactus fuit, figuras inſeruiſſe pari omnino artificio et incomparabili ſua facilitate, quam ſupra mirati ſumus, confectas, quarum numerus computatis omnibus minutioribus rebus ad 583. circiter adſcendit. Plantarum integrarum vel ramorum ſunt 57. florum diſtinctorum itidem 57. foliorum ſeparatim pictorum 11. radicum 10. lignorum 7. Quae

(n) Videantur ea, quae Cel. BRVCKMANNVS inſeruit Commerc. Litterar. Norimbergenſi An. 1733. p. 395. et 402. vt et KNIPHOFII Botanic. in Originali.

(o) Vide WOLPHII Pollicitat. p. 44. b.

reſtant, Semina, Fructus, eorumque partes potiſſimum concernunt. Pagina denique tertia huius Voluminis GESNERVS praeclarum iſtud memoris beneficiorum et gratiſſimae mentis reliquit teſtimonium: nomina videlicet *quadraginta quatuor* amicorum ſcripta inſeruit, qui ad condendam Hiſtoriam ſuam plantarum aliquid contulerunt, et quorum honorificam mentionem facere voluit.

Quarto et quinto loco ſequuntur Volumina duo, ad *Ludouic.* CAMERARIVM translata, et in eius familia ad noſtra vsque tempora a poſteris ſeruata. His absque dubio *Ioach.* CAMERARIVS formam dedit, quam habent. Mole quidem minora prioribus, praecipue tamen ideo in exiſtimatione habenda ſunt, quia GESNERI reliquias ſimul includunt; quaelibet enim linea, ab eo ducta, in magno eſſe debet pretio. Volumen vnum maius eſt et regalis formae 81. foliis componitur. Initium faciunt picturae duae, ad animalia pertinentes, quibus caput Cerui ſingulari cornuum formatura, vt et Capriceruae alia rara excreſcentia donatum, item Apri effigies exhibetur, cute et ſetis ex albo et nigro variis, qui, prout notitia adſcripta ſonat, anno 1579. prope Erlangam noſtram captus fuit. Diſperſa ſunt per hoc Volumen ad minimum folia 18. quorum poſſeſſor GESNERVS iam fuit, iisque vel notamina adſcripſit, vel more ſuo icones terſiſſimas adpoſuit. Aliquae ex his ab ARETIO et KENTMANNO illi communicatae ſunt: CORTVSI etiam icon ipſiſſima plantae, quam ſuo nomine inſigniri voluit, et hodie adhuc ſub eadem adpellatione nota eſt, inſerta deprehenditur: pleraeque reliquae a CALCEOLARIO originem ducunt, qui in liberalitatis, GESNERO exhibitae praemium, Aconitum hiemale, vt vocatur hodie, ab eo dedicatum accepit. Has praeſertim figuras GESNERVS in Indice et Voluminibus ſuis, nondum ligatas nominat, et ſub peculiari titulo citat. Reſidua a ſupra adducto numero folia 63. *Ioach.* CAMERARIVS et IVNGERMANNVS addiderunt, in quibus archetypi tres iconum, in Horto Philoſophico quaerendarum (*p*) occurrunt, vt et 34. mutuatae figurae ex Opere illo magno OELINGERIANO, quod ſuo aeuo celebratiſſimum, et ex ſplendidiſſimis vnum fuit. Opus illud ſumtuoſum (*q*) nunc quoque theſauros Illuſtris TREWII ingreſſum eſt, et paginas 647. formae regalis includit, quae vtrimque communiter pictae ſunt, et maximam partem plantas, aliqua tamen quoque animantia exhibent. Collectorem habuit amicum GESNERI *Georg.* OELINGERVM, Norimbergenſem, cui ſine dubio *Paul.* OELINGERVS filius, (*r*) amicus *Felic.* PLATERI plura addidit. Figurae operoſe quidem elaboratae, exquiſitiſſimam tamen ſtructuram ſtirpium rariſſime, characterem vero florum vel fructuum numquam adſecutae ſunt. In quibusdam iconibus magnam inuenio conuenientiam inter codicem ſupra memoratum KENTMANNIANVM et hunc, huius tamen OELINGERIANI figurationes plerumque linearum et colorum puritatem maiorem monſtrant, et pleniores maioresque ſunt. Huius itaque Operis auctoritas et communio magna fuiſſe videtur, cum in hoc CAMERARII Volumine, de quo loquimur, vltra ea quae ſupra notata ſunt, 34. folia occurrant, quae inde depicta ſunt, quin et in Epitome, vt vnicum modo notem, Phaſeoli icon ad Oelingerianum archetypum elaborata eſt. (*s*) Alterum Volumen, ex *Ludou.* CAMERARII haereditate emtum, minoris molis, et formae conſuetae folii, vt vocant, exſiſtit, et 49. foliis conſtat. Ex his quatuor GESNERVS indubie iam poſſedit. Figurae ad minimum 24. a IVNGERMANNO proficiſcuntur admodum elegantes. Quinque archetypi inſunt iconum, in Horto philoſophico publicatarum. (*t*) Reliquae aut *Ioach.* CAMERARII cura comportatae, aut ab amicis communicatae ſunt. Ad finem Voluminis adiuncta ſunt ſex folia, animalium claſſem concernentia, quae praeterimus breuitatis ſtudioſi. Peculiarem vero attentionem in ſe trahit vna charta, in qua plantarum ſex diuerſarum (*u*) folia pigmento typographorum expreſſa et coloribus ornata ſunt, et id ſingulare habent, quod folia vna cum venis, in vtroque latere, ab vno eodemque exemplari elegantiſſime repraeſententur, quod artificium ne hodierna quidem inſtitutio tentauit. Eiusdem artificii plura exempla Illuſtris TREWIVS ſeruat, et quidem ex Bibliotheca VOLCKAMMERIANA 25. figuras, quarum 13. coloribus obductae ſunt: et alias 24. quarum 14. coloribus diſtinctae ſunt ex Bibliotheca *Io. Iac.* BAIERI; de omuibus vero plura perſuadent, quod ex *Ioach.* CAMERARII ſuppellectile botanica auulſa, et ſic ad ipſum referenda ſint. Ex duobus nunc ſuccincte conſideratis Voluminibus MVNTINGIVS, vt ſupra diximus, quaedam in Phytographiam ſuam tranſtulit, numero 13. et quidem 9. ex Volumine maiore figuras, quarum 4. OELINGERI imitationes ſunt, reliquae aliorum; 4. vero ex minori Volumine. (*w*)

Reſtant

(*p*) Abutilon videlicet, Naſturtium Indicum et Quamoclit.

(*q*) Titulum integrum iam exhibuit *Theoph. Sinceri* Libror. veterum rariorumque Notitia hiſtorico critica. ann. 1747. Vol. I. 4to. Francof. et Lipſ. 1748. p. 367. Principio Operis praefixae ſunt picturae inſignium familiae, vt videtur, OELINGERIANAE, quorum alicui annus 1531. alii 1536. adhuc alii ſequentia verba ſubſcripta ſunt: cum gratia et priuilegio FERDINANDI, Romanorum, Vngariae, Boemiaeque Regis ZC. ad d. xx. Aug. ann. 1542. ex quibus, vt et titulo colligi poteſt, Opus ad editionem comparatum fuiſſe.

(*r*) Teſtantur id litterae *Felic.* PLATERI ad *Ioach.* CAMERAR. ad d. 9. Maii 1576. et ad d. 17. Nou. 1576.

(*s*) Vide Epitom. *Matth.* a CAMERAR. editae p. 212. additus tamen character floris et filiquae ſeparatim, quibus archetypus caret.

(*t*) Nempe Abutilon Auicennae, quod ad florem, fructus et folium pertinet, deinde Heſperis ſyriaca ſiue Leucoium incanum peregrinum, Quamoclit indicum florens, Solanum indicum, et tantem Hyoſcyamus flore aureo *Alpini.* ſiue peculiaris *Hort. phil.*

(*u*) Valerianae nempe offic. Vitis vulgaris, Ribis offic. Mali hortenſis, Gei forte rotundifolii, Gladioli vel Iridis cuiusdam.

(*vv*) *Ex volumiue maiore:* Guanabanus folio ficulneo *Phy-*

Reſtant adhuc FVCHSII icones minores. De his igitur vt indicemus neceſſe eſt, GESNERVM 74. figuras plantarum, maximam partem integrarum, artificioſe adpinxiſſe, quibus ſimul plenam chacteris anatomen addidit; 10. autem figurationes characteres, vel folia, vel alias partes, tot idem diſtinctarum plantarum concernunt, quarum tamen integer habitus expreſſus non eſt. Omnes vero ſimili felicitate et peculiari illa elegantia adumbratae ſunt, qua reliquae eius Auctoris eminere ſolent. Agmen tandem ex illis, quae ad manus ſunt, claudunt figurae minores, tam ex ligno exciſae, quam in lignis modo lineis inſcriptae: illarum omnino 215. ſunt, harum vero lineatarum 179. In earum numero, quae e ligno exſculptae adſunt, 57. inueniuntur, quas vel CAMERARIVS vel IVNGERMANNVS nominibus notauit, et quae ideo et plures ob rationes his Viris originem debebunt; inter lineatas vero 14. occurrunt, quae easdem notas praeferunt. Reliquas aut GESNERVS ipſe, aut poſt eius obitum WOLPHIVS confici curauit. Cunctae autem eum in finem ſeruatae videntur, vt Paralipomenis exornandis inſeruirent, ſiquidem in Operibus ſupra memoratis nondum comprehendantur, exceptis forte pauciſſimis. (*x*) Artificium in omnibus non vnum idemque eſt, et clare euincit, a diuerſis ſculptoribus eas exaratas eſſe. Dignae tamen vtique ſunt, vt amatoribus noſtrorum temporum proponantur, partim ob concinnitatem quam poſſident; etiamſi materies, ex qua confectae ſunt, puritati linearum parum commoda ſit: partim ob memoriam aeui, in quo elaboratae ſunt. Prolixiorem quo minus earum ſuſcipiam laudationem, ſuperſedeo eam ob cauſſam, quia ipſae nunc et conſpectui et iudicio ſeſe ſubiiciunt. Vltra haec omnia GESNERVS etiam magnam vim plantarum ſiccarum habuit, quas paſſim in Operibus ipſis citat. Hae vero tot iniurias, quas eius reliquiae expertae ſunt tanto temporis intervallo, eludere vix potuerunt, vnicum tantum folium ſupermanſit; quamuis et hoc mutilatum ſit: Tragoriganum nempe a CORTVSO communicatum, et Voluminibus pictis inſertum.

Haec circiter facies et conditio eſt praetioſorum Theſaurorum botanicorum, ſtupenda GESNERI induſtria collectorum, et CAMERARII prouida cura ampliatorum: eorum nempe, quos neque temporum calamitas, neque diſcriminum grauitas deſtruere potuit. Diſperſas easdem reliquias tanquam naufraga fruſta dum collegit curioſius, et ita feliciter reuniuit Illuſtris TREWIVS, neutiquam quaeſiuit, vt diutius deliteſcerent, ac denique perpetua obliuione ſupprimerentur, ſed potius ſtatim ab eo tempore, quo partem modo nactus erat, conſilium cepit eas in publicum emittendi, inſtigatus feruore, quo vnice mouetur in bonarum litterarum et rerum praeſertim naturalium perfectionem. Hinc breui poſt haec compoſuit Hiſtoriam fatorum, quibus Opera iſta obnoxia fuerunt; atque vt voluntatem declararet ſuam, amicis paſſim communicauit. Interim non absque bono omnine factum eſſe videtur, quod diu tentata, et ad triennium fere mecum ſaltem agitata promulgatio in hunc vsque diem dilata fuerit; cum vltimi anni, vt ſupra enarrauimus, inſignia ſuggeſſerint auctaria et ſubſidia, quorum ope multo pleniora et locupletiora cuncta prodire poſſunt. Decreta igitur nunc demum eſt integrorum Operum editio ea omnino conditione, qua ſeſe offerunt, et hactenus enumerata ſunt. Prodibunt non figurae ſolum omnes, reprobatis modo iis, quae GESNERVS ipſe excluſit, ſed adiungentur etiam adnotationes ſingulae, quae ſuperſunt. Separatim vero ſemper, et nominatim indicabimus illa, quae alii poſt GESNERVM adleuerunt; et ſperamus ita obtentum iri, ne linea pereat tam de iis, quae Vir iſte, qui amore in litteras, et diligentia, et perſpicacitate animi omnes facile ſui aeui ſuperauit, modo ipſe elaborauit, modo elaborari curauit; quam vt conſeruentur ea quoque, quae contulerunt Viri, qui de GESNERIANIS ſtudiis bene meriti ſunt. Neque enim id fert inſtituti noſtri ratio, vt nunc ſtatim adiiciamus ſingulis ſtirpibus nomina et placita Scriptorum recentiorum: neque facile transgreſſuri ſumus legem, deliberato animo nobis propoſitam, niſi vbi breui manu aliqua dilucidatio addi poterit. GESNERI potiſſimum vt innoteſcant tandem aliquando labores, in propoſitis habemus, ne poſt tot difficultates totque infortunia, quibus a primordiis preſſa fuerunt haec Opera, vlterior mora noceat, et obices ponat propitio Numine, vt confidimus, ſuſceptae promulgationi. Icones praecipue, quotquot coloribus pictae ſunt, iisdem plane, qui adhuc cernuntur, et eadem magnitudine, habitu et genio elaborationis conficientur per eundem artificem dexterrimum, qui praeclaram ſuam operam ab initio iam commodauit. Nam cum in GESNERI mandatis vltimis fuerit, vt figuris viui colores inducerentur, (*y*) noluit et nunc deeſſe hoc ornamentum, munificus et parentis vices omni ex parte explens Operum Patronus. Ordo certus obſeruari nequit, ſpecies tamen vnius generis quouis modo coniungentur; figurae vero ea, qua fieri poteſt, adcuratione et fide aeri incidentur, et coloribus diſtinguentur, vt archetypis quam ſimillimi euadant. Tantum eſt, quod de Operis vniuerſi ordinatione iam praemonere poſſumus. Pro commendatione laborum GESNERI vt amplius aliquid in medium proferamus, ſuperuacuum erit, cum conſenſus communis de bonitate adſit, et aequalis vbique neque vana exſiſtat exſpectatio. Pauca modo ſupererunt de hoc primo Volumine dicenda. Incluſa

ſunt

Phytogr. fig. 24. Leontopetalum capitatum americanum *ibid.* fig. 229. Cardamomum arboreſcens minus *ibid.* fig. 65. Caryophyllus arbor *ibid.* fig. 245. Meliſſa Moluccana laeuis. *ibid.* fig. 217. Struthiofera *ibid.* fig. 86. Muſae fructus *ibid.* fig. 5. Apocynum Virginianum *ibid.* fig. 105. Cardamomum arboreſcens minus *ibid.* fig. 64. *Ex Volumine minore:* Muſae ſtirps *ibid.* fig. 4. Macer arbor antiquorum *ibid.* fig. 13. Lunaria Chymiſtarum *ibid.* fig. 208. Sidereon (paullo mutatum in radice) *ibid.* fig. 213.
Notitiam horum ſubminiſtrauit, et collationem inſtituit Clar. BEVRERVS.

(*x*) Nempe Helleboro nigro, qui in Epitome, Lachryma Iobi, quae in WOLPHII Pollicitatione occurrit, et Aconito primo Quercetani, quod in Libro de Aconitis iam habetur.

(*y*) Vide WOLPHII Pollicitat. p. 44. b.

ſunt ipſi cuncta, quae promiſimus. *Val.* CORDI Librum tam ob raritatem, quam eas ob cauſſas, quae infra patent, recuſum damus, illique combinauimus omnes emendationes, a GESNERO huic Operi dicatas. Lubentiſſime addidiſſemus auctaria et notationes in TRAGVM eiusdem, niſi ſerius, et ſingulis iam ad prelum datis adpuliſſent. Locus tamen alius iis dabitur, ſi bonum videbitur. Quis Indicum finis ſit, eorum inſtructio docebit. In illo, qui editas figuras concernit, praecipue in id reſpexi, vt breui compendio demonſtretur, quanta copia characterum in plantis a GESNERO et pediſequo CAMERARIO iam indicata ſit, et quod ſigna, quae frequentiſſime adpoſita ſunt, nequaquam vage vel temere adpoſita ſint: denique vt adpareat, quas icones ab aliis transſumſerint, aut mutuatas auxerint, et politiores reddiderint. Tabulis figurarum minorum ſubiunctum eſt ſpecimen vnum, vt cognoſcant aequi amatores, quantum exſpectare debeant, et promittere ſibi poſſint de ſequentibus Voluminibus. Statim autem in limine inobſequens eſſem voluntati GESNERI, ſi finirem enarrationem, et absque gratae mentis teſtificatione dimitterem Viros, qui vel his laboribus variis modis vtiles fuerunt, vel auctaria GESNERIANIS attulerunt. Praecipuum equidem locum poſcerent et hic, Illuſtris TREWII in hoc Opus merita; ea autem non quidem ingrato ſilentio premo, ſed breuibus ſolum adhuc in memoriam reuoco, cum ſentiam imparem ferme me, depraedicandis cunctis beneficiis in GESNERVM collatis, verborum ope magnitudini rei conuenientium. Is enim animus, quem in conquirendis, tuendis, augendis et ornandis iſtis reliquiis et ſubleuandis meis etiam laboribus, tot luculentiſſimis factis demonſtrauit, non meas ſolum laudes, ſed plauſus gratesque excitare debet immortales quorumcumque, qui ſcientiarum commodum curae cordique habent, GESNERIANO nomini bona precantur, vel huic inſtituto fauent. Officioſiſſimis etiam verbis commemoranda eſt ingenua animi propenſio Virorum *Io.* GESNERI, Medicinae et Phyſices Profeſſoris Tigurini celeberrimi, et *Io. Alberti* GESNERI, Protomedici Wurtembergici meritiſſimi: illum enim auitae celebritatis recordatio, hunc Nominis paritas, vtrumque amor in bonas litteras impulit, vt praeſtantia ſupplementa elegantiaque ſubſidia conceſſerint. Plurimum deuinctos nos credimus Praeſtantiſſimo Viro *Ambr.* BEVRERO, Acad. Nat. Curioſ. Imperialis Sodali, Chymico et Pharmacopoeo Norimbergenſi, amico veteris amicitiae vinculis mihi iuncto; illo videlicet cooperante plurima Tigurina acceſſerunt, et ipſe multis modis noſtris laboribus vtilis fuit. Neque praeterire poſſum Clariſſimi SVLZERI; Gymnaſii Ioachimici Berolinenſis Rectoris beneuolentiam, qui ſciagraphiam Vitae GESNERI communicauit, ex qua etiam aliqua deſumſi; et ne quis abeat, qui officia praebuit quaedam, vni cuique eorum, qui aliquid contulerunt, ampliſſimas grates ſincera voce rependo. Singulos ſuo loco nominaui, ex quibus profeci, ne quis plagii me reum cenſeat. Reliqua ipſe comportaui, et plura quidem, quam expreſſi; omiſi enim interdum aliqua, aut reſeruaui, ne nimis difficiles euadamus emtoribus. Meam autem qualemcumque operam neque magnifice praedicare, neque prolixe excuſare ſuſcipio, probe enim me meo pede metior, et cum humana patiatur optimus quisque, eadem a me non aliena eſſe quam maxime ſcio. Veritatis autem tramitem ſequi enixiſſime ſtudui, neque poſui aliquid ſcienter, quod vel fundamento deſtituitur vel famae cuiusquam inſultare poteſt. Maxima enim, qua adficior in GESNERVM reuerentia effecit, vt non ſolum candide vbique agere ex partibus meis eſſe crediderim, ſed et propria circa ſtirpium analyſin ſuſcepta molimina non quidem deſeruerim, ſed ſepoſuerim ſaltem, redauſpicanda quatenus per haec licebit. Quae ſi procurare mihi poſſunt aliquam apud aequos cenſores veniam et aduocationem, mihi ex omni parte erit ſatis factum.

VALERII

VALERII CORDI

SIMESVSII

STIRPIVM

DESCRIPTIONIS

LIBER QVINTVS

QVA IN ITALIA SIBI VISAS DESCRIBIT

IN PRAECEDENTIBVS VEL OMNINO INTACTAS

VEL PARCIVS DESCRIPTAS

HVNC AVTEM MORTE PRAEVENTVS

PERFICERE NON POTVIT.

DE MORBO ET OBITV VALERII CORDI

EPISTOLA HIERONYMI SCHREIBERI NORIMBERGENSIS.

IN EIVSDEM OBITVM CASPARIS CRVCIGERI ELEGIA

EMENDATIONES QVAEDAM ET ADDITIONES

IN OPERA VALERII CORDI

ARGENTINAE EXCVSA APVD IOSIAM RIHELIVM

ANNO M.D.LX.

ARGENTORATI EXCVDEBAT IOSIAS RIHELIVS

ANNO M. D. LXIII.

EDITIO NOVA

PLVRIMIS EMENDATIONIBVS ET ADNOTATIONIBVS

EX

GESNERI CODICE

DESVMTIS AVCTA ET RECVSA

NORIMBERGAE IMPENSIS IO. MICH. SELIGMANNI MDCCLIII.

TYPIS IOANNIS IOSEPHI FLEISCHMANNI.

STIRPES LIBRO HOC QVINTO
DESCRIBVNTVR, HAE.

Centaurium maius.
Draco ſatiuus.
Ciſthus foemina.
Hypociſthis foemina.
Rhamnus montana.
Chamaeſyce.
Elechryſus tenuifolia.
Agnus.
Corruda.
Lachryma herba.
Iaſme alba.
Rhus.
Ziziphus.
Meſpilus Aronia.
Platanus.
Heliotropium maius.
Ruſcus.
Tamus. (*)
Cerrus.
Marum.
Medica. (**)
Calaminthe montana ſerrata. (†)
Philyra.
Philyrina.
Ladon.

(*) Vitis nigra noſtra.
(**) purpurea mea.
(†) In Apennino: quae tota guſtu et olfactu Pulegium refert.

PRAE-

PRAECLARO VIRO

WOLFGANGO MEVRERO

PHILOSOPHO ET MEDICO PRAESTANTISSIMO

IN ILLVSTRI ACADEMIA LIPSIENSI REI MEDICAE PROFESSORI

CONRADVS GESNERVS

TIGVRINVS. S. D.

Remitto ad praeſtantiam tuam Meurere doctiſſime, quas nuper communicaſti pro tuo candore, Valerii Cordi noſtri Stirpium deſcriptiones, numero XXV: quae in primis quatuor eius libris ſuperiore anno excuſis eiusdem argumenti, vel non habentur, vt pleraeque: vel minus accurate, vt paucae quaedam. Nec tuum vero ſolum remitto exemplar, ipſius Cordi digitis exaratum: ſed idem quoque mea cura typis excuſum, vt nobiſcum his naturae deliciis quotquot voluerint et noſtri ſeculi homines, et poſteri fruantur. Icones quidem propter temporis anguſtiam aliasque occupationes deſcriptionibus addere non licuit. Subiunxi autem Hieronymi Schreiberi ad te epiſtolam de morbo ac obitu Cordi, et Caſparis Crucigeri Elegiam. Quae omnia quoniam abs te primum, quae tua eſt liberalitas et in me beneuolentia, accepi, in tuo nomine publice etiam apparere volui, ne a meo more diſcederem, quem iam prius in aliis Cordi noſtri, lucubrationibus edendis ſecutus ſum. Ferme enim ſingulis dedicaui, quae quisque primum communicarat. Huic gratitudinis qualicunque ſignificationi, lubens fortioris aliquid adieciſſem, ſi qua eius copia fuiſſet. Tu in praeſentia haec boni conſules, donec reliqua etiam, ſi quae reſtant, huius authoris adipiſcar. Amicus quidam meus pereruditus, habere ſe Cordi de Haloſantho (ſeu ſpermate Ceti vulgo dicto) libellum iam pridem ad me ſcripſit: quem ſemel atque iterum rogatus nondum miſit: (*) at neque de Succino eius obſeruationes: ſi modo aliae (**) ſunt illae, quam quae Annotationibus eius in Dioſcoridem inſertae habentur ſatis copioſae. Tu quaeſo ab amicis, quorum permulti doctrina et virtute eximii, in Saxonia alibique, tibi coniunctiſſimi ſunt, haec nobis perquire, vt nihil poſt tantum quidem ab eius morte temporis, in optimi et doctiſſimi iuuenis Cordi manes officiorum praetermittamus: id quod omnes viri boni pietatis (vt ſpero) nomine de nobis praedicabunt.
Vale. In Thermis Helueticis ad Limagum fluuium, Auguſti die XIII. Anno Salutis M. D. LXII.

(*) miſit de Haloſantho libellum, qui cum noſtris de lapidibus impreſſus eſt.
(**) non ſunt aliae.

DE CENTAVRIO MAIORE. 1.

Centaurium maius, quod vulgo Rhaponticum falſo vocitatur, folia a radicis capite emittit Laurinis propemodum ſimilia et aequalia, pedali pediculo vtrinque ex interuallo adnata et geminata, colore viridia, tactu dura, denſa et per ambitum aſpera, et duris inciſuris, non tamen adeo profundis, ſerrae modo crenata: quae vniuerſa cum pediculo ſuo iuglandis nucis folia aemulantur: non tamen ſpeciales habent, quibus pediculo iungantur peciolos, ſed immediate ab eo exeunt. In extrema et anteriori pediculi parte, vnum folium recta prominet, ceu in iuglande etiam videtur. Caules profert Rumici non diſſimiles duum aut trium cubitorum longitudine, inaequaliter teretes, leniter ſtriatos, in adnata et ramos diuiſos. Folia ſub adnatis exeunt maxime inferioribus, praedictis ſimilia, ſed multo minora. In ramulorum et adnatorum ſummitate, capitula fert paruis Papauerum capitibus aequalia, paulo minus quam rotunda, in turbinem, pyramidis figura exacuata, Carduorum capitibus ſimilia, Scolymi, Cnici vrbanae, Cnici humilis et ſimilium modo, ſquamis ſurſum erectis, ſed minime aculeatis, compacta: e quorum cacumine aeſtate flores erumpunt, capillati, numeroſi, et denſe ſtipati ceu Carduorum, in plures fibras diſſecti, veluti in corymbum diffuſi, colore inter candidum, caeruleum et purpuraſcentem medii. Qui poſtquam defloruerunt, Carduorum more pappos poſt ſe relinquunt, ſub quibus ſemina continentur oblonga, ſuperius acuminata, inferius latiuſcula, in rotundo anguloſa, intus nucleum claudentia, Cnico per omnia vſque adeo ſimilia vt vix dignoſci queant, paulo tamen maiora ſunt, et ex candido in cinericeum et liuidum colorem vergunt. Ea raro omnia, dum matureſcunt, perficiuntur, ſed magna ex parte inania et carioſa fiunt. Radice nititur perenni, craſſa, longitudine bicubitali, ponderoſa, foris nigricante: intus vero cum per transuerſum inciditur, ruffa, aut pallida (nam duae eius ſpecies ſunt) carnoſa tunicis circulos referentibus, annuatim aucta, conſtans, liquore turgens ruffo, aut pallido, mellis ſpiſſitudine, conſiſtentia, viſcoſo (non enim in aqua diſſoluitur, neque ei miſceri poteſt) ſed in ſummo ei infuſus natat. Saporem habet dulcem aliquantulum, cum leni acrimonia aſtringentem. Liquor vero ſolus guſtu ſubacris, et aſtringens percipitur, et palato guſtatus diu propter viſcoſitatem adhaeret. Naſcitur pinguibus, montanis, frutetoſis ac ſole illuſtratis locis, plurimumque in Gargano Italiae monte, vnde ad nos affertur.

DE DRACONE SATIVO. 2.

Draco ſatiuus, olus eſt quo in acetariis vtimur. Eſt autem herba fruticoſa: caules ab vno perennis radicis ceſpite emittens plures, minimo digito graciliores, longitudine bicubitales, nonnunquam etiam proceriores, glabros ſubteretes, ſolidos, inaequaliter ramoſos: cum primum adoleſcunt, vndique foliis obſitos et teneros, poſtea vero paulatim ligneſcentes. Folia ei ſunt minimi digiti vt plurimum longitudine, anguſta, acuminata, glabra, leuia, Hyſſopi aut Limneſii foliis ſimilia, maiora tamen et nullis per ambitum inciſuris, vt Limneſium diſſecta. Semen totis ramulis denſum, veluti in Artemiſia adnaſcitur, admodum exile, aceroſum et Artemiſiae ſimile, minus tamen, quod nulli fatu digni, et qui ſenſu manifeſto percipi poſſint, flores praecedunt, attritu, cum grauitate aliqua vinoſa, admodum odoratum, guſtu leniter acre, vehementer tenue, palatum vniuerſum penetrans et os non iniucundo, ſed medicamentoſo halitu commendans, ſaliuam, ciens: in ſumma ſaporem habet, veluti ſi quis Pyrethrum, Aniſum, aut Foeniculum, ſalem, vinum, et modicum aceti miſcuiſſet. Folia eandem qualitatem olfactu et guſtu prae ſe ferunt, ſed minus odore commendabilem. Radicibus nititur longis, obliquis, digitum paruum craſſis, foris cinericeis, tenui cortice intus lignoſum neruum veſtiente villoſis et vibratis, ſapore folia aemulantibus, ſed aliquantum cum modica adſtrictione amareſcentibus, quae autumno numeroſos emittunt, et teneros Aſparagos, colore candidos et modice rubeſcentes: qui ſecuturo anno in caules adoleſcunt. Seritur in hortis auulſa radice, Aſparago et iam ligneſcente Ramulo.

DE CISTHO FOEMINA. 3.

Ciſthus foemina frutex eſt multis a radice ramoſis aſſurgens virgis, longitudine cubitalibus et nonnunquam etiam bicubitalibus, duris, ligneis, non tamen lentis, ſpadiceo cortice, quemadmodum nouellae Betulae, veſtitis. Rami e virgis ſtatim a radice exeunt, in exortu ſibi aduerſi, ex interuallo geminati, cruciformi poſitu alternantes, foliis pleni, in rotundo oblongis, denſis, duris, aſperis, piloſis, et Saluiae modo rugoſis, latitudine plerumque digitalibus aut vncialibus, longitudine vero paulo amplioribus, figura oualibus, contra hyemem contumacibus, nec decidentibus antequam veris initio alia ſubnaſcantur. Flores Aprilis exitu, et Maio menſe producit, in longis gracilibusque pediculis ſingulos, ſylueſtri & ſimplici Roſae ſimiles et aequales, colore candidos, quinque tenuibus latisque foliis conſtantes, vt ſylueſtris quinquefolia Roſa, in exortu vbi coniunguntur anguſtis, intusque luteo vnguiculo variantibus. Stamina in flore ſunt multa tenuia, breuia, colore lutea, in quorum medio exiguum latet tuberculum, quod fructus rudimentum

mentum exiſtit. Calyx floris, vbi pediculo iungitur, quinis conſtat paruis, viridibusque foliolis inaequaliter diſpoſitis. Decidentibus autem floris foliis, tuberculum quod inter ſtamina continetur, in paruum, rotundum, & apice modice acuminatum, capitulum ſeu pericarpium increſcit, magnitudine raro Cicer excedens, quod in maturitate in quinas partes dehiſcens, ſemina oſtendit exigua, colore in ruffo ſubcinericea, paulo minus quam rotunda, papauere paulo maiuſcula, et Hyoſcyamo fere aequalia & ſimilia. Radice nititur multifida, lignoſa, fuſco in ſpadiceo colore cortice veſtita. Cortex radicis vehementer adſtringit, quemadmodum Gallae, virgarum vero cortex remiſſius. Folia praeterquam quod adſtringant, etiam valde arida, et ſucci expertia guſtu percipiuntur. Flores mediocri adſtrictioni etiam dulcedinem aliquam adiunctam habent, poſtquam manſi fuerint, aliquam Aſſae dulcis gratiam in palato relinquentes. Odorati vero nihil habet totus frutex. Naſcitur apricis, caluis, montanis, petroſisque locis: plurimus autem in Italia, Patauinis montibus, inter Vicentiam, et Montem Celeſium oppidum.

DE HYPOCISTHIDE FOEMINA. 4.

Hypociſthis vocata, quae ſub Ciſtho foemina naſcitur, herba eſt non ſui generis, nec per ſe ſola naſcitur, ſed ſub Ciſtho, vnde et nomen inuenit: quemadmodum Viſcum, quod nusquam per ſe, ſed tantum in arboribus ex excrementitio earum ſucco gignitur. Naſcitur autem Hypociſthis e tumentibus, et tuberoſis Ciſthi radicum partibus, nullis propriis radicibus adhaerens. Herba eſt craſſa, pinguis, tenera, mollis, ſuccoſa, neque lignoſa intus, neque cortici incluſa, longitudine quadrantalis, trientalis, et nonnunquam ſemiſſem et ſemipedem aequans: quoniam radices Ciſthi e quibus pullulat, non omnes aeque a terrae ſuperficie diſtant. Inferius, qua oritur, minimo digito plerumque eſt gracilior: ſuperius vero, qua parte e terra eminet, craſſior eſt. Eminet autem raro vltra duas aut tres vncias ſupra terram: coliculo conſtat indiuiduo, nullisque lateralibus germinibus brachiato, praeterquam quod in ſummitate ceu in racemum deſinat. Folia eius intelligenda ſunt, quae coliculos veſtiunt, ſquamatim compacta, et ſurſum ſpectantia, oblonga nucamenta, colore vt plurimum punicea, crocea, citrina, aut lutea. Summitas herbae cum primum e terra emerſerit, ſquamoſis et oblongis tuberculis conſtat, racematim congeſtis, contiguis, et omnibus ſurſum erectis, quae paulatim intumeſcentia, Punicae Cytini figuram aſciſcunt. Longitudine vt plurimum vncialia, inferiore ſui parte in globulum extuberantia, colore lutea, pallida, aut citrina: ſuperius ex oblon- 3. *b.*
ga ceruice in ſingulos deſinentia ceu floſculos, in quaterna exigua et repanda folia diuiſos, in quorum medio ſingula ſunt parua rotundaque tubercula, octonis plerunque inciſuris ſtriata: ea naturaliter lutea, aut toti herbae concoloria ſpectantur: nonnunquam vero ſuperficietenus in candidum veluti puluiſculum reſoluuntur. Cum floret, et tota herba adhuc tenera eſt in Maio videlicet menſe, tumida cytinorum pars, diſſecta intus, lentum, viſcoſum, in longum ductilem et ſequacem humorem continet, colore cryſtallinum, qui ſiccata et inueterata herba corrumpitur et in cariem reſoluitur. Porro perennis non eſt, vt Viſcum, ſed ſemeſtre tantum durat tempus: ac pereunti ſingulis annis in vere alia ex iisdem radicum varicoſis, et tuberoſis partibus ſuccedit, alibi ſingulis, alibi paucis, alibi multis aceruatim enaſcentibus, et in exortu coniunctis. Tota herba vehementer adſtringit, quemadmodum Gallae, et Punici mali cortex, excepto viſcoſo lentore in cytinis eius contento, qui ſubdulcis guſtu ſentitur, quemadmodum gummi dilutum. Genera eius tria Dioſcorides recenſet: κιρρόν, χλωρόν, et λευκόν. Non tamen dicit, an omnia ſub eodem Ciſthi genere naſcantur, vel an ſingula ſingulis Ciſthi generibus adnaſcantur: videlicet Ciſtho maſculo, Ciſtho foeminae, et Ladae, quae tertium Ciſthi genus eſt Ladanum ferens. Nobis hactenus praeter vnum videre non licuit, omnibus iis coloribus cum diuerſo, tum etiam eodem tempore inſigne. Nonnulli vero coliculi ima ſui parte, intus etiam toti rubent diſſecti, caetera aliis concolores. Succus, qui pariter vt herba Hypociſthis vocatur, quomodo ex ea fiat, non eſt huius loci, aut inſtituti docere.

DE RHAMNO MONTANA. 5. (*)

Rhamnus montana arbuſtum eſt fruticoſum, multis a radice aſſurgens virgis, trium, quatuor, aut quinque cubitorum altitudine, quarum nonnullae duum digitorum craſſitudinem habent, cortice veſtiuntur virgae leui, cui color eſt fuſcus in ſpadiceo, materia illis dura, ſolida, minime lenta, ſed ad flexus fragilis. Ramuli ex virgis vndique inaequali ordine exeunt numeroſi, colore in fuſco ſpadicei, ad latera expanſi, deorſum reflexi et repandi, non craſſi, ſed tenues, colore in ſpadiceo nigri, ex interuallo breui horridiſſimis, durisque, et infeſtis ſpinis armati, colore ſpadiceis, binis ſemper vno in loco coniunctis: altera breuiori incurua & Rubi modo hamata, ac inferius conſtituta: altera vero ſuperius longiori ſurſum ſubrecta. Vtraeque ſpinae alternatim ſiniſtrorſum et dextrorſum obliquantur, vnde ad pungendum promptiſſimus eſt, ſiue quis intrudat, ſeu retrahat manus. Ramuli in ſpinarum exortu curuaturam ſeu flexum habent, interualla vero recta ſunt. Hinc eſt, quod tortuoſus ſit ramulorum habitus. Folia inter ſpinas ſunt ſingula, ſubrotunda, oblonga, in ouatum mucronem exeuntia, colore in viridi pallida, glabra, laeuia, et modice pinguia, per ambitum minimis, vt vix appareant, inciſuris ſerrata, ad latera vtrinque explicita,

(*) in Italia naſcente.

plicita, alterno variantia poſitu, ita vt ſpatio, quod inter duo eſt folia, ſingula ſemper opponantur, hyeme decidua, magnitudine foliis diuerſa. Siquidem quae inferioribus ſunt ramulis, et vetuſtioribus, longitudine vnciam non excedunt, aut perquam raro. In ſuperioribus vero ſurculis, et nouellis ramulis enata interdum Pyri folia aequant. Secus folia inter aculeos ſingula ſunt et parua ſpinarum ceu rudimenta, in iis duntaxat ſurculis, qui neque flores neque fructus ferunt: qui enim hos producunt, iis carent. Flores Iunio menſe ſecus folia erumpunt, admodum parui, racematim congeſti, quinque exiguis breuibus acuminatisque foliolis radiati, colore lutei ſeu flaui. Inter foliola florum ſinguli ſunt et minimi apices, per ſpacia eorum ad latera exporrecti. In medio flore exiguum eſt et orbiculatum tuberculum, quod paulatim in fructum excreſcit latum, orbiculatum, in medio craſſum, et qua pediculo adhaeret in gibbum extuberatum, per ambitum
4. a. vero et in margine tenuem, foliaceum, modice laciniatum et rugis ſtriatum, colore in ſpadiceo palleſcentem, latitudine vncialem aut etiam ampliorem, Verticilli figuram referentem, quo mulieres vtuntur aggrauandis fuſis ſuis nondum filo multo onuſtis. Porro florere ſurculi incipiunt poſteriore ſui parte. Flores non omnes ad fructum perueniunt, ſed partim decidunt. Qui vero fructus faciunt, nunquam decidunt, ſed verticillis affixi manent: dependent enim ab iis fructus. Tuberculum verticilli gibboſum, lignoſum, exiſtit, excepto circumdante eum cortice, cui fungoſa eſt materia. Intus habet tria parua loculamenta, trifido mediaſtino diſtincta, in quibus ſingula ſunt ſemina aliquantulum anguloſa, lignoſo et ſpadiceo cortice candidum continentia nucleum. Inueniuntur tamen quibus bina et quaterna ſint ſemina, ſed raro, idque naturae errore. Radicibus nititur multifidis, duris, in diuerſa diſtractis. *

Sapor floribus & foliis ſubdulcis, glutinoſus. Vis emplaſtica, cortex guſtu paulo ſiccior percipitur, aliquantulum etiam adſtringens. Odor floribus exilis, ſuauitati aliquam graueolentiam adiunctam habens. Naſcitur in apricis montibus, plurimus autem in Italia Patauinis montibus, praeſertim prope Bataiam pagum, nec non Bononiae ad Rhenum.

DE CHAMAESYCE. 6.

Chamaeſyce Tithymalli ſpecies eſt, ſine caule, humi fuſa, et nunquam a terra ſe attollens, ramulos a radicis capite ceu tuberculo emittit numeroſos, plerunque dodrantales, graciles, ex interuallo geniculatos, teretes, ſolidos, modice hirtos, pluribus alis furcatos. Singula enim genicula in binos diuiduntur ramulos, vndique per terram ſparſos, et in orbem diffuſos, vsque adeo a terra ſe non attollentes, vt cylindro depreſſi, et exaequati videantur. Folia retro ſingulas alas bina ſe proferunt, ab vtroque latere vnum, ad latera explicata, parua admodum, in rotundo aliquantulum oblonga: ab altero, quo radicem ſpectant longiora et obliqua, Lentis ſemini aut Trichomanis foliolis aequalia, colore in viridi et glauca, ſubcinericea, maxime inferiori, qua terram ſpectant, parte: immediate abſque vllo fere pediculo geniculis adnata. Floſculi inter folia e geniculis exeunt minimi, propter paruitatem ſuam obiter intuentibus vix conſpicui, ſubruffi et lanuginoſi, iis ab latere exeunt ſinguli et minimi fructus, figura triangulares, quemadmodum in aliis Tithymalli generibus: terna intus ſemina habentes, papaueri ſimilia et aequalia fere, foris ruffa aut ſpadicea, intus candidam medullam habentia. Radice nititur candida, tenui, aeſtatem tantum durante. Abundat tota herba lacteo liquore cui eadem eſt acrimonia, quae aliis Tithymallis. Naſcitur aridis et ſitientibus hortorum areis, ſolo aſpero, Bononiae etiam intra vrbem.

DE ELICHRYSO TENVIFOLIA. 7. (*)

Elichryſus tenuifolia, fruticulus plures ab vna proferens lignoſos cauliculos colore fuſcos, hyeme non pereuntes, a quibus numeroſi ſurgunt ſurculi, longitudine dodrantales, aut nonnunquam pedales, graciles, teretes, indiuidua candida lanugine obductos, foliis vndique plenos ſurſum erectis, longitudine vncialibus, valde anguſtis, gracilibus, candidis, et lanuginoſis, Abrotonum album candore et tenuitate referentibus, non tamen Abrotoni modo inciſis, et in plures partes diſſectis. Plerique ſurculorum illorum veris exitu, dodrantem aut pedem altius reliquis attolluntur, multo paucioribus veſtiti foliis, maxime iuxta cacumen, flores Iunio et Iulio menſe ferentes in ſummitate luteos, paruos, ſtipatos, aridos, erectos et in corymbum digeſtos, qui circa Iulii menſis medium cum maturuerint, in tenues diſſoluuntur pappos: antequam vero penitus matureſcant decerpti, multos incorrupti durant annos, colorem, ſplendorem, ſpeciem nec non odorem ſuum reſeruantes, vnde et huic Amaranti nomen Graeci indidere. Radice nititur
4. b. dura, lignoſa, arida, foris nigra, in multas fibras diſtracta. Odor cum foliis tum florum Corymbis admodum ſuauis et medicatus, Foenograecum aridum referens, et vnguentum, quod Dialthaeam vocant. Sapor amaricans, ſubacris, tenuis, per palatum ſe cum aromatica gratia aliqua diffundens. Flores, odoris et ſaporis vehementia foliis ſunt ſuperiores. Naſcitur aſperis et aridis campis atque aggeribus, iisdemque apricis et caluis, quos delabentes montibus torrentes et fluminum nimiae inundationes alluere et rigare aliquando ſolent. Plurima autem in Italia Bononiae ſub Caſaletto pago ad Rheni ripam, non longe ab eo loco, quo

Rhenus

(*) Stoechas citrina vulgo dicta. Omnino; vt etiam in Dioſcoridem ſcribit Cordus.

Rhenus per foſſam ad vrbem duci incipit. Porro floret non tantum aeſtate, ſed etiam denuo autumni initio poſt primos imbres, parcius tamen quam aeſtate.

DE AGNO. 8.

Agnus ſeu Vitex, qui vulgo vocatur Agnus Caſtus, arbuſcula eſt fruticoſa ad iuſtae arboris (ſi creſcere ſinatur) proceritatem alicubi adoleſcens, a caudice ſatis craſſo in multos diuiſa ramos. Stolones iuxta caudicem a radice emittit multos, qui euulſi et in terram depacti facile comprehendunt et proueniunt. Rami eius iuniores et nouae virgae recte ſunt ex interuallo in ramulos et ſurculos contrarios ſibi in geniculis et exortu ſuo cruciformi poſitu diuiſae. Pediculi a geniculis ſinguli exeunt, vtrinque vnus, ſibi aduerſi, digito plerunque breuiores, teretes et teneri, quibus in extremitate quina, ſeptena, aut nonnunquam plura exeunt folia, vni principio annexa omnia, vndique explicita palmae humanae inſtar aut foliorum cannabis, longa, anguſta, et acuminata, rectam et eminentem a tergo ſpinam per totam longitudinem exeuntem habentia, Oleae foliis ſimilia, ſed multo longiora, mollioraque, ſuperne viridia, inferne cinericea et modice ceu lanuginoſa, hyeme decidentia. Ex his maximum et longiſſimum eſt, quod recta antrorſum prominet, alia paulatim minora ſunt vtrinque, quo magis a maximo recedunt. Poſtrema vero duo (quamuis aliquando tria aut vnum ſit) tantilla ſunt. Flores Iunio et Iulio menſe fert, in ſummis virgarum longis rectisque ſurculis paruos, oblongos, concauos, labro extremo ampliores et diſſectos, quina exigua e medio proferentes ſtamina, paruulo viridique in cinericeo caliculo inſidentes, Lauendulae et Roſmarini floribus ſimiles et aequales, vndique in orbem circa ramulos in verticellis quibusdam ex interuallo longam ſpicam conſtituentibus diſpoſitos, colore intus in coeruleo purpureos, foris in caneſcente coeruleos, dilabentibus floſculis ſingula in denticulatis caliculis ſubnaſcuntur ſemina, parua, rotunda, pipere minora, colore cinericea, dura, lignoſa, totam hyemem ſurculis adhaerentia. Sero germinare et frondere incipit. Corticem ramuli eius habent lentum, flexilem, et fractu contumacem, eadem et nouellis virgis natura. Odorem folia, flores, ſemina et cortex ſpirant grauem, caput grauantem. Sapor iisdem partibus ſubamarus: acris et tenuis, cortici ſolum, reliquis ignauior: folia et ſemina floribus vehementiora guſtu percipiuntur. Quin etiam foliorum et nondum apertorum florum guſtatorum acrimonia diu palato inhaeret. Naſcitur aſperis campis, et maritimis tractibus, non longe a fluminum inundantium & torrentium ripis: plurima autem in Marchia Anconitana. Seritur interim etiam in hortis plerisque Italiae locis: vt Venetiis, Taruiſii, Patauii, Ferrariae, Bononiae.

DE CORRVDA. 9.

Corruda ſylueſtris Aſparagi genus eſt naſcens aſperis, ſaxoſis, lapidoſisque locis aeditis et planis, modo aſperi ſint ſolo, cum opacis, tum apricis. Opacis enata longioribus aſſurgit viticulis, fruteta et arbuſta aſcendens, et per eas reptans. Apricis vero locis genita, cum in aliquam adoleuit altitudinem pondere frondium ad terram deprimitur. Virgas, ſeu viticulas potius, quam caules ab radicis ceſpite emittit plures longitudine duum aut trium cubitorum, aut longiores interdum inter fruteta, incuruas, tortuoſas ſ. a. iunci modo graciles, teretes, leuiter ſtriatas, colore in cinericeo modice rubeſcentes, duras, ſolidas & lignoſas, a terra ſtatim vsque ad extremitatem, frondoſas enaſcentes, vnciali fere ſemper interuallo dodrantalibus ramulis inaequali poſitu diſpoſitis, deorſum aut retrorſum verſus radicem incuruatis, colore viridioribus, quam ſint viticulae. Iis ſingula ſubſunt in exortu exigua tubercula, deorſum in mucronem exacuta. E ramulis breui interuallo vnciales, ſeſquiunciales, aut etiam longiores (maxime inferius) enaſcuntur ſurculi, ad latera expliciti aut retrorſum inflexi, vndique minimorum foliorum pleni, Aſparago ſimilium, ſed breuiorum duriorumque multo, anguloſorum, atque in extremitate aculeatorum. In ſumma Iuniperi ſimilia ſunt folia, ſed triplo aut quadruplo minora. Eadem etiam Iuniperi inſtar pungunt maxime in calidioribus regionibus et apricis locis enata. Flores Iulio menſe apricis locis profert numeroſos, totos fere integentes ramulos, leuiter odoratos, admodum paruos, ſenis foliolis ſtellae inſtar radiatos, ſenis intus ſtipatos ſtaminibus, colore pallidos, hoc eſt, in flauo albicantes, quibus baccae ſubnaſcuntur. *

In frutetoſis et vmbroſis raro admodum floret: et ſi flores illic producit, pauciſſimi ſunt, et qui rariſſime ad fructum perueniant. Viret autem tota hyeme haec herba, vere nouas producens Aſparagos, eosque craſſos, lentos, et non niſi in ſummitate teneros et eſui aptos: qui in tantis ſunt Venetis deliciis, vt teneritas et generoſitas eorum in prouerbium Venetiis abierit. Radicibus (*) nititur multis a longo et ſquamoſo principio oblique aut transuerſe per terram repente enatis, longis, teretibus, et Aſparago ſimilibus per omnia, lentioribus tamen, durioribus, et foris obnigrioribus. Sapor radicibus dulcis, glutinoſus cum tenuitate aliqua partium leuiter amaricans. Aſparagi item eius vere enaſcentes, aliis Aſparagis guſtu ſimiles exiſtunt. In ſumma vehementior eſt in omnibus: alias per omnia qualitates eius reſpondent cum ſatiuo, tum ſylueſtri Aſparago.

(*) Scorpius Theophraſti. Corruda videri poſſet, ni obſtarent flores, puto, et radix.

DE LACHRYMA HERBA. 10.

Herba, quae vulgo in Italia Lachryma vocatur e frumentaceorum eſt cenſu, ſed peculiaris et ſui generis. Seritur ſemine veris initio prius madefacto, aut etiam ante ver nondum exacta hyeme. Nam propter nimiam ſoliditatem et duritiem tarde erumpit. Erumpit autem ſingulari modo germen eius, ſeminis oſſeo cortice, non diſrupto neque putrefacto in terra, qui etiam ſequenti autumno aut hyemis initio plane integer et incorruptus, cum herba maturuit, inter radices eius inuenitur, tenui dependens filo ab radicum medio. Germen autem a ſuperiori et acuminata parte emittit, radices vero ab inferiori et lata, quae baſis eius eſt: foramine enim peruium eſt ſemen. Cum medulla ſeminis interna in radiculas et germen conſumpta eſt, et germen adoleſcere incipit, radiculae quae ſunt ſub baſi ſeminis pereunt, et ſupra ſemen nouae ſuccedunt, prioribus multo maiores. Ab eo deinde tempore pluribus a terra adoleſcere culmis incipit, partim in medio rectis, aliis vndique ad latera eorum per obliquum ſubrectis. Culmi autem maximi duum aut trium cubitorum longitudinem habent, craſſitudinem minimi digiti, ad latera vero enati breuiores ſunt, et graciliores. Sunt autem teretes, virides, glabri, ſolidi et crebro geniculati. Ex omnibus geniculis rami exeunt, qui et ipſi paruis culmis ſunt ſimiles. Folia a geniculis exeunt ſingula, ſurſum ad proximum vsque geniculum culmos amplectentia, mox ſe in latitudinem diffundentia, longa, lata et harundinea, frumento Indico aut milio Indico ſimilia et aequalia fere, paulo tamen anguſtiora, viridiora, et multo molliora, nec ita aſpera, ſi deorſum mulceantur cum in latitudine, tum etiam acie ſua. In ſumma antequam ſemen ferat, nondum fructificanti tritico Indico et milio Indico ſimilis exiſtit, fruticoſior tamen eſt, et ramoſior. Iunio et Iulio menſe in Italia e foliorum alis breues, ſquamatas, et nucamentaceas profert ſpicas, nullis ſ. b. ariſtis armatas, colore virides, et iuxta has grana vnum, duo, aut tria rotunda in acumen breue ſurſum turbinata grandi piſo aequalia, nitentia, quae fructus et ſemina eius ſunt. Semina non in ſpicis continentur, ſed ſpicae e ſeminibus exeunt quaedam tamen ſpicae iuxta ſemina erumpunt, ſed iis nulla ſubſunt ſemina. E granis ſeu ſeminibus dependentes ſpicae quemadmodum et aliae ſub paleis et ſquamis oblongos exerunt floſcu- †Roggen. los quales triticum et † Olyra, colore flauos in ſuperficie luteo ſeu flauo puluere obſitos: ad nullum fructum peruenientes. Semina ipſa alios habent flores, bina videlicet aut terna oblonga capillamenta, colore † iuxta. candida hirta et lanuginoſa, e mucronis foramine † vix ſpicarum exitum enata. E nonnullis granis ſubinde alia tenui filo dependent grana, ita vt ſemen ex ſemine enaſcatur. Semina antequam matureſcant viridia, pallida et mollia ſunt: cum vero maturuerint liuida fiunt, aut glauca et caeſia, atque oſſeam duritiem acquirunt. Ea confracta nucleum intus oſtendunt tritico ſimilem, colore flauum, intus candidum, breuiorem tamen et rotundiorem, in medio late ſulco aliquo canaliculatum, per quem dependentis ex eo ſpicae tranſiit pediculus. Sapor nucleo dulcis qualis tritico, difficilius tamen, quam triticum dentibus conficitur ob duritiem ſuam. Habet nucleus circum ſe craſſiuſculam paleam, in qua ceu in puluillo eſt collocatus. Radicibus nititur numeroſis vndique in orbem per obliquum et tranſuerſum diſtractis, longis, lentis, teretibus, fibratis, guſtu ſubdulcibus et glutinoſis, quemadmodum Aſparagi radices. Seritur in hortis ſpectaculi gratia, et ſeminibus funiculo aut filo traiectis fiunt oraria: quae vulgo vocant Pater noſter, qui Deo preces ſuas numerant.

DE IASME ALBA. 11.

Iaſme quae candidos profert flores, frutex eſt, vitis modo longiſſimis per concamerationes et pergulas aſcendens et reptans palmitibus atque viticulis: capreolos tamen non habet. Imae eius partes ſeu caudices vncialem et duum interdum digitorum aut ampliorem nonnunquam craſſitudinem habent, corticem cinericeum, ſcabrum, fungoſum et rarum, intus materiam ficulneo etiam ligno leuiorem rarioremque, et in hac medullam ſatis amplam. Qui ex iis exeunt palmites, graciliores ſunt, graciliores etiamnum ex ſe et longas admodum emittens viticulas et clauiculas colore virides, leues, teretes, ſtriatas, ex interuallo geniculatas, lentas, fractu contumaces, intus fere inanes, ſpongioſam et per tranſuerſum exiguis cauitatibus diſtinctam medullam continentes. Pediculi e ſingulis geniculis bini enaſcuntur exortu ſibi aduerſi, tenues, longitudine digitales, virides, ſuperiori parte anguſta canali ſulcati, quibus vtrinque terna plerunque adhaerent folia, ſpatio dirempta, Parietariae foliis ſimilia, minora tamen, longitudine vncialia aut ampliora, poſterius orbiculata, antrorſum in mucronem faſtigiata, myrteis non admodum diſſimilia, molliora & tenuiora, hyeme decidua, inter extremum par vnicum a pediculo recta prominet, multo longius aliis longiore, mucrone conſpicuum, et duplo maius praedictis, ſua interceſſione parem eorum numerum in inparem permutans. Flores Maio, Iunio, Iulioque menſibus et tota aeſtate in ſummis et extremis viticulis et clauiculis profert multos vni principio adnatos, Violis albis, hoc eſt, Leucoiis non diſſimiles, poſteriore ſui parte graciles, oblongos, teretes, cauos: anteriori vero labro in quaterna quinaue foliola, aut nonnunquam plura explicitos. Foliola ea oblonga ſunt, et in mucronem faſtigata, longitudine ſemunciali, colore candida. In-

ſident

ſident flores exiguis caliculis, quaternis, quinis, pluribusque tenuibus cirrhis pro foliolorum floris numero fibratis. Decidentibus floribus (decidunt autem toti nec diſſoluti in partes) in caliculis tantilla remanent ſemina, quorum nullus eſt neque in Medicina neque propaganda planta vſus. Seritur enim viticulis et palmitibus, vt vitis. Nihil odorati frutex habet, exceptis floribus, qui iucunde et late cum modica grauitate redolent. Radice nititur multifida, cui eadem eſt, quae ligno, raritas et leuitas. Seritur in *hortis deliciarum * 6. a. gratia ad integendas pergulas et concamerationes in Italia. In Germania difficulter prouenit, exceptis iis partibus, quae Italiae et Hungariae ſunt vicinae et contiguae. Colitur et putatur quemadmodum vitis.

DE RHV. 12.

Rhus qui Byrſodepſicus cognominatur, et Rhus obſoniorum, quoniam coria frondibus eius denſantur, et ſemina eius obſoniis acoris, et ſalſilaginis gratia inſperguntur, arbuſcula eſt duum, trium, aut etiam quatuor cubitorum altitudine aſſurgens, in ramos paucos ſine ordine aliquo diuiſus. Virgae eius ſummae rubent, et leuiter hirtae ſunt. Pediculi ab iis exeunt graciles plerunque rubentes, piloſi, longitudine dodrantales aut pedales, in quibus vtroque latere folia ſunt quina ſenaue, vnciali aut ſeſquiunciali interuallo dirempta immediate et ſine euidentibus petiolis ſurculis ſeu pediculis adnata, ſibi ipſis in ſingulis exortibus contraria et aduerſa, in extremo ſurculo vnum recta prominet, ſua acceſſione parem turbans numerum. Figura foliorum eſt propemodum ouata: ſunt enim oblonga, vtrinque in mucronem breuem attenuata, longitudine duas vncias, latitudine ſeſquiunciam non raro excedunt. Tactu ſunt aſpera et ſcabra, per ambitum leniter nec profunde inciſa, ſuperius viridiora, inferius pallidiora, obliquis diſtincta venis, e ſpina ad oram exeuntibus. In ſumma Vlmi foliis ſimilia exiſtunt. Flores Maio menſe in ſummis virgis profert paruos, muſcoſos, hirtos, in ambitu candidos, in medio rubentes, in oblongo et erecto racemo denſe diſpoſitos, quod in medio flore rubet hirtumque eſt, paulatim in acinum excreſcit paruum, latum, lente paulo maiorem et craſſiorem, in ſuperficie hirtum, foris conſtantem carnoſo cortice, intus duro, et veluti oſſeo ſemine. Acini quemadmodum et flores, denſam vuam conſtituunt, pluribus paruis et erectis vuulis mammoſam. Color vuae antequam matureſcat ſubuiridis, deinde flaueſcit, in maturitate vero prorſus rubet; eadem cum matura, tum immatura ſemper in ſuperficie humeſcit, etiam magnis ſiccitatibus circumfuſo gliſcens et ſplendens ſucco: hic eſt acida ſalſilago, qualem Ciceris folliculi oſtendunt, guſtu agreſtae, defecatae, in ſole denſatae et modico ſale conſperſae. Cortex inciſus, et fracti foliorum ſurculi, lacteum fundunt liquorem, vt Ficus, non tamen ita acrem, ſed leniter adſtringentem, qui in Gummi glutinoſum denſatur, quod etiam ex Gummi. caudice et ramis eius erumpit. Inſidet nonnunquam et foliis acida ſalſilago vt vuae, ſed parcior. Radice nititur in multas partes diſtracta. Folia hyeme amittit, ea guſtu vehementer adſtringunt. Exterior acinorum pars, hoc eſt, oſſeum ſemen ambiens, carnoſus cortex guſtu valde acidus ſentitur. Cortex virgarum, foliorum modo adſtringit, adiuncta aliena quadam qualitate. Naſcitur editis, aſperis et petroſis locis, vt Bononiae in vicinis vrbi collibus: naſcitur et alibi in plerisque humilioribus Appennini montibus.

DE ZIZIPHO. 13.

Ziziphus quae fructus fert veteribus appellatos Zizipha et Serica, recentioribus vero Iuiubae, arbor eſt ſatis magna, ramoſa et frondoſa, ſemine, auulſione et inſito proueniens ſurculo. Caudice aſſurgit non ita procero, qui in ramos ſpargitur inconditos, tortuoſos, et ad terram incuruatos, noui rami, qui et ipſi tortuoſi ſunt, in curuaturis, quibus germina erumpunt, ſpinis horrent vt Rhamnus. Germina et folia omnibus annis ex iisdem promit tuberculis. Itaque tota nodoſa et tuberoſa eſt arbor, et quo vetuſtior eſt, eo maioribus magisque inconditis dehoneſtatur nodis et tuberibus, germinum dilabentium veſtigiis ſingulis annis incrementum nodis relinquentibus. Nouella arbor aſpectu et ſpinis non multum a Rhamno diſtat, ſed ramulis et ſurculis multo craſſioribus conſtat. Germinat ſero et vix ante medium veris plerisque etiam calidis locis, autumno nullam faciens germinum ſpeciem vt aliae arbores, totaque hyeme horrida et ſqualida apparet, veluti prorſus* arida et ſiderata. Cum autem frondere incipit, ſurculaceos gracilesque e tuberi- * 6. b. bus promit pediculos, longitudine dodrantales, aut interdum longiores, Rhamni ſurculis ſimiles, in quibus breui interuallo, vtroque in latere folia diſponuntur oblonga, longitudine ſeſquiuncialia, latitudine vncialia, aut anguſtiora, acuminata, per ambitum leniter ſerrata, viridia, mollia, pinguia, glabra et nitentia, praeſertim ſuperius, ternis per longitudinem diſtincta venis, Rhamno figura et poſitu ſimilia, anguſtiora tamen, ſed eodem modo diſpoſita, vt in Rhamno, aduerſantibus ſingulis binorum ſpaciis. Flores Iunio Iulioque menſibus ſecus folia in alis eorum fert exiguos, plures, pallidos, tantillis foliolis in ſtellae figuram radiatos, Rhamno colore, figura et magnitudine ſimiles, e quibus exeunt ſinguli oblongi fructus, figura et magnitudine Corni aut Oleae, primum virides, in maturitate vero rubentes, molli, rara, viſcoſa et dulci carne, delicatorum palatis placentes. Semina fructibus intus ſunt ſingula, oblonga, dura et lignoſa, Corni aut Oleae ſimilia, oblongum et gracilem nucleum intra ſe claudentia. Sunt autem duo genera huius arboris: alterum oblongum maioremque fructum parit, alterum rotundum et mino-

rem. Seritur in hortis vbique in Italia, in Germania parcius, quoniam propter frigidius coelum difficulter fructum profert.

DE MESPILO ARONIA. 14.

Quae proprie et ſimpliciter Meſpilus vocatur, aut cognomento Aronia, arbor eſt mediocriter procera, robuſta ac valida materia, ſed minime lenta et flexili. Noui eius rami et validiores ſurculi ſpinis horrent duris, rectis, Pyracanthae ſimilibus. Folia item Pyracanthae ſimilia habet, duriora tamen et craſſiora, nec in lateribus ita diuiſa, ſed magis antrorſum diſſecta in partes tres, aut quatuor, hyeme decidua. Longitudo folii duum aut trium vnciarum, figura qualis extremo et recta prominenti Apii folio, aut etiam qualis eſt Sorbo torminali, cum qua magnam habet haec arbor ſimilitudinem et cognationem. Surculi, a quibus folia exeunt, lanugine aliqua candicant. Flores veris initio fert, in latos et racemoſos corymbos coaceruatos, foliaceos, candidos, cum Sorbo torminali, tum Pyracanthae ſimiles et aequales, ſtamina in medio et apices habentes. Poſt flores tubercula ſunt, et fructus rudimenta: ea delabentibus florum foliolis paulatim increſcunt in paruum et rotundum pomum, paruo malo, aut magno Vnedoni ſimile. Colore primum viride, in maturitate ſubflauum, et leniter rubens, guſtu acidum, ſtringens et ori gratum: intus tria, dura, lignoſa et anguloſa continens ſemina, vnde Tricoccos pomum hoc Graecis nominatum eſt. Vmbilicum in ſummitate habet paruum. Sero matureſcit, quemadmodum et Vnedo. Seritur arbor auulſo et inſito in Pyracanthae caudicem ſurculo, quemadmodum & Epimelis vrbana. Sed quoniam tarde adoleſcit Pyracanthae caudex, aſpero et macro ſolo inſitus Meſpili ſurculus plerunque craſſitudine ſua caudicem ſuperat. Seritur autem in Italia haec arbor, praeſertim Romae, vbi Azarola aut Alzarola pomum eius vocatur, Arabico nomine: Arabes Laror aut Alzaror appellant.

DE PLATANO. 15.

Platanus, quae in tantis olim regibus et diuitibus deliciis fuit, arbor eſt magnae, amplae, et in latitudinem explicitae nuci ſimilis et aequalis. Caudice aſſurgit robuſto, non ita procero, ſed ſtatim in ramos diuiſo. Cortice tegitur leui, corio ſimili, ſubinde ſingulis menſibus exteriores et ſcabriores tunicas exuente, unde ſemper ſub arbore hac adulta ſtrati conſpiciuntur cortices. Rami eius nullo ordine in alios crebro diuiduntur ramos, ſurculi nucis ſimiles exiſtunt, virgae et ſurculi ex interuallo nodis et geniculis praecinguntur, ex quibus ſingulorum annorum germinationes et acceſſus ſurculorum numerantur. Folia habet magna, lata, dura et robuſta, dodrantali plerunque quoquouerſus amplitudine, ſeſquiunciali, pedicu-
* 7. a. lo aut longiore* ſurculis adnata in quinas aut ſenas partes, inſtar palmae humanae diuiſa, hyeme decidua, Aceri ſimilia, niſi ſingulae eorum fibrae in plures partes vtrinque diſſectae eſſent. Venae a pediculo ad omnes foliorum partes et eminentes angulos euidentes deriuantur. Vere cum germinauerit, ſecus folia etiam globulos quoſdam producit, longis et gracilibus dependentes pediculis, vndique aſperos, et veluti lanugineis floſculis plenos, paulatim in maiuſculas pilulas excreſcentes, paruo caſtaneae echino aequales. Sunt autem hirſutae hae pilulae et lanuginoſae, atque totae ceu aculeis conſtantes, ſed mollibus, ſimiles iis, quae in certo quodam Vluae genere naſcuntur locis lacuſtribus et paluſtribus. Cum autumno ad maturitatem perueniunt pilulae, totae fatiſcunt, et diſſoluuntur in totidem ſemina, quot aculeis exaſperati fuerant. Singula enim ſemina in ſuperficie pilulae in acumen deſinunt. Porro ea ſemina parua ſunt et oblonga, undiquaque flaua, aſpera, et pappoſa lanugine inuoluta: quo fit, vt contractae pilulae nihil quam pappoſa lanugo eſſe appareant, amianto contrito ſimilis: ea ſi caſu in arteriam aſperam recepta fuerit, ſtrangulat, ideoque inter venena a quibuſdam veterum recenſetur. Materia arbori ſatis robuſta, mixtae cum Fago et Quercu ſimilitudinis. Eſt autem auctu facilis arbor, ſi aptum nacta fuerit ſolum. Tale autem eſt pingue, rarum, ſuſpenſum et riguum, aſperis, ſaxoſis & petroſis contumaciter adoleſcit, et tortuoſa nodoſaque euadit. Vmbram propter ramorum copiam et foliorum latitudinem facit denſam, eoque ſolo nomine tantopere in aeſtimatione fuit apud veteres. Colitur adhuc in pleriſque Italiae locis in villis diuitum. In Sicilia vero frequentiſſima etiam ſponte naſcitur ad Aetnae montis radices.

DE HELIOTROPIO MAIORE. 16.

Heliotropium maius ſemeſtris eſt herba, poſt veris initium e ſemine ſuo prodiens. Ea ſpargitur in ramos ſtatim ab radice, dodrantales, pedales, aut etiam cubitales (ſi locum nacta ſit idoneum) teretes, breui hirtaque lanugine hiſpidos, ſolidos et lignoſos, in cacumine molliores. Ramuli incondito nec certo exeunt ordine. Folia habet oblonga, ouatae propemodum figurae, duarum plerunque vnciarum longitudine, per ambitum non inciſa, Ocimo ſimilia, obtuſiore tantum parte anteriore, et hirſuta aſperaque ramulorum ſuorum inſtar. Color ramulis et foliis ſubcinericeus et incanus. In cacumine, ramulorum

mulorum ſurculi exeunt graciles, molles, hirti, longitudine duarum, trium aut quatuor vnciarum, in quibus duplici ordine flores ſe proferunt, exigui admodum in quinas partes per ambitum diuiſo calathi labro, colore candidi, in medio vero, qua cauitatem habent, flaui aut lutei. Ordines florum ad latera conſtituti ſunt, atque ita diſpoſiti, vt alii aliorum ſpaciis aduerſentur, Florere autem incipiunt ordines iſti a parte poſteriori et ab imo, donec totus ſurculus defloreſcat. Cacumen omnium ſurculorum retrorſum eſt incuruatum et inflexum cum floſculis in extremitate conſtitutis, ad caudae ſcorpionis figuram, vnde ei Scorpinei nomen Graeci indiderunt. Floret autem diu et tota aeſtate, aliis marceſcentibus, aliis ſuccedentibus. Singulis floſculis quaterna ſubnaſcuntur ſemina, parua et ſubrotunda, hirto et diſſecto in foliola quaedam caliculo contenta, et immediate absque pediculis cum caliculis ſurculis adnata: quae cum maturuerint, facile decidunt. Radice nititur oblonga, tereti, in partes diſtracta paucas, candida, intus lignoſa. Herba tota grauiter olet, fere vt Cynogloſſa. Sapor illi ſubdulcis, acrimonia nulla, amaritudo in fine tantilla, vt quae vix queat percipi. Naſcitur aſperis locis, tum planis, tum editis in viis, circa foſſas, et in agris plerisque quieſcentibus: plurimum autem in Italia, agro Bononienſi, circa Saxum, verſus Poretanas Thermas, et in via Aemilia inter Bononiam et Mutinam.

DE RVSCO. 17.

Ruſcus magnam cum Lauro Alexandrina ſimilitudinem habet, non tantum in partium figura et ſubſtantia: verum etiam in eo, quod fructum habeat foliis adnatum. Aſparagos veris initio, a radicis ceſpite emittit plures, quibus homines veſcuntur, antequam ſolideſcant, et in ſpinas exeant folia. Sapor Aſparagis dulcis et lubricus, qualis Corrudae. Ii paulatim in virgas adoleſcunt pedales, cubitales, aut etiam longiores, erectas, ab imo indiuiduas, teretes, virides, venoſas, lignoſas, ſolidas, lentas, et fractu difficillimas. Vltra medium earum, aut circa, verſus ſummitatem ſurculi ab iis exeunt in obliquum ſubrecti, dodrante breuiores, quorum longiſſimi ſunt inferiores, foliis ii veſtiuntur vndique numeroſis, breuiſſimo, aut potius nullo pediculo adhaerentibus, longitudine vncialibus, duris, craſſis, a tergo eminenti per longitudinem angulo* carinatis, poſteriore parte ſubrotundis, antrorſum in mucronem faſtigiatis, et in aculeum deſinentibus pungendo infeſtum. In ſumma eadem eſt foliorum figura, quae ferramenti lanceae. Folia omnia intorta ſunt in obliquum, partim dextrorſum, partim ſiniſtrorſum, aut ita, vt altera eorum acies ſurſum, altera deorſum vergat. Floſculi poſt veris initium ex ipſis foliis exeunt ſinguli, exigui et ſubrubentes, non a tergo foliorum, ſed parte eorum interiore, idque ex medio, vbi ſulcus verſus poſteriora deſinit. Floſculis ſinguli ſuccedunt fructus rotundi, leues, primum virides, maturitate rubentes, Ceraſis Aproníanis, aut Halicaccabi acinis, ſimiles et aequales, pallida et lubrica carne, bina oſſea ſeu cornea ſemina continentes, paulo minus quam rotunda et ceu anguloſa. Viret tota hyeme herba, contumacibus contra gelu frondibus, rubentibus acinis eleganter viridem frondem ornantibus. Cum deinde vere nouo alii prodeunt, Aſparagi prioris anni virgae decolorantur, et flacceſſentes pereunt. Radicibus nititur perennibus, magnum denſumque ceſpitem conſtituentibus, candidis, craſſitudine plerunque digitalibus, geniculatis et annulis quibusdam praecinctis, tortuoſis, et caulium veſtigia oſtendentibus tranſuerſis in terra, et quoquouerſus ad latera diſtractis, duris, ſolidis, lignoſis, numeroſas iunceas et lentas fibras deorſum atque in obliquum demittentibus, quibus aliquantulum grauis eſt odor, ſapor glutinoſus, ſubdulcis, atque in amaritudinem aliquam deſinens. Acinorum caro et ipſa guſtu ſubdulcis et glutinoſa ſentitur. Naſcitur editis aſperisque locis, in ſyluis et ſepibus viuis: plurimus autem in Italia. Naſcitur et planis quibusdam aſperioribus, quales ſunt plerique in Foro Iulio campi.

* 7. b.

DE TAMO. 18.

Tamus herba, quae adhuc ab Italis vulgo vocatur Tamarus, cuius fructus a Latinis ſcriptoribus vua taminia nominatur, ex Bryoniae eſt genere, Aſparagos primo vere cum Ruſco aut paulo ante profert, ab vna radice plures, veris Aſparagis non diſſimiles, colore nigricantes, aut rubeſcentes in liuido, purpura et viridi, guſtu ſubdulces, glutinoſos et ſubacres, foliola parua habentes Parietariae non diſſimilia atque racemoſa florum rudimenta. Aſparagi paulatim extenduntur in longas, teretes, glabras et modice concauas viticulas, quae per viuas ſepes et arbuſta reptant, et iisdem ſe circumuolunt abſque capreolis. Aduoluitur autem arbuſtis vna cum ſolis curſu, non aduerſus ſolem, vt Smilax hortenſis. Folia adoleſcentibus Aſparagis, et ipſa incrementum capeſſunt. Ea ex interuallis dirimuntur maiuſculis, et ſingula longis pediculis haerent Hederae ſimilia et aequalia, aut etiam maiora, iuxta pediculum in ſinum recedentia, reliqua ſua parte e rotundo ſiue orbiculato habitu in mucronem faſtigiata, mollia, tenera et praeter ſinum nullis diuiſuris partita. Ex alis foliorum flores prodeunt racematim cohaerentes, numero decem, duodecim, aut etiam plures.* Quorum poſterior pars paulatim in rotundum et globoſum excreſcit acinum ſeu baccam, breví pediculo adhaerentem, principio viridem, aeſtate vero et autumni initio rubentem, Ruſci baccis mino-

 rem,

rem, tenui laeuique cute intus lubricum ſuccum potius, quam carnem continentem: et in eo quaterna, quina, ſenaue ſemina ruffa, rotunda, Raphani ſeminibus ſimilia et aequalia, ſubſtantia oſſea, ſeu potius cornea. Folia aeſtate matureſcentibus baccis areſcunt et decidunt. Baccae vero in multos paruos racemos digeſtae toto autumno magnaque hyemis parte viticulas ſuas ornant. Tum demum, pereuntibus etiam viticulis, noui Aſparagi proximo vere viciſſim ſuccedunt. Radice nititur grandi craſſaque, vt Bryonia, ſed tuberoſa et inaequali, foris nigra, intus candida, vndique paucis cirris ceu ſetis fibrata, perenni, ſubſtantia cum tunditur, aut etiam digitis fricatur, lubrica, lenta, viſcoſa, et quae tota fere in viſcoſum digitisque ſequaciter adhaerentem lentorem trita eliquetur. Sapor radici recenti primum ſubdulcis et valde glutinoſus, poſtmodum vero acris, et palatum linguamque diu inhaerente acrimonia pungens, Scillae inſtar aut Ari, ſed non tam vehementer: baccis idem in guſtu ſapor, adiuncta nauſeoſa quadam qualitate, quae tum guſtu, tum olfactu percipitur. Naſcitur inter arbuſta frutetoſis locis et viuis ſepibus, ſolo frequentius craſſo, quam tenui. Plurima autem in Italia, agro Tridentino, Patauino, Bononienſi, et plerisque aliis regionibus.

DE CERRO. 19.

Cerrus e glandiferarum genere peculiaribus differentiis, ab aliis glandem ferentibus, maxime dignoſcitur. Siquidem caudice aſſurgit procero et recto, ramis quidem frondoſo, non patulis, aut magnis, nec in latitudinem amplam diffuſis, vt Quercus, ſed breuibus, nec ita multifidis: totus tamen caudex vsque ad ſummitatem * frondoſus eſt, excepta aliqua eius parte inferius ad radicem. Tota itaque arbor aſpectu tonſae et putatae ſimilis exiſtit. Folia habet quercui aliquo modo ſimilia, ſed longiora, anguſtiora, et multo nigriora, crebris ambagibus ſinuoſa et multo profundius, fere vsque ad ſpinam, ſinuum receſſibus diuiſa, cum inferne tum ſuperne ſubaſpera et ſcabra, tactuque duriora, hyeme decidua (ἴκλοι) Glandes profert aliis glandiferis minores (excepta fere ilice) non longas ac teretes, ſed orbiculatas, et in latitudinem aliquam compreſſas, calicibus vndique aſperis, echinatis et caſtaneae echinis non diſſimilibus, non tamen ita ſpinoſis, inſidentes. Caliculi, quibus continentur glandes, bini plerunque ſingulis exortibus, breuiſſimo pediculo ramis et ſurculis adhaerent. Radicibus nititur validis, non recta deorſum actis, ſed vndique per transuerſum terram in obliquum comprehendentibus. Cortex ligno propior cum in ramis, tum caudice et radice, vehementer adſtringit, folia vero remiſſius. Glandium calices facultate cortici reſpondent. Ipſae autem glandes aliis amariores ſunt, et multo vehementius adſtringunt, quo fit vt porci illis non delectentur, niſi aliud deſit pabulum. Materia arbori robuſta, et aeque dura vt quercui: quamuis Theophraſtus putet eam magis corruptioni obnoxiam. Naſcitur in montibus, ſolo frequentius craſſo ac pingui, quam macilento et arenoſo, ſubtus tamen ſaxoſo et petroſo, locis liberis et vento perflatis. Copioſiſſima autem in Appenino, inter Boniam et Sextulam Caſtellum vicinis montibus. In planis raro, nec niſi culta, reperitur haec arbor.

* 8. a.

DE MARO. 20.

Marum, quod et Hyſobryum et Esbryum (*) atque Origanis vocatur, fruticulus odoratus eſt, medio quodammodo habitu inter Origanum et Maioranam. Surculos ab vno ceſpite emittit plures ramoſos, ſolidos, lignoſos, graciles, leniter hirtos, colore obnigros et ad ſpadiceum declinantes, ex tereti habitu in quadrangularem vergentes, per interualla paruis geniculis praecinctos, e quibus bini ſemper prodeunt ramuli, in exortu ſibi inuicem aduerſi. Folia item e geniculis exeunt bina plerunque, contrariis et ipſa pediculis haerentia, parua, rotunda, oblonga, Maioranae et Origano vero rotundifolio ſimilia et aequalia, paulo oblongiora et nigriora, quam Maioranae, et candidiora quam nigri Origani. Abundat aeſtate tota planta floribus, ſiquidem ramuli vſque ad ſummitatem ſurculorum ſcatent oblongis, ſquamoſis, et nucamentaceis capitulis, iisque in obliquum erectis, contrario poſitu tenuibus ramulorum extremitatibus, inſidentibus binis et ternis ſemper vni petiolo adnatis, colore viridibus, longitudine interdum vncialibus, aut etiam breuioribus. Habent ea magnam ſimilitudinem, aut eandem figuram cum capitulis vnius ſpeciei ex Cretico Origano. Floret particulatim, ab imo capitulorum incipiens. Flores ſinguli inter ſquamas exeunt colore candidi, (**) admodum parui, hiantes, labro eorum prominente, in ternas particulas diuiſo, Origani veri floribus prorſus ſimiles et aequales. Cum defloruit, ſemina in florum caliculis inter ſquamas continentur, admodum exigua, Origano ſimilia, colore ſpadicea aut fuſca: viret hyeme tota, quemadmodum et Maiorana. Radicibus nititur lignoſis, in partes plures fibratis, perennibus. Odor foliis, capitulis, et floribus cum attrectantur, aut digitis teruntur, ſuauis, aromaticus, et ſubacris, medius inter Origani veri et Maioranae odorem. Flores vero ſuauius olent, quam Origani flores. Sapor iisdem partibus leniter adſtringens, ſimulque ſubacris, tenuis, aromaticus, et per palatum ſe diffundens, medius inter Origanum et Maioranam, non tamen ita penetrans vt Maioranae, nec ita acris vt Origani. Colitur in hortis Italiae, atque ab Italis Maiorana maior cognominatur. Non tamen ideo quis putet eandem eſſe cum Maiorana illa odorata omnibus cognita, quae

(*) Videtur noſtra Maiorana maior vel ſylueſtris quibusdam dicta; Omnino: niſi quod flores dicit ſimpliciter albos eſſe. Noſtri purpuraſcunt parum. (**) Modice ſunt purpurei.

quae et ipſa in magnum adoleſcit fruticulum culta, et creſcere permiſſa. Prorſus enim alia eſt, et ſui generis. Habent autem tres cognatas plantas Itali, quas omnes Maioranas nominant. Primam Maioranam gentilem, quae vera eſt Samſucus: ſecundam Maioranam maiorem, quae Marum exiſtit: tertiam Maioranam ſylvaticam, quae vna eſt e Tragorigani ſpeciebus. Quod ideo referimus, ne res natura diuerſae ab imperitis confundantur, et ne nos Samſucum aut Tragorigani ſpeciem pro Maro deſcripſiſſe, et exhibuiſſe videamur.

DE MEDICA. (*) 21. 8. b.

Medica e Trifolii genere herba eſt, foliis cum nuper nata eſt, pratenſi Trifolio aut Loto ſylueſtri ſimilibus, ternis in vno pediculo, antrorſum leniter acutis, inciſuris diuiſis, teneris, glabris: cum adoleſcit anguſtiora enaſcuntur. Eadem quo ſummitatibus caulium propinquiora fuerint, eo anguſtiora exiſtunt. Cauliculos habet graciles, cubitales (**), virides, modice concauos, multis alis ramoſos, viticulaceos, ab vno radicis ceſpite numeroſos. Flores habet tota aeſtate in longis pediculis e foliorum alis exeuntibus, plures ſimul cohaerentes, paruos, oblongos, papilionaceos, colore purpureos, quibus enaſcuntur exiguae ſiliculae: eae paulatim in arietum cornu figuram non tantum incuruantur, ſed ſemel atque iterum in gyrum intorquentur, praeſertim iam maturae: ſiccatae prorſus in orbiculum Lenti ſimilem contrahitur corniculorum gyrus. Siliculae in maturitate flaueſcunt, ſemina in ſe continentes pauca, aliquantulum plana, in oblongo orbiculata, parua, Foenograeci modo ſufflaua, guſtu et odore medicata, et Foenograeco non diſſimilia. Radice nititur multos annos durante, ſufflaua, lenta, multifida, et ſuperius in multa capita fibrata, e quibus quotannis noua funduntur germina, veris exitu enata et aeſtate aliquoties reſecatur herba, totiesque regerminat, quoties tonſa fuerit, ſecundum regionum ſitum, et terrae bonitatem. Porro ſponte naſcentem in Europa non vidi, nec audiui aliquem, qui vidiſſet. Peregrina enim herba eſt, et a Perſis bella Graecis inferentibus primum in Europam e Media inuecta, vnde et nomen inuenit. Seritur tamen adhuc in quibusdam Italiae et Galliae agris, in pabulum pecudum et iumentorum, quo optime donec viret et recens eſt, ſaginantur. Siccata vero in puluerem attrectata friantur folia. Solum amat pingue et craſſum. Culturam eius indicare non eſt huius loci nec inſtituti.

DE CALAMINTHE MONTANA SERRATA. (***) 22.

Calaminthe montana maior, cui ſerrata ſunt folia, caules a radicis ceſpite emittit tres, quatuor, et frequenter etiam plures, longitudine pedales, aut nonnunquam etiam cubitales, quadrangulares, geniculatos. Folia e ſingulis geniculis prodeunt bina, contrariis in exortu pediculis. Ocimo et Meliſſophyllo ſimilia et aequalia, per ambitum acute ſerrata, modice hirta et aſpera, poſteriore ſui parte latiora, antrorſum in mucronem faſtigiata. Ramuli e foliorum alis exeunt, praecincti et ipſi ex interuallo geniculis, e quibus, quemadmodum et e medii caulis geniculis flores prodeunt oblongi, concaui, hiantes, colore purpurei, ad latera prominentes, in partes diſſecta eorum extremitate, raris et interruptis verticillis diſpoſiti, et inſidentes oblongis ſtriatisque caliculis, quorum extremitas in quinas diſſecta eſt partes, quae decidentibus floribus ſurſum incuruantur, maxime ternae ſuperiores. Semina in fundo caliculorum continentur bina, terna, aut ad ſummum quaterna, parua, in rotundo modice plana, nigra et ſplendentia. Radice nititur perenni vt menta, geniculata in terra per transuerſum in multas partes diſtracta. Herba tota in vniuerſum cum guſtu, tum olfactu Pulegium refert. Naſcitur aſperis locis in altis montibus, ſecus vias raris frutetis et arbuſtis obſitas. Plurima autem in latere montis Redlima ſupra Sextulam Caſtellum in Appennino, item in inferiori latere montis Scalae in eodem Appennino ſupra Faginanum Caſtellum.

DE PHILYRA. (†) 23.

Philyra videlicet ea, quam Dioſcorides deſcripſit, non illa, quae Latinis vocatur Tilia, arbor eſt mediocris magnitudinis, caudice ſatis craſſo, quem vbi ad iuſtam magnitudinem adoleuerit, vtraque manu nemo complectatur, cum ambitu quatuor non raro dodrantes impleat. Cortex illi lenis, nec ita ſcaber vt aliis pleriſque arboribus, praeſertim in ramis et ſurculis, colore cinericeus, et Liguſtro ſimilis, cui 9. a.
etiam materiam habet non diſſimilem. Ramuli minores et ſurculi cruciformi, et alternante poſitu aduerſi ſibi in geniculis ſeu exortibus reſpondent. Folia habet longitudine ſeſquiuncialia, aut paulo longiora, latitu-

d dine

(*) purpurea, i. e. proceriore aliis et maiore.
(**) Vidit forte primo aut ſecundo anno. Ego ad 3 vel 4 cubitos habeo.
(***) Quae tota et olfactu Pulegium refert. In Apennino.
(†) Philyrea potius; ea nimirum, quam MATTHIOLVS exhibuit.

dine ſemuncialia aut circiter breuibus pediculis haerentia, vtroque capite in anguſtum faſtigiata, Oleae foliis ſimilia, obtuſiora tamen et proportione latiuſcula, nec ita candida a tergo, nec in lateribus retrorſum reflexa, ſed aequaliter lata, glabra, nitentia, et egregie viridia, multa circa ramulos frequentia, et inuicem aduerſa ſibi in exortu, craſſiuſcula vt Buxi, hyeme non decidua, vere autem ſubnaſcentibus aliis nouis defluunt. Quae vero circa nouellos ſtolones ſunt folia, aliis plerunque duplo longiora exiſtunt, et leniter per ambitum ſerrata. Flores quibus ſingulae ſuccedunt baccae, ſimiliter vt flores in racemos digeſtae, rotundae, paruis Iuniperi, aut Lentiſci baccis ſimiles et aequales, principio virides, in maturitate purpureae, rotundo intus nucleo, guſtu cum aliqua dulcedine adſtringentes. Folia item guſtu adſtringunt cum amaritudine et acrimonia aliqua, quemadmodum et immaturae baccae, eodem modo, quo Liguſtrum, Oleaſter et Olea. Materia arbori tenera, alba, et ſatis ſolida. Radicibus nititur multifidis, non recta deſcendentibus, ſed per obliquum deorſum actis. Naſcitur in montibus, aſperis locis, iuxta foſſas (*) in aggeribus, ac foſſis in Hetruria, agro Florentino. Porro non vbique in arborem excreſcit, ſed Liguſtri modo parua manet, et fruticoſa.

DE PHILYRINA. (**) 24.

Philyrina, quae ſub* nomine a Theophraſto eſt deſcripta, arbuſcula (***) eſt fruticoſa, Philyrae (†) aſpectu ſimillima, ſiquidem ligno, ramulis corticis colore et cruciformi ramulorum ſurculorumque poſitu, nihil fere, quod aſpectu dignoſci queat, a Liguſtro, et Philyra differt. Cauliculis aſſurgit pluribus, in rectiores virgas diuiſis. Ramuli item, qui in exortu ſibi ex interuallo aduerſantur, concinniori ordine in cruciformem poſitum digeſti ſunt. Folia habet Philyrae ſimilia craſſitie, colore, nitore, paulo tamen breuiora, latiora in medio, antrorſum faſtigiata: poſteriore vero parte orbiculata, per ambitum leniter ſerrata, duris et ceu modice aculeatis et aſperis inciſurarum eminentibus angulis, hyeme non decidua, ſed Philyrae modo contra hyemis iniurias contumacia, guſtu adſtringentia, cum amaritudine et aliqua acrimonia, quemadmodum Philyra, Liguſtrum, atque Oleaſter. Radicibus haeret, qualibus Philyra. Prouenit in Liguria, agro Florentino, montanis aſperis ſaxoſiſque locis, et ad foſſas in aggeribus ac ſepibus agrorum.

DE LADONE. 25.

Ladon ſiue Lada peculiare Ciſthi genus eſt, e quo medicamentum vocatum Ladanum colligitur. Frutex eſt frondoſus, Ciſtho foeminae ſimilis, virgis aſſurgens vt plurimum rectis, longitudine cubitalibus, et frequenter etiam bicubitalibus, cortice veſtitus, laeui, inferius quidem in ſpadiceo cinericeo, ſuperius vero rubente aut fuluo. Materia virgis dura, non tamen lenta ſed fragilis. Ramuli e virgis exeunt frequentes ex interuallo breui, cruciformi ordine diſpoſiti, in geniculis contrario poſitu et exortu ſibi aduerſi, eodem modo in tenuiores ſurculos diuiſi, extrema ſui parte hirti et piloſi. Folia in ſingulis ramulorum et ſurculorum geniculis habet bina, ſine pediculis haerentia, Ciſtho foeminae ſimilia, ſimiliterque hyeme non decidua, longiora tamen, multo anguſtiora, atque intenſius viridia, nec ita piloſa, ſed Saluiae modo rugoſa, ſuperius quidem cauis venarum characteribus, rugoſa inferius vero eminentibus venis. Longitudo iis binarum eſt vnciarum aut circiter, latitudine vero quartam vnciae partem aequant aut ſuperant, tertiam rariſſime excedentia, idque in minoribus et nuper natis ſtolonibus. In ſumma Rorem marinum referrent, ſi minora,
9. b. ſubtus incana, et non ita rugoſa eſſent. Flores veris initio Aprili menſe profert candidos, quinquefolios, Ciſtho foeminae ſimiles et aequales, caliculis in quina, hirta, acuminataque foliola diuiſis inſidentes. Defluentibus florum foliis et ſtaminibus capitulum, quod in medio flore conſpicitur, in paruum fructum adoleſcit, colore ſpadiceo, Ciſtho foeminae ſimilem, ſed multo minorem, cum maturuit ſuperius in quinas partes fatiſcentem, et totidem ordines oſtendentem ſeminum paruorum, anguloſorum et Ciſtho foeminae ſimilium. Radicibus nititur qualibus Ciſthus. Folia, ſurculi et ramuli obſiti et perfuſi ſunt odorata, lenta, viſcoſa et glutinoſa quadam ceu reſina, maxime vere et aeſtate. Quo fit, vt attrectatus frutex tactu glutinoſus et reſinoſus ſentiatur. Collecta haec reſina, ſiue induſtria tractis per ſyluas Ladae funibus et pannis, ſiue e barbis villiſque caprarum eam depaſcentium depexa, medicamentum conſtituit, quod Ladanum vocatur. Folia et cortex fruticis ſimiliter vt Ciſthus adſtringunt. Folia vero praeter adſtrictionem, etiam commanducatae cerae lentorem reſipiunt, propter Ladanum non tantum in ſuperficie, ſed et in ipſa ſubſtantia retentum. Naſcitur calidis et apricis locis montium lateribus meridiano ſoli aduerſis. Plurima vero in Hetruria, agro Florentino, latere montis Feſulani, vrbi Florentiae, et meridiei oppoſito.

DE

(*) Locis humidioribus nimirum. Vt φιλυρέα non Philyra in THEOPHRASTO φίλυδρος ſit.
(**) Quia Philyrae ſimilis ſit. Semper viret in montibus.
(***) Vide an Spina Burgundica, Apharce? vel Celaſtrum; at CORDVS nihil de ſpinis (dicit.)
(†) Philyreae iam dictae.

DE MORBO ET OBITV
VALERII CORDI,
HIERONYMI SCHREIBERI NORIMBERGENSIS
(qui aegrotanti fere ſemper adfuit)
AD CL. V. WOLFGANGVM MEVRERVM
EPISTOLA.

Redii Deo dante ſaluus ac incolumis Patauium, mi Wolfgange, licet tardius aliquanto quam propoſueram. Quod ad me attinet, ſic ſatis proſpere ſucceſſerunt omnia: ſed Cordum, optimum ac doctiſſimum iuvenem, mihi certe non minus fratre charum, Romae amiſi, quod quidem iam dudum ad vos perlatum eſſe non dubito. Quia tamen et antea varia de nobis ſparſa ſunt, et hunc ipſum caſum aliter ab aliis ad amicos perſcriptum intelligo, ego totam rem tibi ordine ſignificandam duxi, vt et tu veritatem ſcires, et aliis, praecipue vero Rallae Pharmacopolae patruo ipſius, indicare poſſes. De rebus Valerii ad Philippum Cordum fratrem natu maiorem, et Georgium Agricolam copioſas dedi literas: quod id iam dudum velle Valerium intellexerim: illi quod reſcripſerint ego faciam. De Commentariis illius maxime ſollicitus ſum, qui non ſunt integri adhuc: eos vel a fratre, vel ab Agricola abſolui vellem. Nec ex manibus meis ſine expreſſo eorum mandato cuiquam dabo, quod alienos ipſius laboribus impune frui, quantum in me eſt, nolim. Sed ad hiſtoriam venio. Quid ante diſceſſum tuum egerit, ſatis noſti. Abiit hinc ipſe cum Stephano Ferrariam ſub Feſtum Trinitatis, vbi promotus eſt Stephanus, et ipſe Muſam allocutus eſt. Poſt aliquot dies inde Bononiam profecti ſunt, vbi per integrum menſem, aut amplius etiam, cum D. Luca et aliis conuerſatus eſt, ac praecipue cum Colonienſi quodam Cornelio Sittardo Medicinae, et ſimplicium admotum ſtudioſo, montes omnes peragrauit: Stephanus enim ſtatim huc rediit Doctor, iturus in Germaniam. Cordus vero eo haeſerat diutius, quod itineris ſui ex Bononia Romam verſus non reperiret certos comites. Me vocabat literis, ſed ego nummis non eram inſtructus, adhuc et caloris etiam vim formidabam, quo minus illi morem gererem, cum praeſertim aliquas adhuc lectiones de Vrinis faceret Montanus. Tandem Sittardus, et alius quidam Pruttenus, Nicolaus Frideuualt, cum eo et famulo quodam iter ingrediuntur, nec recta eunt, ſed per ea loca, quae ſimplicium feracia, vel apud Plinium legerat Valerius, vel ex aliis audierat, et circa Florentinam totum illum tractum convallium percurrunt. Piſas inde petunt, Lucam, portum Liburnum, ſummis illis caloribus et aeſtu maximo, arduos montes, littora, et loca radiis ſolaribus plurimum expoſita perambulant. Veſperi deinde in hoſpitia mala (quibus Italiam abundare noſti) veniunt, exhauſti laboribus, quod reperiunt, non quod volunt, auide arripiunt. Haec res primum famulo, qui ex Florentia pedes iuerat, febrim aſperrimam conciliauit, ita vt Romam vsque peruenire non poſſet, ſed in Roncilion, quo vix aegere aequo portari poterat, in hoſpitali manere cogeretur, vnde quo peruenerit, non potuimus expiſcari hactenus. Duobus aut tribus diebus poſtea quam laborare coeperat famulus, Valerius etiam in morbum grauiſſimum incidit, cuius hanc fuiſſe occaſionem ipſe retulit. Ex Senis profecti ad dextram perluſtrandi littoris cauſa declinauerant, inde cum in viam redirent, in hoſpitio quodam Valerium mane ex ſtabulo equum ſuum trahentem, alterius cuiusdam peregrini equus calce feriit, paulo infra femur, nil fregit tamen, nec vulnus per ocreas facere potuit. Ipſe etſi doleret admodum, et reliqui, ne negligeret hortarentur, noluit curare tamen, ſed equum conſcendens inde diſcedit. Forte eodem die per colles quosdam, et loca decliuia, pluuiis madefacta, pedites ire cogebantur, quod periculum eſſet ne cum equis caderent. Ita pedem ex ictu laeſum accendit, ac poſtea febris ſecuta eſt, quae ſtatim totum corpus ita debilitauit, vt vix Romam vſque equo partim, partim mula in vſitatis illis ſportis, cura et diligentia Sittardi, deportari poſſet. Paulo poſt reliqui etiam dum aegrum comitantur, quoque aegrotare incipiunt, et quidem Pruttenus in vehementiſſimam febrim tertianam duplicem incidit, a qua nondum erat liberatus cum ego ex Roma huc redirem, nec meo iudicio, curari facile poſſet, ſi non eſſet tam robuſto corpore. Sittardus leuiori tertiana laborabat, a qua ſtatim poſt aduentum meum liberabatur, cum paulo quietiore animo eſſe coepiſſet. Sed poſt reditum ex Neapoli ipſe etiam reciduauit, nec adhuc an integre conualuerit ſcio. Ego igitur qui duabus fere ſeptimanis, aut amplius, poſt eorum ex Bononia diſcesſum, e Venetiis cum Ioachimo Mollero abii, quarto vel quinto poſt eos dies Romam veniens, omnes tres male habentes reperio. Eo quidem Cordi vires ita proſtratae erant, vt iam de confeſſione Medici et Communione agere coepiſſent, quod iuramento Romae obſtricti ſint omnes, ne quemquam aegrum in morbis perículoſis ſaepius quam bis aut ter accedant, ſi non confeſſis peccatis Euchariſtiam ſumat. Sittardus iam qui caeteris valebat magis, nihil adhuc Valerio dici voluerat. Nam prima ſtatim die qua Romam venerant, ipſe hanc

10 a.

 inter

inter eos priuatim queſtionem mouerat: vtrum in caſu impoſſibilitatis, vbi vtraque ſpecies haberi non poteſt, altera ſit ſumenda et multis argumentis contenderat contra Sittardum. Sed tandem ſe confirmandi animi cauſa ea prolixius diſputaſſe dixerat, cum ipſe quoque, ſi ſic ferat caſus, abſtinere velit potius, quam ſub vna ſpecie ſumere. His ita pendentibus, forte fortuna ego cum comite meo ſuperuenio 5. Septembris et quidem valde expectatus: dixerat enim ea ipſa die reliquis, me propediem venturum, Cordus. Laetantur igitur omnes, ac ipſe praeſertim, cum eſſet aeger admodum, et ita exhauſto corpore, vt mirarer tam breui tempore robur eius vſque adeo potuiſſe conſumi, multa iam diu mecum fabulabatur de Roma (quae ipſi mirum in modum diſplicebat, propter ſcortationes et omnium ſcelerum infinitam licentiam) de itinere ſuo, et ſimplicibus raris quae repererant et de cauſa et principiis morbi ſui: adeo vt cogerer aliquantulum ab eo ſecedere, ne plus iuſto ſeſe fatigaret. Narrat Sittardus reliqua: et totam curam, qua ipſe morbum ſuum auxerat, in me reiicit. Interim Medici veniunt. Erant autem duo Flammingi, vtrumque tibi non ignotum exiſtimo, Chirurgus alter eſt, alter Phyſicus Madamae ſeu filiae Imperatoris, Ioſephus nomine, vir non indoctus, et valde diligens ac ſedulus. Amabat is Cordum, cum propter D. Lucae Bononienſis commendationem, tum vero quod ipſe multa in ſimplicibus et Metallicis ex eo diſcere cuperet. Etſi igitur videbant eum aliquanto laetiorem, et plus ſolito vim mali diſſimulare, nos tamen de Edicto Pontificio et ſuo periculo iterum admonent, ac ne id negligamus hortantur. Ego, vt res aliquamdiu adhuc differatur, oro: ne perturbetur homo in morbis alioqui plus ſatis puſillanimis: me, quod verum erat, antea etiam Valerio in grauiſſimis morbis affuiſſe, ex quibus ſubito conualuerit, ac ſperare nunc quoque non eſſe aliquod vitae periculum: ſi tamen in biduo aut triduo non incipiat habere aliquanto melius, curaturum vt confiteatur etc. Hac ratione medicis
10. b. vtcunque ſatiſfacio, nec me prorſus fefellit mea opinio. Statim enim altera nocte, per quam ego cum eo eram (alternis enim vicibus vigilauimus apud eos ego et Ioachimus, toto eo tempore quo Romae fuimus) dormire coepit, quod animo eſſet, aliquantulum quietiore. Ac die ſequenti tota ſtatim res paulatim mutata eſt in melius: ita vt ipſe etiam Medicus ex vrinae coniectione ſperare inciperet, idque ſubinde magis et magis, quod ſequentibus diebus nullas amplius perceptibiles ſentiret acceſſiones. Ita metu omni depoſito in ſpem venimus, eum intra paucos dies prorſus liberatum iri. Sed ea (proh dolor) nimium fallax, non ita multo poſt, nos miſere fefellit. Dum enim conualeſcens, vt videbatur et Medico, et ipſi, et nobis, iacuiſſet, in decimum vſque diem nullum paroxyſmum percipiens, ſed ſubinde melius et melius habens, cum appetitu etiam commedens iterum, nunquam tamen extra lectum aliquantiſper manere potuit. Indueram aliquando veſtibus ſuis, et vt parum obambularet hortabar: ſed vix eum vt ſe erigeret, iuuarem, cum de grauedine ac turbatione capitis ſubito queritur: ita vt ſtatim dimittere eum, ac iterum exuere cogerer. Id mihi inprimis ſuſpectum erat, vt vererer eum non integre reſtitutum. Quin ipſe etiam eadem die cum bene comediſſet, et plus fortaſſe, quam par erat, miror, inquit, qui fiat, quod nihil mali ſentiam, bene et cum appetitu comedam, nec guſtum habeam corruptum, nec tamen recte valeam. Medicus repletionem capitis arguebat, quam res ipſa oſtendit poſtea. Poſtridie enim, hoc eſt 17. Septembris, cum aliquantulum cibi ſumpſiſſet mane, dum nos in cubiculo eo prandemus, ſecum murmurare incipit, non aliter ac ſi dormiens aliquid loqueretur. Ego perterrefactus, propterea quod paulo ante nobiſcum confabulatus eſſet, ſubito ad eum accurro, ibi ſe neſcio quid ſomniaſſe refert, ita mutilata verba proferens, vt nemo noſtrum intelligeret, ac tandem dicere quod vellet aut cogitaret ipſe non poſſet. Viribus quoque ita deſtituebatur ſubito, vt nullum membrum moueret recte, et extrema iam frigebant. Metuebamus Apoplexiam omnes et perturbati igitur illico Medicum accerſimus, qui idem ſe, neſcio propter quae alia ſigna, timere affirmat. Itaque ſtatim frictionibus, et quibus poteſt modis materiam auertere conatur, dat Clyſterem qui aluum ducat, et venam quoque in brachio aperit. Veſperi tandem malum mitigari, et ipſe Valerius iterum rectius loqui incipit, ita vt intelligi a nobis poſſit. Ac de lubricitate ac viſcoſitate linguae queritur, propter materiam a capite in fauces diſtillantem. Subſequenti die ſimilem acceſſionem habebat, ſed nec ita grauem, neque tamdiu durantem, tertia deinde et quarta multo mitiorem vt iam non de Apoplexia amplius ſolliciti eſſemus: et noctu ſemper vtcumque dormiebat. Conducebamus illi nihil minus ancillam Germanicam, quae eius curam haberet, nec vnquam ab eo diſcederet, vt ſi alteruter noſtrum cui vigilandum noctu erat, forte obdormiret, ancilla tamen adeſſet, ne qua occaſio in re periculoſa negligeretur. Die Dominica Ioachimus et Sittardus quia duodecim iam diebus febri non laborauerat, Neapolim iter parant, quod ea die proficiſceretur illuc publicus nuncius cum maiori comitatu, ſine quo iter illud tutum non eſſe ſcis, et tunc propter Fuſtas ſeu predatorias naues Barbaroſſae paſſim vagantes in mari, maior erat metus. Ego id Valerio ſignificabam die Saturni praecedente, ac quomodo ſe haberet rogabam, me paratum eſſe cum eo manere, ſi quidem arbitretur ſe opera mea indigere. Nam vt verum fatear, abſterrebar etiam aliquantulum ſumptibus, quos iter illud a Roma Neapolim vſque requirit maiores. Ipſe contra, me vt eam hortatur, ac quo minus vererer ſumptus; quae ibi videnda ſint indicat, ac vt Puteolis Sulphuris coquendi rationem diſcam et praecipue eam ſpeciem, quam Sulphur virgineum vocant, diligenter inquiram, rogat: quae inuenta cum aliis vtinam viuo monſtrare licuiſſet. Satis proſpectum erat ei, quod ad curam attinet, etiamſi non adeſſem ego: praeter ancillam enim aderant duo ſtudioſi Medicinae Cyriacus Memmingenſis, et Matthias Magdeburgenſis, tibi noti, et praeter hos alii duo ex inferiori Germania, et quidam ex Heſſia, qui Valerio, propter ea quod parentem eius olim nouerat, prae caeteris acceptus erat. Horum opera igitur nunquam deerat nobis. Erat etiam in ipſo hoſpitio miniſter Germanicus, qui

qui cum coco, et reliquis omnibus, quam poterat praeſtabat diligentiam: et Medici erant ſeduli. His mo- 11. a.
tus, cum praeſertim ipſius Valerii accederet voluntas, ipſe quoque cum reliquis ire ſtatuo. Ea nocte adhuc
apud Valerium vigilo, dormierat ſic ſatis bene et melius, quam in praecedentibus, vt cum ipſo omnes nos ſpe-
raremus, id etiam malum in declinatione eſſe. Rebus igitur omnibus paratis, cum iam ad profectionem ac-
cincti eſſemus, iterum eum accedo, et vt veſperi praecedenti, rurſus peto ex animo, vt libere mihi dicat,
quod ſentiat, me etiam adhuc in ea ſententia eſſe, vt ſi cupiat, ab eo diſcedere nolim. Ibi, non volo, in-
quit vt maneas: ſi negliges hos comites, non poteris poſtea videre Neapolim, ſiquidem ad conſtitutum ter-
minum Patauium redire cupias: eas igitur, non poenitebit vnquam te ea vidiſſe: ſatis eſt vt hi mecum ſint.
(Aſtabant enim reliqui omnes, et huius rei mihi teſtes ſunt.) Cumque, ſi quid vlterius mihi iniungere vellet,
interrogarem, reſpondit. Nihil eſt quod dicam aliud, ego Deo volente aduentum tuum facile expectabo.
His motus illi valedico: ipſe bene precatur eunti, et vt reditum maturem hortatur. Diſcedimus igitur
ea ſpe, quod redeuntes priſtinae ſanitati reſtitutum reperire velimus. Sed id fata non conceſſerunt, non
meis tantum mi Wolfgange, ſed publice etiam omnium medicorum ſtudiis plus ſatis infeſta. Ea die, ac ſe-
quenti etiam, res in eodem ſtatu permanſerat: ſed tertia die poſt diſceſſum noſtrum, ſub veſperam iterum
reciduauit, et adeo grauiter, vt Medicus prorſus deſperaret, ac poſtridie omnino eum confiteri, ac commu-
nicare vellet. Germani, qui eius curam agebant, omnes pii erant, et vnus ex iis praecipue, Valerium ſub
vna ſpecie non communicaturum norat: ſed tamen quia in eo loco magnum periculum erat, rem ei indicat,
vt quid faciendum ſit deliberet. Petit igitur aduocari ſibi ſacerdotem Germanum, quod cura ac diligentia
eius iuuenis confectum eſt: et quidem id Deus voluit, vt in Wuormatienſem quendam hominem, licet in-
doctum, non malum tamen, incideret. Cum hoc locutus eſt Valerius et multum et bene, vt intelligi opti-
me poſſet: (quod ipſe ſacerdos mihi retulit poſtea). Confeſſus eſt in genere peccata ſua, abſolutionem pe-
tiit, et vt: ſi queat, Sacramentum ſibi ſub vtraque ſpecie adminiſtret, rogauit. Sacerdos id ſe facere non
poſſe oſtendit, propterea quod quam primum palam fieret, ipſum alicui Sacramentum porrexiſſe, illico de
ſe actum ſit, carcer et ignis parata, cum dudum Italis omnes Germani de haereſi ſint ſuſpecti. Id cum audi-
ret Cordus, ſe abſolutione contentum fore ait, cum praeſertim de caſu neceſſitatis ſcriptum ſit, Crede et
manducaſti: et, quod id etiam non carebat ſuſpicione, rogat, vt qua poſſint ratione illud excuſent. Reci-
tarat etiam ſacerdoti cauſas morbi ſui, et quomodo ab equo percuſſus eſſet, ſatis prolixe. Ita ab eo diſcedit,
dicens hoſpiti et aſtantibus, eum bene ac pie confeſſum eſſe, ac ad communionem paratum verum ſe metue-
re, ne deglutire ob infirmitatem nequeat. Poſt aliquot horas ſacerdotem iterum accerſiri iubet, ſed redire no-
luerat, quod iam rem ad neſcio quos Monachos poenitentiarios perlatam audiiſſet, qui furebant, ac ſe, niſi
communicaret ante mortem, Cadauer in Tyberim proiecturos minitabantur. Noſtri qua poterant ratione
rem tegebant, et Valerius cum animaduertiſſet, ipſe nil amplius cum quoquam fere loqui voluit, nec inter-
rogatus etiam multum reſpondere: quod omnino ſolum eam ob cauſam factum ſuſpicor ne cum Euchariſtia
eum amplius ſolicitarent. Cum res in extremis iam eſſet, nec quicquam ſentire amplius videretur, ſocii vt
aliqua ex parte Monachis etiam ſatisfaciant, currunt, et aliquem qui eum vngat vocant, non enim potuiſ-
ſent alia ratione vllo modo ſepulturam illi impetrare, praeter quam quod ipſis etiam multum immineret peri-
culi. Vnctus eſt igitur, iam aut non percipiens amplius, aut ſi quid ſenſit, aceto ſe, aliiſue fomentis refo-
cillari exiſtimans. Ita enim eum iacuiſſe aiunt, vt vix ſpiraret adhuc, et ne oculum quidem moueret. Tan-
dem bis uel ter aërem attrahens vehementius, vigeſima quinta Septembris, quatuor horis poſt occaſum Solis,
in ipſorum manibus expirauit, ſummo luctu ac dolore omnium, etiam Italorum, qui in ea domo erant et qua
poterant ei diligentia et cura miniſtrabant, propterea quod ex nobis eum magnum hominem fore intellexiſ-
ſent. Sepultura magna difficultate impetrata eſt, a Monachis. In templo Germanorum, quod ab Hadria- 11. b.
no pontifice conditum noſti. De rebus ſuis nihil mandauit cuiquam, niſi quod paulo ante mortem, vocato
miniſtro Germanico, qui in hoſpitio erat, me et Sittardum ſuo nomine ſalutari iuſſit, et de libro quodam, fra-
tre ſuo, et me, alia ſubiunxerat, quae ſeruus intelligere non poterat. Scripſi igitur rem totam ad fratrem
eius natu maiorem, et D. Georgium Agricolam, quod hunc labores ſuos abſoluturum et editurum iam du-
dum dixerit, cum ante quadriennium Goslarii letaliter decumbens mihi rerum ſuarum curam committeret.
Hoc enim tempore eum moriturum, vſque adeo perſuadere mihi non potui, vt de iis nunquam vel minimum
interrogare voluerim. Habes hiſtoriam, in qua texenda quo poſſim eſſe animo, facile intelligis, mi
Wolfgange, cum ſcias me eum ſemper fratris habuiſſe loco, et tute haec ſine perturbatione
ſumma legere nequeas. Salutem optamus D. Spremborgio, et amicis et notis
reliquis. Item D. Badhornio, quem apud vos melius valere non
dubito. Bene ac feliciter vale. Calend. Decembris.
Anno 1544.

DOMINO

12. a. # HIERONYMO SCHREIBER

GERMANO AMICO IN PRIMIS COLENDO

CASPAR CRVCIGER. C. F.

S. D.

Nuncia de Cordi miſerando funere verba
Perlegi, gelidas imbre rigante genas.
Hei quantum licuit fatis, quantumque deabus,
Pendula quae rigido pollice fila metunt.
Illas non animi vis ingenioſa moratur,
Lingua nec eloquio luxuriante potens,
Non precium ipſa ſui virtus, non temporis acti,
(Quae iacet hoc aeuo pene ſepulta) fides:
Non pietas coeli, quae praemia pulchra meretur,
Non mouet in ſuperos ambitioſus amor,
Nec mouet ingenuas didiciſſe fideliter artes,
Nec mouet Aoniis inuigilaſſe choris,
Denique Paeonias animo ſpaciare per herbas,
Non auidi flectit iura ſeuera Dei.
Occidit indigna ſic Heſſus morte peremptus,
Inde tuum ſine te nomen Eraſme viget.
Neue alios memorem, quorum me turba fatigat,
Sic tuus occubuit te ſine Corde pater.
Credibile eſt illum pueros fleuiſſe, ſenesque,
Quo validus Medico virque puerque fuit.
Nec tamen vmbriferi, fauces explentur Auerni,
Et queritur factum funeris eſſe parum.
Iam ſuperos onerans placidis Germania votis,
Plena fuit reditus, ſpesque et amore tui.
Te quoque iam Pallas vulgo ſecreuerat ante,
E medio rapiens ſerta Helicone tibi:
Ille Diſcoridem te dixerat, ille Galenum,
Pieriam ſupra notus erasque chelyn.
In medio curſu rerum, medioque paratu,
Raptus ad aethereas diceris iſſe domos.
Dumque tuum plorat iuuenis doctiſſime caſum,
Roma, Deo reddis pectora, corpus humo.
Per mare ſic rutilas Pinus latura cohortes,
Ante diem rapido fulmine mota cadit.
Florida magnifici ſic in ſpem nata triumphi,
Ante diem Laurus falce reſecta cadit.
Ergo dolet functum merito Germania Cordum,
A quo grande fuit quondam habitura decus

12. b. *Phaebaeo*

Phoebeo radians olim ſublimis honore,
Ornaſſet patriam, viueret ille, ſuam.
Quae ſubito raptum moerens velut vnica natum
Voluitur indigno pulueruienta ſitu.
Sed quia diis aliter viſum, mala tanta feramus
Leniter, et timida voce rogemus opem.
Ille quidem Chriſti felix amplectitur vlnas,
At nos aerumnis obuia turba ſumus.
Ille quatit pedibus Stygiae fera monſtra paludis,
Circuit, vt rapido nos voret ore, Sathan.
Ille procul ſcelerum ſordes, labemque reliquit,
Nos ſumus in vitium cerea turba nimis.
Iuſtitiae ille tulit redimitam flore coronam,
Saepe premit noſtrum dira procella caput.
Si libet hoc igitur tumulo breue carmen habeto,
Poſſit vt a docta poſteritate legi.
Cordus in hac tegitur iuuenis celeberrimus vrna,
Natus ad ingenuas Pieridumque moras:
Paeoniis voluit cui vitam reddere ſuccis
Phoebus, ni medicam mors repuliſſet opem.
Nectareo Charites ſparſerunt flumina membra,
Vnde ſitim in viuis ſaepe leuabat agens.
Iam penitus vires herbarum nouit et artes,
De quibus hic ratio cur dubitaret, erat.
Vinceret ingeniis Germania, vicit vt armis,
Si Cordo ſimilem rurſus adepta foret.
Has pius Aoniis lachrymas e fontibus hauſit
(Qui teritur lachrymis egeriturque) dolor.
Accipe non iuſto properatum tempore carmen,
Quale nec extremos conuenit ante rogos
Velle: ſed in magnis, licet hic manus vltima deſit,
Interdum meriti pondus et inſtar habet.
Quod petis, vt populi ſcriptum poliamus ad ora,
Non ita ſe facilem praeſtat Apollo mihi.
Non ideo debet committere carbaſa ponto,
Si qua per exiguas cimba natauit aquas.
Nec ratio eſt eadem, magnas volitare per vrbes,
Et tua te ſolo iudice ſcripta legi.
Tu magis hoc ſocio debes iuuenilibus annis,
Cui longe vberius culta Thalia fuit.
Et mihi ſi qua fuit (quod neſcio) vena poëtae,
Ignauo periit ſquallida pene ſitu.
Quod ſupereſt addo placidam de more ſalutem,
Et reduci eueniant mollia fata precor.

Vale. Pridie nonas Ianuarii, An. 1545.

EPI-

EPITAPHIVM
VALERII CORDI,
QVI SEPVLTVS EST ROMAE IN AEDE
D. MARIAE DE ANIMA, REGIONE PARIONIS.

VALERIO CORDO SIMESVSIO HESSO, EVRICII FILIO, MORIBVS, INGENIO, COMITATE PRAESTANTISS. DOCTORVM OMNIVM ADMIRATIONEM MERITO, QVI NATVRAE OBSCVRITATEM ET HERBARVM VIRES ADOLESCENS SENIBVS EXPLICAVIT: CVM EXPLERI CVPITIDATE COGNOSCENDI NON POSSET, PERLVSTRATA GERMANIA ITALIAM ADIIT, VENETIIS IN HONORE HABITVS ET ROMAM VIX INGRESSVS, SVBITO MORBO INTER AMICORVM LACHRYMAS NON RECVPERABILI STVDIORVM IACTVRA, OPT. AETATE EXTINGVITVR, ANNO SALVT. M.D.XLIIII. VII. CALEND. OCTOB.

Ingenio ſupereſt Cordus, mens ipſa recepta eſt
Coelo: quod terrae eſt, maxima Roma tenet.

CONRADVS GESNERVS
LECTORI SALVTEM.

Omiſſa quaedam ex erratis in opera Valerii Cordi, impreſſa Argentinae apud Ioſiam Rihelium Anno 1561. hic adiicere viſum eſt, et ſimul additiunculas aliquot. Hoc porro te admonitum velim optime Lector, inueniri exemplaria quaedam, manuſcripta Valerii Cordi Annotationum in Dioſcoridem, quae prima fronte in multis differre a noſtris excuſis videntur: ſi quis vero attentius conſideret, ſtatim apparet, non in rebus ipſis aut ſententiis, ſed in verbis duntaxat aliquid eſſe diſcriminis.

* * * * * * * * *

Praemoneamus neceſſe eſt, GESNERVM tres correctionum et additionum indices confeciſſe. Binos priores Libris quatuor CORDI etc. adiecit, tertium Libro huic quinto ſubiunxit. Debuiſſemus quidem, eundem ſeparatum nunc quoque ſiſtere, Cum autem GESNERVS nouam CORDI editionem meditatus fuerit, vero admodum ſimile videtur, eum aut dato ſtudio plurima omiſiſſe, quibus nouam editionem pro ſaeculi more, qui ad noſtra fere tempora obtinet, commendare et ornare poſſet, aut poſt impreſſum indicem vltimum exemplari ſuo demum adſcripſiſſe, quae tamen vt conſeruentur in honorem Auctoris, non omnino indigna ſunt. Quo minus itaque creſceret difficultas in his rebus, quae ſatis magna iam eſt, propter diuiſas iſtas indicum portiones, ita rem inſtituimus, vt emendationes et acceſſiones omnes, ad libros CORDI quatuor cum adnexis Anno 1561. editos, pertinentes, quae impreſſae nondum ſunt, nunc diſponamus ſecundum pagi-

paginarum ordinem, indices binos priores penitus omittamus, tertii vero contenta nouis his additionibus intercalemus, atque curſiuo litterarum genere diſtinguamus. Notanda enim ad Librum CORDI quintum, quia non adeo copioſa ſunt, ipſi textui praecedenti ſtatim ſubiecimus. Speramus ita, nos non ſolum obuiam iuiſſe confuſioni, ſed noua etiam auctaria nacta eſſe locum quendam quam maxime commodum. Hoc denique non omittendum eſt, GESNERVM columnarum lineas ita numeraſſe, vt ſingulae continerent 53. verſus, et ſpatia etiam vacua, quae paſſim occurrunt, pro plenis ſumſiſſe: inde factum eſt, vt frequenter multo maiorem linearum numerum ſcripſerit, quam re ipſa expreſſae ſunt. Quia vero talis computandi ratio iis, qui non adſueti ſunt, non paruam parit remoram; aliam inſtruximus, quae nempe tot ſolum lineas numerat, quot in quauis columna exſtant, incompletos tamen verſus pro plenis, vt par eſt, ſtatuendo; et vbi diſcrepat computus GESNERI in iis, quae iam typis exſcripta proſtant, numerum eius lunula incluſum noſtro adiunximus, adeoque quantum fieri potuit cauimus, ne error oriri poſſit, ſed potius vt vbique diſtincta emergat notitia et adcurata huius editionis cum priori ſimilitudo.

Littera a. primam folii paginam, littera vero b. ſecundam denotat. Characteribus porro rectis expreſſa ſunt noua additamenta, et quidem maioribus GESNERI verba, minoribus noſtra pro inſtructione neceſſaria; curſiuis autem indicantur ea, quae prius cum Libro quinto prodierunt.

INDEX EMENDANDORVM ET ADDENDORVM.

In Praefat. pag. 1. a. lin. 29. pro: Melanchtonis: lege: Melanchthonis.

ibid. ead. b. lin. 19. pro: ipſum: lege: ipſam.

ibid. p. 2. a. lin 5. pro: patris: lege: eiusdem ſcilicet.

in Hiſt. Auct. ſ. p. 3. b. lin. 42. ad: H. B. P. addit: HVBERTVS BARLANDVS Philiatrus eſt, vt COLDENBERGIVS monuit.

ibid. p. 4. a. ad lin. 26. addit: pete a FALLOPIO vel alio.

ibid. p. 4. b. lin. 18. deleatur: perpulchris. item verba: aut excudendum eſſe breui.

ibid. ead. ad lin. 22. addit: DIOSCORIDIS Libros digeſſit ordine alphabetico in capita 717. et paucu-las annotationes addidit. Liber impreſſus eſt Lugduni in 4to. anno 1512.

ibid. ead. ad lin. 23. pro R. ponatur: ROBERTVS.

Epiſt. Cratonis ſ. p. 5. a. addit: Emendationes ipſe CRATO miſit.

ibid. ead. lin. 24. pro: victus: lege: factus.

ibid. ead. lin. 26. pro: oſtendunt: lege: declarant.

ibid. ead. lin. 33. pro: et: lege: in primis atque.

ibid. ead. lin. 39. poſt: quomodo: inſere: diuulgata.

ibid. ead. lin. 46. pro: Sambienſium Epiſcopus: lege: Praeſes Eccleſiae Pruthenorum.

ibid. ead. lin. 48. pro: textum: lege: exemplar.

ibid. ead. lin. 49. pro: diuulgare: lege: fores dare.

ibid. p. 5. b. lin. 2. pro: vere an ſecus: lege: recte ſecusne.

ibid. ead. lin. 12. et 13. pro: illis temporibus Pharmacopolio Vitebergenſi praeerat: lege: illo tempore Pharmacopolio Vitebergenſi praeerat, CORDVM precibus LVCAE CRANACHII impulit, vt annotatiunculas adderet, et in iſtum ordinem, quo ampliſſimo Senatui Norimbergenſi exhibitus eſt, redigeret.

ibid. ead. lin. 18. pro: exiiſſet: lege: in manibus hominum verſari paſſus fuiſſet.

ibid. ead. lin. 19. et 20. pro: illud in quo-vſque ad- obruere: ac: lege: praeclaram laudem ſaepe obrui, leviculis rebus, quae in offenſionem plurimorum incurrunt, et iudicio polito vix ſtare poſſunt. Ac.

ibid. ead. lin. 31. pro: eſſe: lege: fuiſſe.

ibid. ead. lin. 44. deleantur verba: atque ab omni arbitrio ſeiunctis.

ibid. ead. lin. 48. deleatur: illas.

ibid. ead. lin. 49. pro: largiori eſu: lege: et largiore vſu.

ibid. p. 6. a. lin. 9. pro: vſurpari: lege: vſurpare.

ibid. ead. lin. 13. pro Germanum lege Germanorum.

ibid. ead. lin. 33. poſt: Dalmata: inſere: et.

p. 6. b. ad finem addit: EVR. CORDVS eddidit etiam libros 2. Germanicos, quorum vnus eſt de Sudore anglico: Norimbergae impreſſus chartis 2. in 4to. Alter de calculo renum, Tiguri in 8uo et alibi.

In fronte Commentar. in Dioſc. haec addit: Alias et quaſdam icones additurum me promiſi RALLAE Filio.

Annot. Val. Cordi in Dioſc. p. 2. a. lin. 24. pro: improrie: lege: improprie.

ibid. p. 4. a. ad Cap. 15. De Coſto addit: AVICENNA meminit amari, Syriaci nimirum.

ibid. ead. ad lin. 33. addit: Si duo illi ſunt, quos habeo, non diligenter deſcribit.

p. 5. b. lin. 1. pro: Aſpalato: lege: Aſpalatho. Sic et in ſequentibus legendum erit.

p. ead. lin. 38. pro: nobis: lege: nodos.

p. ead. lin. 48. remoueatur vox: fruticem: et reponatur lin. 49. poſt vocem: lignum.

p. ead. lin. ead. ad verbum: fruticem: addit: et primum Rhodium lignum eſſe arbuſculam intortam et tuberoſam potius quam fruticem.

p. 6. a. lin. 1. ad: ὕζωτον: addit: an ὀζῶδεις vel ἔνοζον?

p. 6. b. lin. 27. poſt frutices: inſere: radicis praeſertim.

p. 7. a. lin. 11. poſt: reſipere: inſere: aut.

p. ead. lin. 12. ad: reſipit: addit: forte quae leuis in Aſpalatho.

p. ead. lin. ead. pro vero: lege: enim.

p. 7. lin. 16. ad: Rhodium etc. addit: Rhodium ab aliis ad me miſſum, vix leniſſime amareſcit, acrimoniae minimum habet.

p. 9. a. lin. 13. pro: Κάνκιμον: lege: Κάγκαμον.

p. 19. a. ad Cap. 122. finem addit: Quaere a D. AEMYLIO, quid ſint Stachelvvicken CORDI?

p. 19. b. lin. 51. pro: rebus: lege: ſimplicibus.

p. 34. b. lin. 50. pro: ſimilem: lege: ſimiles.

p. 35. a. lin 5. pro: diſſimilimae: lege: diſſimillimae.

p. ead. lin. 6. pro: Guauiaci: lege: Guaiaci.

p. ead. lin. 45. pro: Chryſolectrum: lege: Chryſelectrum.

p. ead. b. lin. 5. loco: lepidiſſimum: lege: limpidiſſimum.

p. 51. b. lin. 24. ad: Abrotonum. addit: Abſinthium Ponticum FVCHSII vid. infra p. 107.

p. ead. lin. 32. ad: tantum: addit: Verum hoc forte eſt, vt in DIOSCORIDIS textu ſimpliciter legatur: Santonicum Abſinthio ſimile eſſe, minus tamen copioſum ſemen ferre.

p. 53. b. lin. 49. tota deleatur a voce: noſtrum -vsque ad- loquitur.

p. 57. a. lin. 17. pro: Momithe: lege: Memithe.

pag. ead. poſt lin. 20. addit: Islebiae in vinearum marginibus naſcitur.

p. 57. b. ad Cap. 111. De Teucrio. addit: Teucrium CORDI; ALDROVANDVS aliud videtur accipere: ſiccum miſit.

p. 62. b. lin. 53. pro: Ciperum: lege: Cyperum.

p. 63. a. lin. 3. ad: vmbellam: addit: Vide, ne ſentiat de Sparganio DODONAEI. Videtur ſane.

p. ead. ad lin. 8. addit: Vide infra p. 97.

p. 63. b. lin. 15. ad: Saurhavv: addit: an Butomus Carex?

p. ead. lin. 16. pro: Parnaſinum: lege: Parnaſium.

p. ead. ad Cap. 33. De Sideritide. addit: Chamaedrys foemina FVCHSII.

p. ead. lin. 28. pro: ἀχιλλείον lege ἀχιλλεῖον.

p. 64. a. lin. 53. pro: Orbanchen: lege: Orobanchen.

p. 64. b. lin. 27. pro: quarum: lege: quam.

p. ead. lin. 28. pro: herbarum Ideae: lege: herbae Idaeae.

p. 65. a. ad Cap. 51. De Trago etc. addit: Aizoon minus noſtrum vulgare.

p. 65. b. ad Cap. 57. De Heliochryſo. addit: Deſcribit Libro Vto Deſcriptionum Cap. 7mo.

p. 71. a. lin. 7. pro: Myagrum: lege: Myagrus.

p. ead. lin. 17. pro: ὄιναγρη ſiue οἰνόδηρα: lege: ὀινάγρα ſive ὀινόθηρα.

p. 71. b. ad Cap. 127. De Chamaepeuce. addit: Vide infra p. 111. vbi eam diligenter deſcribit.

p. 73. b. lin. 3. pro: verba: lege: herba.

p. 74. b. lin. 15. ad vocem: folio: addit I. CAMERARIVS: Imo ſerratis foliis quidam, et quidam rotundiſſimis.

p. 83. a. lin. 32. ad: Agſtein: I. CAMERARIVS addit: a Feſtuca, Agen.

p. 85. a. lin. 34. poſt: ab: inſeratur: alio.

p. 85. b. lin. 33. poſt: exercet: adde notam, quae parentheſin claudat.

p. 86. a. ad Cap. 2. De Limneſio etc. addit: Seſamoides maius dicerem, ſi ſemen Seſamo ſimile eſſe ſcirem: caetera omnia conueniunt, et vires. Seſamoides paluſtre dixeris, omnino. An Seſamo comparabitur fructus totus an ſingula ſemina?

p. 86. b. ad lin. 5. addit: Icon ſequitur.

p. 87. a. Figurae Sagittae addit: Flores tribus foliolis conſtant CORDO.

p. ead. ad Cap. 5. De Carduo etc. addit: Quaerendum an Acanthium?

p. ead. lin. 14. ad: quidam: addit: Vt ANGVILLARA.

p. 87. b. lin. 50. (52.) pro: ſinguares: lege: ſingulares.

p. 88. a. lin. 4. lege: tenui Flaueſcente lignoſa.

p. ead. lin. 5. et 6. Deleantur verba: Radice nititur tenui flaueſcente et inutili.

p. ead. ad figuram Senae addit: Folia puto e regione bina omnia, in Geniſta non ſic.

p. 88. a. lin. 46. pro: ſeu: lege: intus ceu.

p. 88. b. ad Cap. 8. De Balſamella addit: Deſcripſi et ego 1561. in ſcheda quadam ſatis diligenter.

p. ead. lin. 45. (47) pro: ferendi lege: ferendorum.

p. ead. lin. 50. ad: eraſo: addit: Legerem ex autopſia: Ab infimo caulis trunco circumquaque orientibus.

p. 89. b. ad figuram Helianthemi addit: Gaele Gottsgnad. Gratia Dei DODONAEO. Aliqui Panaces Chironium vocant plantam a PLINIO Helianthemum dictam. ANGVILLARA hanc deſcribit 210. f.

p. ead. lin. 6. ad: Sonnenblume: addit: Quae cauſſa nominis?

p. ead. lin. ead. deleantur verba: ni fallor.

p. ead. lin. 10. pro: poligoni: lege: polygoni.

p. ead. lin. 16. ad: confracta - ſucci etc. addit: Iulii 10mo cum experirer, non cohaerebant, an vere? vel ante flores forte cohaererent? Iulii principio floret.

p. 90. a. lin. 10. pro: ſpitamae: lege: ſpithamae.

p. 91. a. lin. vlt. ad: aeſtiua herba: notat: Duos annos durare puto noſtram.

p. 91. b. ad Cap. 16. De Polyacantha. addit: Alia eſt ANGVILLARAE Polyacantha. Quaere in Kentm. 67.

p. 92. a. ad Cap. 17. De Tanaceto peruuiano. adde: maiore ſimplici, Goldroſen.

p. ead. lin. 1. pro: charyophyllos: lege: caryophyllos.

p. ead. lin. 16. deleatur littera H in Helleboro et Helleborine.

p. ead. lin. 25. ad: tritico: addit: An Siligini? vt inde habeat nomen.

p. 92. b. Cap. 20. lin. 9. pro: foliolia: lege: foliola.

p. ead. lin. 10. ad: quarta: addit: An quartam vel quadrantem.

p. ead. lin. vlt. ad finem Capitis addit: Flores ſolem ſequuntur.

p. 93. a. ad capitulum ſeminale Epimedii notat: Nimis denſum capitulum.

p. ead. lin. 7. ad: colore: addit: color intus caeruleus eſt, foris albicat in noſtris.

p. ead. ad finem Cap. 21. lin. 10. addit: Flores videntur cum ſole aperiri et claudi. Plurimis annis durat.

p. 93. b. lin. 2. deleatur: autem.

p. 93. b. [illegible] pro: anhuſis: lege: anchuſis.

p. 94. a. ad fig. Filipendulae addit: Folium extremum trifidum.

p. ead. lin. 14. ad: capite coliculos: notat: non loquitur de caule hic, ſed mediis foliorum neruis.

p. 94. b. ad: Medeſuſii lin. 10. vsque ad 20. addit: Vlmariam intelligo.

p. ead. ad Lemma Cap. 26. lin. 24. poſt: recto: addit: vel maſculo.

p. ead. lin. vlt. poſt: vno: inſeratur: ſummo ſiue.

p. 95. a. ad fig. Fraxinellae addit: Rutae generibus adnumerarim: latifoliae cognomine.

p. ead. lin. 6. ad: vncia: addit: florum folia puto.

p. ead. lin. 34. pro: ruthae: lege: rutae.

p. ead. lin. 48. pro: haederaceorum: lege: hederaceorum.

p. 96. b. ad fig. Trifolii paluſtris addit: Flores non ſunt bene facti.

p. 97. a. ad Cap. 32. et vocem Gladiolus: Vide ſupra folio 63. in principio, vbi Gladiolum alium facit, qui toto genere ab hoc diuerſus videtur, vt qui flores ceu in vmbella habeat, etc.

p. 97. a. lin. 1. verba: De Victoriali -vsque ad- Gladiolo: parentheſi includantur, et addit: Parentheſi incluſa, verba ſunt ipſius CORDI in vtroque exemplari.

p. ead. lin. ead. ad: ſylueſtri: addit: An quia locis ſylveſtribus et frutetoſis naſcitur?

p. ead. lin. 2. ad: Alpibus: in horto habeo, FABRICIVS miſit.

p. ead. ad figuram addit: An hoc Siſyrichium, vulgo Siſyrinchium eſt? Vide etiam Libro 2. CORDI. 122.

p. 97. b. figurae Thalictri addit: Flaui ſunt floſculi. An CALCEOLARIVS miſit anguſtioribus foliis non ita latis?

p. 98. a. fig. florum Thalictri tenuif. addit: Flaui flores ſunt.

p. ead. ad eiusdem figurae radices addit: An radices non natura nec ſemper tales?

p. ead. lin. 19. poſt: macris: addit: Vt iuxta lacum Tigurinum.

p. ead. lin. antepenult. pro: leteis: lege: luteis.

p. 98. b. ad fig. Millegranae addit: Aliquibus hodie Ambroſia. MATTHIOLVS in Epiſtola.

p. ead. ad finem Cap. 37. notat: Aſtragali nomen certe meretur, etſi non conueniat DIOSCORIDIS deſcriptio.

p. 99. a. Iconi inſcribatur: Nymphaea alba.

p. ead. ad fig. radicem, quae recta figuratur, ponit: Radix transuerſa, inquit CORDVS.

p. 99. b. lin. 10. pro: frutificat: lege: fructificat.

p. ead. lin. vlt. pro: rubenes: lege: rubentes.

p. 100. a. lin. 9. ad: roſcidae etc. addit: An hoc vitium eſt, Salſilago THEOPHRASTI?

p. 100. b. lin. 3. pro: Tordyli: lege: Tordylii.

p. ead. lin. 13. ad: candidosque: addit: in montibus purpuraſcentes.

p. 101. a. ad Cap. 45. De Phalaride. addit: Semen Canariae quidam vocant, quod auibus Canariae edendum detur: An milium Canarium vocabimus?

p. 101. ad Cap. 46. De Aſparago. addit: tum ſylueſtri tum ſatiuo.

p. 103. b. ad Cap. 52. De Tithymallo. addit: Eſula dulcis omnino, radicibus praeſertim et natalibus apparet.

p. ead. lin. 18. ad: pentaclono: addit: In horto meo quinque ramulos ab vno caule fundit; aliqui etiam octonos.

p. ead. lin. 20. ad: plures: addit: An Eſula dulcis ſemper vnum?

p. ead. lin. 43. ad: guſtu etc. addit: Fallitur CORDVS; nam Eſula dulcis non eſt acris.

p. 104. a. lin. 16. pro: vrbae: lege: vrbe.

p. ead. lin. 17. ad: Apio montano: addit: quod Badae creſcit.

p. ead. ad Cap. 54. addit: Tragopogoni potius quam Intybo cognata videtur. (Vt CORDVS in hoc errauit) Sicut etiam D. Laurentio HIEL videtur, qui Ixopum eum eſſe putat, quem ad me miſit; Scorzonariam ſcilicet. etc. id quod placet. Quaeritur an coliculi ſemper ſinguli in Scorzonariis et Tragopogone? in hac vero duo aut tres. An vere medio Tragopogon vllus floret? Habervvurz aliquando in fine Martii floret.

p. ead. lin. 35. poſt: olente etc. addit: Sed haec forte coliculum vnicum emittit (nec intybacea herba eſt) interim cognatam tamen huic puto.

p. ead. ad Cap. 55. De Thamecnemo. addit: Kartüſerblümle, i. e. Flos Carthuſianorum.

p. 104. b. ad fig. Thamecnemi addit: Vaccaria DODONAEI.

p. 105. a. lin. 1. pro: Lauendula: lege: Lauandula. dein addit: Lauandula pag. antecedente in prima et ſecunda ſyllaba melius dici videtur. Vulgus Germanorum E in ſecunda ſonat.

p. 105. b. lin. 3. pro: ſtaechadis: lege: ſtichadis.

p. ead. lin. 36. et 37. ad: digitali: addit: Digitum ſaepe puto CORDVS accipit pro palmo: qui digiti noſtri longitudo eſt.

p. 107. a. lin. 35. ad Capitis 65. verba: candido ſeu foemina: addit: BAVHINVS Artemiſiam leptophyllon meam putat eſſe Abrotonum candidum CORDI. Ego vero Abſinthium Ponticum FVCHSII eſſe puto, cum radices eius repere dicat. Aliud eſt verius Abrotonum candidum a CALCEOLARIO ad me miſſum, quod FVCHSIVS Abrotonum foeminam nunc facit.

p. 107. b. ad fig. Abrotoni candidi addit: BAVHINVS dicebat, hoc Abſinthium Ponticum FVCHSII eſſe.

p. ead. lin. 9. ad: flores: addit: an ſecundo vel tertio anno.

p. 108. a. lin. 8. poſt: Cardamoide: inſere: vel arvenſi.

p. 109. b. lin. 42. poſt: vrbana: inſere: cuius albi ſunt flores.

p. 110. a. lin. 9. ad: flores: addit: Flores rubent: an etiam in Tetrahit?

p. ead. lin. 18. ad: Zeyſigkraut: addit: quam accerſe ab AEMYLIO floribus rubentibus.

p. 111. a. ad Cap. 79. De Chamaepeuce. addit: Vide ſupra 71. b. Laurentius HIEL ad me miſit. Pinxi 1562. Martio et Maio. eodem nomine Georgius AEMILIVS. Prius vero Ericae nomine SNEBERGERVS.

p. 111. b. ad fig. Chamaepeuces, pro qua Lycopodium vulg. poſitum erat, addit: Dele hanc iconem et pone veram.

p. ead. ad eandem figuram addit: Haec (nempe Lycopodii icon) Selaginis ſpecies AEMILIO videtur.

p. ead. ad iconem Mercurialis maſc. ſylu. addit: Hanc iconem DODONAEVS quoque habet.

p. ead. lin. 7. ad: efficax: addit: efficacior mihi viſa eſt.

p. 112. b. lin. 12. ad: corylis: addit: inde nomen Germanicum.

p. 114. a. lin. 1. poſt: criſpa: adde: ſeu laciniofa.

p. 115. a. ea quae in Lemmate Cap. 96. parentheſi incluſa ſunt, pertinent ad Lemma capitis 95.

p. 115. b. ad iconem Colocynthidis addit: Talem quidem iconem Colocynthidis, ſimpliciter dictae FVCHSIVS etiam pingit, qui in vno fructu figuram turbinatam melius exprimit: melius adhuc MATTHIOLVS.

p. ead. lin. 14. ad: pyramis: addit: pars anguſtior ſcilicet. (Ita etiam correxit GESNERVS figuram pomi medii, quod orbiculatum eſt, lineis penna ductis in oblongam formam verſus pediculum.)

p. 119. b. lin. 10. poſt: paluſtris: adde: polyanthemos.

p. 120. a. lin. 11. poſt: tertiae: adde: (vide vndecimam ſpeciem.)

p. 120. b. lin. 5. ad: polyanthemi: adde: ſiue primae ſpeciei Ranunculi.

p. 122. a. lin. 1. poſt: minore: adde: ſeu Amello.

p. 122. b. ad Cap. 5. De Siſyrinchio. addit: Bulbis forte cognata. Bulbus ſylueſtris FVCHSII et DODONAEI, quam proxima eius ſpecies eſt. Miſit Ge. AEMYLIVS 1562. Maio bulbum ſylueſtrem FVCHSII puto, hoc Lemmate. Siſyrinchium CORDI, prius ab ipſo Sparganium minus appellatum: Feldzvviboln. D. Laurentius HIEL etiam putat eſſe Bulbum ſylueſtrem TRAGI. (i. e. FVCHSII) quem cum Cepis pinxit.

p. ead. lin. antepenult. ad: folia: addit: Quaeritur, an bina tantum, vt FVCHSII?

p. 123. a. lin. 12. ad: Hyacintho etc. addit: non puto ſed Bulbis potius.

p. 123. b. lin. 4. et 5. Deleantur omnia parentheſi incluſa.

p. ead. lin. 6. ad: dodrante: notat: quam appinximus caules duorum aut trium cubitorum facit interdum. Vide an Wild Süſsholz Angli?

p. ead. lin. 10. ad: purpureis etc. addit: in Valtellinae montibus puto Polygalon quoddam purpureum inveniri.

p. ead. lin. 15. poſt: ſylueſtris: inſere: Ge. AEMYLII.

p. ead. lin. ead. ad: conuenit: addit: Ea, quam miſit D. AEMYLIVS differt ab hac: et in extremitate cuiusque ſurculi folia bina ſunt cum perexiguo in medio ceu capreoli futuri rudimento.

p. ead. lin. ead. poſt: radicis: addit: CORDVS etiam Libro 4. in DISCORIDEM Liquiritiam ſylueſtrem vulgo dici ſcribit.

p. ead. lin. 16. poſt: Polygalon T. inſere: Foenograecum ſylueſtre.

p. ead. ad fig. eiusdem Polygali addit: Huic flores pallidi vel ſublutei ſunt. Ad eandem figuram ceu curas poſteriores, vt videtur, adſcripſit: Ge. AEMYLIVS ſcribit, hanc non eſſe Polygalon CORDI, mittit autem pro CORDI Polygalo herbam, quam et olim Anglus GIPSONVS ARONIA pro Glycyrrhiza ſylueſtri (vt AEMYLIVS nominat) mihi exhibuit.

p. 124. a. ad Cap. 9. De Gladiolo. addit: Vide Sparganium DOD. fol. 146.

(in Hiſt. pl. DOD. 8vo edita, eſt p. 235.)

p. ead. ad eiusdem Capitis finem addit: Paſtores circa Egliſovv vocant etiam Schvvertel puto.

p. 124. b. lin. 1. ad: Struthion: adde: falſo dictum.

p. 128. a. lin. 3. (4.) pro: Syluii: lege: ſylueſtre.

p. ead. lin. 39. ad: flaueſcens: addit: An praecedenti capite 22. deſcriptum?

p. 128. b. Lemma iconis alterius ſic lege: Orchis maior vel primus, et poſt numeros adde: Deſcriptio ſequitur.

p. 129. a. ad Cap. 26. De Orchi etc. notat: Orchis maior floribus { purpureis / in candido luteis.

p. ead. poſt primum Lemma ſubiice: Icon praecedit.

p. ead. lin. 1. Deleatur: hic.

p. ead. lin. 6. (7.) pro: Capnii, chelidonii lege: capnii Chelidonii.

p. 129. b. lin. 1. Ita lege: Cynoſorchis quartus. T. 2. 82. p. 779.

p. ead. ad fig. eandem notat: Huius ſpeciem vnam purpureo flore deſcribit: alteram roſeo, purpureis maculis.

p. ead. lin. ead. porro ita lege: Satyrium primum DIOSCORIDIS. T. 2. 82. p. 780.

p. ead. ibid. et ad eandem figuram notat: Flos foris ſpadiceus, intus candidus et maculoſus.

p. 129. b. Iconibus porro adſcribe: Icones hae duae, etſi non optime forſan expreſſae, conferendae ſunt cum Teſticulo CORDI, quem Cap. 28. deſcribit.

p. ead. in fine Lemmatis Cap. 29. diſtingue et adde: ab illo tamen, quem CORDVS hic deſcribit, diverſus.

p. 130. a. Lemma Teſticulus pumilio bene habet: alterum ſic lege: Teſticulus quintus T. odoratus, praeſertim minimus in hoc genere, flore toto purpureo, nullis lituris, non deſcriptus a CORDO.

p. ead. ad fig. Teſticuli pumilionis addit: Floſculi e viridi lutei ſunt.

p. 130. b. ad Cap. De Palma Chriſti etc. Genus hoc ita ordinat:

CORDI Palma Chriſti foliis
- 1) maculoſis juxta terram.
- 2) nullis ad terram.
- 3) longioribus multis raro maculoſis, floribus { violaceis. / candidis.
- 4) non maculoſis acuminatioribus etc.
- 5) Vide p. 105. b. Palmam montanam floribus purpureis Hyacinthi foliis.

p. ead. Iconi maiori adſcribe: Prima CORDI.

p. ead. Iconi minori adde: Secunda CORDI, vt videtur.

p. 131. a. lin. 8. pro: Plinii: ponatur: quibusdam in Italia.

p. ead. lin. 9. ad: ſylueſtre: addit: Quanquam etiam commune Symphytum ſylueſtre ſit: hoc tamen priuatim ſic cognominari poteſt, vtpote magis ſylveſtre.

p. ead. ad figuram foliorum Pulmonariae adponit: An male?

p. 131. a. lin. 34. (36.) pro: palmae: lege: palmi.

p. ead. lin. 35. (37.) pro: duarum: lege: duorum.

p. ead. lin. vlt. (53.) lege: Verbaſci.

p. 132. a. lin. 8. (43.) lege: e quorum medio etc.

p. ead. lin. 15. poſt: Amelli: inſere: Chelidonii minoris.

p. 132. b. ad Cap. 38. De Sinone &c. addit: An Amomi nomine Pharmacopolis?

p. 133. a. in Lemmate, quod dextrae opponitur lege: Iris communis Germanica ſatiua T. etc.

p. ead. in altero ſic: Icon haec referenda eſt ad Olſenichium dictum herbam, quae deſcribitur infra Cap. 98. huius libri p. 149. Pingitur autem eadem a DODONAEO Lib. V. Cap. 46. Apii ſylueſtris nomine: vbi etiam aliquos pro Meo ea vti ſcribit.
(Eſt in DOD. Hiſt. Pl. 8vo. P. II. p. 156.

p. ead. lin. 8. (41.) pro: inflexae lege: inflexa.

p. 133. b. lin. 1. ad: folliculum: addit: Iris noſtra folliculo et ſeminibus caret.

p. ead. ad Cap. 40. De Iride ſylu. addit: in ſiccis naſcente, an quae Badae?

p. ead. lin. 22. et 24. pro: Xiride et Xiris: lege: Xyride et Xyris.

p. ead. lin. 40. ad: Tiguro: addit: in pratis humidis.

p. ead. lin. vlt. ad: Erucae: addit: infecto.

p. 134. a. ad Lemma e regione dextrae adſcribe: Deſcriptio ſequitur.

p. 134. b. lin. 17. ad: foliorum vice: addit: An florum vice? Confer hic TRAGI de floribus mentionem.

p. 135. a. Ad Lemma figurae adſcribe: Cuius deſcriptio praecedit.

p. 135. b. lin. 33. (34.) pro: adoleſcentia: lege: adoleſcunt.

p. ead. lin. 34. (35.) lege: Ea: (ſeminum haec vaſcula etc.)

p. ead. lin. 36. (37.) pro: conſtantes: lege: conſtantia.

p. 135. lin. 47. (50.) pro: adnata: lege: adnatis. In ſummis. etc.

p. 136. a. ad Lemma Cap. 50. poſt: propoſita: inſere: quae mox ſequitur.

p. ead. lin. 34. (44.) lege: eſſent: ſed eadem illis eſt forma. in cacumine cuiusque caulis inaequaliter diſpoſiti ſurculi. etc.

p. 137. a. lin. 6. (8.) pro: fumo terrae: lege: fumiterrae.

p. ead. lin. 16. (21.) pro: ſingula: lege: ſingulari.

p. 137. b. lin. 9. (10.) Ita lege: ſemen in paleacea ſpica copioſum concipit.

p. 138. a. lin. 2. Ita lege: Craſſis. Et mox: In ſumma, med.

p. ead. b. lin. 35. (37.) Ita lege: diuiſa. Adnata.

p. ead. lin. 44. (46.) pro: corroduntur: lege: corrodi.

p. ead. lin. 45. (47.) pro: corrumpuntur: lege: corrumpi.

p. 139. a. ad Cap. 58. De Millefolio: addit: Floribus, { candidis / rarius purpureis } in medio luteis.

p. ead. lin. 22. (23.) Ita lege: plenum candida.

p. ead. lin. 29. ad: inutili: addit: an radices perrennes non ſolent eſſe inutiles?

p. ead. lin 36. poſt: ſimiles: inſere: eſt.

p. ead. lin. 38. ad: ſaporem: addit: Acrior haec eſt, etſi in pinguioribus naſcatur.

p. 139. b. lin. 16. (17.) pro: ramamoſisque: legendum coniicio, ramoſisque.

p. ead. lin. 28. (29.) lege: rubiginoſo puluiſculo.

p. 140. a. Iconi e regione laeuae adſcribe: noſtra Icon vero e regione dextrae omnino falſa eſt, et mutato Lemmate vt ſic legatur: Floris tinctorii ſpecies TRAGO, Aſter Atticus CORDO et FVCHSIO. T. 1. 149. p. 154. Icon quae in illo apud TRAGVM loco reperitur, ponenda eſt.

p. 140. b. Lemmati Ricini adiungatur: Deſcriptio ſequitur.

p. 141. a. Cap. 64. De Ricino. addatur: Icon praecedit.

p. ead. lin. 29. (33.) pro: viticulos: pone: viticulas.

p. ead. lin. 31. (35.) ita lege: exaſperatas, ſolidas, et ang. m. inflexas. Folia.

p. 141. b. lin. 2. pro: alliceat: lege: alliciat.

p. ead. lin. 4. poſt: forte: inſere: autem.

p. ead. lin. 8. Lemmati dextrae oppoſito Cichorio adde: vel Intybum agreſte.

p. 142. a. lin. 9. (11.) lege: etiam.

p. ead. lin. 16. Lemmati iconis dextrae oppoſitae, Helenii maioris nempe, adde: Deſcriptio ſequitur.

p. 142. b. lin. 32. ad: Ienae: addit: D. Laur. HIEL eam mihi deſcribit, mittendam petii et pingendam.

p. ead. Lemmati Cap. 70. De Milio: adde: Icon ſequitur.

p. 143. a. lin. 4. ad: fulcra: addit: Similiter puto in frumento Bactriano.

p. ead. ad figuram, quae ſiniſtrae opponitur, addit: Allium caninum TRAGO. mediae: Rammſeren. tertiae, quae dextrae obiicitur: Allium campeſtre CORDI hoc eſſe videtur, Allii canini Species. TRAG. f. 2. non deſcribit. Medium ex tribus depictis hic Alliis diphyllum eſt.

p. 143. b. lin. 8. pro: acuratiorem: lege: accuratiorem.

p. ead. lin. 9. poſt: deſcribit: inſere: CORDVS.

p. ead. lin. 15. pro: palacea: lege: paleacea.

p. 144. a. Capitis 73. Lemmati ſubſcribe: Iconem eius exhibuit T. Lib. 1. Cap. 157. p. 469.

p. ead. lin. 8. (9.) pro: palaceis: lege: paleaceis.

p. ead. Lemmati Capitis 76. adde: Icon ſequitur.

p. 144. b. Lemmatis Cap. 77. voci: ſimilitudine: addit: nucleis indiuiduis.

p. 145. a. ad Lemma Cap. 79. De Lycoctono etc. notat: Quaeritur? an et hoc et ſequens alibi quidem ſatiuum eſt, alibi vero ſylueſtre, vt apud nos. etc.

p. ead. lin. 45. (52.) lege: ſtriatas, et mox: canas et ſolidas.

p. 145. b. lin. 1. pro: Abſynthium: lege: Abſinthium, et idem lege lin. 20. 21. et 23. et alibi.

p. ead. Lemmati Cap. 83. adſcribe: Icon in proximo folio ſequitur, et ſimiliter Capitis 84.

p. 146. a. lin. 1. poſt: Artemiſ. mai. adde: Deſcriptio praecedit Cap. 83.

p. ead. lin. 1. poſt: Satureia: adde: Deſcriptio praecedit Cap. 84.

p. ead. lin. vlt. *(53.) pro: Steiandorn: lege: Steinandorn.*

p. 146. b. lin. 1. poſt: Stachys: adde: Deſcriptio praecedit: Porro haec addit: Stachys haec FVCHSII eſt, aliam a CORDO hic deſcriptam, ab alio autem nemine hactenus.

p. ead. lin. 4. ad: ſpina: notat: Spinam puto dicit pro medio caulis neruo: ſiquidem ſpinam etiam nominare ſoleat pluries CORDVS medium folii neruum, vt in Ophiogloſſo.

p. ead. lin. 7. (41.) pro: latent: lege: latet.

p. ead. lin. vlt. ad: capitis: notat: Nam caput eius eſtur.

p. 147. a. lin. 24. ad: parcius: notat: vix vsquam puto.

p. 147. b. lin. 5. (7.) pro: Caryophyllas: lege: Caryophyllos.

p. ead. lin. 9. (45.) lege: Ψιάδιον, et ſubde in parentheſi (vel Ψεκάδιον potius: nam Ψεκὰς pro rore vſitatius eſt quam Ψιάς.

p. 148. a. lin. 3. poſt: accepit: inſere: à quo nos Graecum finximus.

p. ead. lin. 10. et 11. pro: Samſucho et: Samſuchus: lege: Sampſucho et: Sampſuchus.

p. 148. b. Cap. 97. Lemmati adde: Icon ſequitur.

p. 149. a. lin. 1. Lemmati figurae adde: Deſcriptio praemiſſa eſt.

p. ead. Lemmati Cap. 98. ſubſcribe: Icon poſita eſt ſupra non ſuo loco, Cap. 39. huius Libri p. 133. cum Iride.

p. ead. lin. 10. poſt: diſtracta: notat: Mirum quod liquoris non meminit.

p. ead. lin. 15. pro: Abſynthio: lege: Abſinthio.

p. 149. b. ad folia Santonici minoris adſcripſit: Non placet haec pictura.

p. ead. ad figuram Hyacinthi ſylueſtris eam, quae laeuae opponitur, addit: An ad Bulbinas.

p. 149. b. lin. vlt. *(53.) pro: teram: lege: terram.*

p. 150. a. ad Cap. 102. De Limnopeuce. notat: Ignota mihi. Petii a D. Laur. HIEL reſcripſit: ſe expectare Eislebio.

Vide inter plantas Orthmanni (aut Hippuris aut Polygonos quaedam.)

p. 150. b. lin. 1. ad: Palma: addit: De Palmis pluribus vide ſupra 130.

p. ead. lin. 2. et 10. ad: Hyacintho: addit: illi nimirum, qui exhibetur 149. b.

p. ead. Iconi, quae laeuae opponitur, adſcribe: Phalangium noſtrum. Liliago melius vocabitur, ſpecies maior in montanis, Lilio ſimilior etiam odore.

Iconis vero e regione dextrae lemmati adſcribe: Vel Damaſonium CORDI. Porro addit: Damaſonium montanum vocat DALECHAMPIVS, aliqui Clymenon. Capſulae ſeminali eiusdem figurae addit: Tale vaſculum eſt etiam in Calceolo Virginis. Laterali vero florum figurationi addit: An eadem haec albis floribus?

p. 151. a. lin. 3. (4.) Sed flores in noſtro etc. dele vsque ad finem Lemmatis.

p. ead. figurae Anemones tenuifoliae addit: AEMYLIVS ſcripſit: hanc non eſſe Anemonen tenuifoliam. Vera imago (inquit) ſumatur ex Chamaemelo eranthemo DODONAEI. Porro eiusdem figurae flori, petalis anguſtis picto, adſcripſit: non placet hic flos.

p. ead. Lemmati Cap. 109. De Anemone tenuifolia. addit: Flore {rubro. / pallido.}

p. ead. lin. 42. pro: Anemone: lege: Anemonae.

p. 151. b. ad Coralloidis figuram ſiniſtrae oppoſitam adde: Hieronymus HEROLDVS miſit. Et ad radicem eiusdem addit: Radix non placet: Ad alteram vero, dextrae reſpondentem addit: Io. KENTMANNVS miſit. Vtrique vero figurae adiicit: Deſcriptio neutri harum ſatis conuenit, cognatas tamen eſſe iudico. CORDVS non vidit; cum floris non meminerit.

p. 151. b. lin. 12. ad: Rapi: notat: Cognata videtur Saxifragae montanae noſtrae: Pulmonariae Sabaudorum floribus, foliis fere, radice craſſa, et Rapi ſapore, item natalibus.

p. ead. lin. vlt. *(53.) pro: iudiuiduum: lege: indiuiduum.*

p. 152. a. lin. 7. ad: concauum: addit: Nondum obſeruaui ſic in noſtro.

p. ead. lin. 15. poſt: monococcon: in Lemmate: inſere: CORDI.

p. 152. b. lin. 9. pro: locis: lege: regionibus.

p. ead. lin. 13. ad: henicophyllo: addit: Quod folium ſimplex ſit, non in partes diuiſum.

p. ead. lin. 21. in Lemmate, ſiniſtrae oppoſito: ſic lege: Dracunculus MATTHIOLI: ad Lemma figurae, quae dextrae opponitur, adde: Deſcriptio ſequitur. et porro: Aconitum quibusdam ſtolide.

p. 153. a. Lemmati Cap. 115. adde: Icon praemiſſa eſt.

p. ead. lin. 1. ad: Laeberblümle addit: Inde CORDVS Hepaticae nomen finxit.

p. 153.

p. 153. b. ad iconis Lingulae vulnerariae neruum vnum in folio expreſſum addit: ſine neruo eſt.

p. 154. a. lin. 3. pro: n ſummo: lege: In ſummo.

p. ead. Icon appoſita Capiti 119. falſa eſt, nempe Conyzae quaedam ſpecies. Conyza nempe minor TRAGI, vt monuit AEMYLIVS. *Debuiſſet exhiberi Pſyllium a TRAGO poſitum, Libro, Capite et pagina, vt numeri Lemmatis indicant.*

p. ead. lin. 25. *(29.) ita lege: vnde n. i. Aqua m. ſemen lentam m. ſ. t. remittit, intus v. c. eſt eius ſubſtantia. Capitula etc.*

p. 155. a. ad omnes hac pagina deſcriptos Daucos generatim addit: Videntur omnes cognatae, odore, ſapore, acrimonia, vmbellis, ſemine, foliis differunt.

p. ead. lin. 3. pro: huiusmodi: lege: qualem poſuimus.

p. ead. lin. 15. poſt: halitus: inſere: hic.

p. 155. b. lin. 5. ad finem Lemmatis Cap. 125. addit: Coniicio autem ex vulgari aliquo Germanico nomine ipſum finxiſſe.

p. ead. Lemmati Cap. 126. adde: Icon ſubſequitur.

p. ead. lin. 40. (44.) ita lege: *ſemine inferius annexo in auram abituros. Semen etc.*

p. ead. lin. 42. (46.) pro: quam hircinae: lege: aliquam hircinae.

p. 156. a. Lemmati iconis ſubſcribe: Deſcriptio praemiſſa eſt.

p. ead. lin. 9. *(43.) pro: qua: lege: quae.*

p. 156. b. lin. 13. *(17.) pro: mima: lege: minima.*

p. ead. lin. 17. *(21.) ita lege: breuiora. Racemulos.*

p. ead. lin. 21. *(25.) poſt: contenta: inſere: ſuccedunt.*

p. ead. lin. 30. *(39.) pro: proferentem: lege: proferentes.*

p. ead. lin. 35. *(44.) pro: circumdati: lege: circumdatos.*

p. 157. b. lin. penult. *(52.) ita lege: non in turbinem.*

p. 158. a. lin. 3. pro: olongo: lege: oblongo.

p. ead. lin. 18. et 19. *(20. et 21.) ita lege: teneros, glabros, et in t. repandos.*

p. ead. lin. 23. *(25.) ita lege: diuiſos et expanſos.*

p. ead. lin. antepenult. *(50.) pro: tumida: lege: tumidae.*

p. eadem lin. penult. *(51.) pro: aucte: lege: auctae.*

p. 158. b. lin. 7. pro: perfunditur: lege: perfoditur.

p. ead. lin 13. pro: Noriuegiae: lege: Nortuegiae.

p. ead. lin. 23. *(25.) ita lege: eminent Floribus.*

p. 159. b. Lemmati Cap. 140. adde: vel potius in candido rubente.

p. ead. ad Cap. 141. De Daucoide maiore. addit: Vide an Daucus phragmites noſter ſit Myrrhis quaedam? Videtur ſane, ſed dubito, an ſemen eius cimices oleat. Eadem eſt, quae ſequitur Cap. 142, ſed minor, minus ingrato ſemine. D. Laur. HIEL, Daucoides vtrumque, inquit, plantulas in frumentis naſcentes puto, foliis pectini Veneris ſimiles, capitulis echinatis, vt in Arctio. Lappulas etiam vocat. An de Dauco aruenſi ſentit? Atqui CORDVS non in aruis naſci ait.

p. 160. a. lin. 3. ad Lemmatis finem adde: quam itidem hic exhibemus.

p. 160. b. Lemmati iconis, quae ſiniſtrae opponitur addit: Conyza Helenitis haec dici poteſt, ſiue eadem CORDI ſit, ſiue diuerſa. Foliis eiusdem iconis adſcripſit: Non puto folia eius ſcarificare fauces.

p. ead. lin. 18. pro: ſimilima: lege: ſimillima.

p. ead. e regione dextrae Geniſta minor errore poſita eſt pro Hedera terreſtri vulgo dicta, quam T. exhibet, 2. 87. p. 799. Itaque et lemmatis numeri emendandi ſunt, et icon ponenda vera.

p. 161. a. lin. 6. *(8.) pro: orgiam: lege: orgyiam.*

p. ead. lin. 33. *(36.) pro: ſtipatis: lege: ſtipatos.*

p. ead. lin. 36. *(39.) pro: eſt: lege: et.*

p. 161. b. ad Cap. 148. De Tribulo lacuſtri. addit: Vidi in lacu Comenſi, verſus partem Tellinae vallis.

p. ead. lin. 29. *(31.) pro: Romboidem: lege: Rhomboidem.*

p. 162. a. Lemmati iconis adſcribe: Iconem hanc Cicutae FVCHSIVS, TRAGVS et DODONAEVS exhibuerunt, deſcriptionibus eorum (TRAGI praeſertim et DODONAEI, qui folia multipliciter diuiſa eſſe dicunt) minime conuenientem, cum folia crenata tantum, non autem diuiſa ſint, et e regione ferme bina, Cicutae aquaticae a quibusdam dictae foliis ſimilia, adeo vt hanc ipſam Cicutam aquaticam eſſe putarem, ſi radix propius accederet. Aliam et veram Cicutam pinxit MATTHIOLVS.

p. ead. lin. 7. *(10.) pro: anguloſo, brachiato: lege: anguloſis, brachiatis.*

p. ead. lin. 14. *(17.) ita lege: glaber, teres, geniculatus.*

p. ead. lin. 16. *(19.) ita lege: conſperſus i. f. m. concavus, f. g. i. ſ. proferens, ſ. a. p. ramoſus.*

p. ead. lin. 40. *(46.) ita lege: Splendidis. Vmbellas.*

p. 162. b. lin. 1. pro: Pneumonante: lege: Pneumonanthe.

p. ead. lin. 2. pro: ſimilimam: lege: ſimillimam.

p. ead. lin. 35. *(37.) poſt: quinis: notetur aſteriſcus, quoniam deeſt aliquid.*

p. 163. a. lin. 14. *(15.) ita lege: durauerit flacceſcit. Deinde paulo poſt.*

p. ead. lin. 23. *(24.) ita lege: ad ſeſquiunciam.*

p. 163. b. lin. 34. *(35.) pro: ornati: lege: ornatus.*

p. ead. lin. 39. *(40.) promineant: malim legere, quam proficiant.*

p. ead. lin. 40. *(41.) dele: et.*

p. ead. lin. 42. *(43.) ita lege: ſubterfugientibus inciſa.*

p. ead. lin. 50. *(51.) pro: eius: lege: Huius (Crocus enim haec ſtamina per Synecdochen vocantur.)*

p. 164. a. lin. 2. pro: ſimilimum: lege: ſimillimum.

p. 164. b. lin. 2. ita lege: in imparem.

p. ead. lin. 5. pro: inſidente: lege: inſidentem.

p. ead. iuxta verſum 17. ſcribe in margine: Alia ſpecies eſt Glycyrrhizae, quam DIOSCORIDES deſcribit: cnius fructus Platani pilulas refert, CORDO ignota.

p. ead. lin. 29. pro: orgiarum: lege: orgyiarum.

p. 164. lin. 32. ad: ſuperior etc. addit: Hoc non contingit in horto meo, forte quia ſolum arenoſum non fuit.

p. ead. lin. 46. forte legendum: communem ei et leguminum generi qualitatem.

p. ead. lin. 47. pro: diiuidicare: lege: diiudicare.

p. ead. lin. vlt. *(53.) pro: beſſem: legerim: Sextantem.*

p. 165. b. lin 14 *(17.) pro: pyretri: lege: pyrethri.*

p. ead. lin. 33. *(41.) ita lege: intra ſe.*

p. ead. lin. 40. *(48.) ita lege: in turbinem:*

p. 166. a. lin. 10. *(45.) ita lege: quinque ſex aut ſeptem vnciarum, et mox: beſſis, malim ſextantis.*

p. 166. b. lin. 21. pro: beſſem: forte: ſextantem legerem.

p. 167. a. lin. 20. (22.) pro: beſſem: legerim: ſextantem.

p. ead. lin. 47. *(49.) pro: Echios: lege: Echii.*

p. 167. b. ad Cap. 166. De Symphyto. notat: Ego in MATTHIOLO pinxi, puto, album, purpuraſcens et mixtum.

p. ead. lin. 14. pro: habeat: lege: habet.

p. 168. b. lin. 14. et 16. *(16. et 18.) pro: beſſem: legerim: ſextantem.*

p. 169. a. lin. 6. pro: penthaphylli: lege: pentaphylli.

p. ead. lin. 17. pro: praetereunti: lege: praetereuntium.

p. ead lin. 26. pro: inuentum: lege: inuentu.

p. 170. a. lin. 32. dele: in.

p. ead. lin. 36. pro: cuius: lege: quarum.

p. ead. lin. antepenult. pro: adiunximus: lege: coniunximus.

p. 170. b. ad iconem Struthiopteris addit: Aliam et veram Struthiopterin CORDI Ge. AEMYLIVS miſit, Filici perſimilem craſſis ſolidisque foliis.

p. 172. b. ad iconem Moſchatellae addit: Vide TRAGVM. Lat. 767.

p. 175. a. Lemma iconis, quae ſiniſtrae opponitur ita enunciat: Lycoſtaphylos. T. 3. 25. p. 1002. Vocat autem Sambucum aquaticam. Lemma vero, quod e regione dextrae eſt, ita format: Cerui ſpina. T. 3. 15. p. 979. is autem Rhamnis adnumerat.

p. 176. b. Iconi inſcribatur Lemma: Anonymos etc.

p. ead. ad Cap. 9. de Piro etc. haec addit: Pirorum haec genera 50. redegi in Tabulam 1564. Octobri.

ſecundum	Figuram	Puncta
	Magnitudinem	Saporem
	Maturationem	Succum
	Colorem	Durationem etc.

p. ead. lin. 34. ad: Propſtbirn i. e. Praepoſitana addit: a praeſtantia. Vide an Bergamotta a D. CAELIO mihi demonſtrata? Videtur, niſi ſolis maculis parum differunt.

p. ead. lin. 40. ad: Speckbirn: addit: Alia ſunt Schmalzbirn no. 9. a ſapore vel ſucco dicta.

p. ead. lin. vlt. ad: Hanffbirn: addit: cauſſam nominis non reddit.

p. 177. a. lin. 11. ad: Campani: addit: an Campana vel Campanica. Videntur Schvvanzbirn vel Langbirn, nam etiam flaua et lata figura ſunt. Vide n. 32. in fig.

p. ead. lin. 30. ad: Künigsbirn etc. addit: ab excellentia: an vnſere Raegelsbirn? Puto.

p. ead. lin. 38. ad: turgida: addit: a figura. Regalibus minora ſunt.

p. ead. lin. penult. ad: Schmalzbirn: addit: a ſucco vel ſapore: Speckbirn noſtris puto. Non: nam illa ſunt ſupra n. 2.

p. 177. b. lin. 6. poſt: remorantur: inſere: hinc ſtrangulanea dici poſſunt.

p. ead. lin. 9. et 14. ad voces: Iunckfrauenbirn: etc. a ſapore adſtringente.

p. ead. lin. 9. poſt: colore: inſere: qui in caeſio rubet.

p. ead. lin. 20. pro: Κριȣγάστραι: lege: Κριογάστραι.

p. 173. a. lin. 9. ad: Augſtbirn: addit: An et noſtris Eugſtler? quaeritur.

p. ead. lin. 16. ad: glabram: addit: aſperam dicit infra n. 33.

p. ead. lin. 21. pro: habent: lege: vero.

p. ead. lin. 23. ad: Muſcatellerbirn: addit: praecocia puto.

p. ead. lin. 26. ad: nomen: addit: An potius ab odore, quam ſapore.

p. ead. lin. 35. ad: flauam: addit: Quae n. 26. recenſentur, etiam ſunt omnino flaua.

p. ead. lin. antepenult. ad: Drinkebirn: addit: An ex libralium numero?

p. 178. b. lin. 4. ad: Eyerbirn: addit: praecedentibus affinia. Vide n. 43. Noſtra Eyerbirn an alia ſunt, et aliam ob cauſam dicta?

p. ead. lin. 18. pro: Rombacea: lege: Rhombacea.

p. ead. lin. 24. ad: guſtu etc. addit: vt ſupra Honigbirn.

p. ead. lin. 26. ad: Paclemiana: addit: a loco puto.

p. ead. lin. ead. pro: Zucharinis: lege: Zuccharinis.

p. ead. lin. 31. poſt: id eſt: inſere: An quaſi Aedituana? porro addit: Vide an cognata ſint Campanicis n. 5.

p. ead. lin. 37. ad: Knauſtbirn: addit: Vide numquid ad Cotonea accedant?

p. ead. lin. 41. ad: aſperitatem: addit: Vide ſupra n. 19.

d. ead. lin. 47. pro: qui: lege: cui.

p. ead. lin. penult. ad: Glaſsbirn: addit: Etymon idem puto, vnde et mala vitrea dicta ſunt. Vide infra p. 181. Malorum ſpecie 18ua. carne obſcuri vitri modo pellucida.

p. 179. a. lin. 11. ad: Cotonearia: addit: tuberoſa vt Cotonea.

p. ead. lin. 22. ad: Weyberſterben: addit: An quia valde adſtringunt, mulieribus inſalubria ſunt?

p. ead. lin. 28. ad: Koelbirn: addit: An quia ſubrotunda, vt Kaulbirn, n. 3. quae nec ipſa plane rotunda ſunt.

p. ead. lin. 41. pro: nimium: lege: minimum.

p. ead. lin. 44. ad: Eierlinge: addit: vt et ſupra n. 27. ouata.

p. 179. b. lin. 2. ad: maxima: addit: Libralia nimirum.

p. ead. lin. 24. ad: pythmena: notat: πυθμὴν, vmbilicus, pediculo oppoſitus.

p. ead. lin. 40. ad: gritzelicht: notat: quod κριμνῶδες Graeci dicunt.

p. 180.

p. 180. b. lin. 5. ad: Gottharde: addit: alia ſunt infra n. 24.

p. ead. lin. 22. ad: Hartlinge etc. addit: An quae BAVHINVS miſit? Carpendua aut ſequentia.

p. ead. lin. 41. ad: Saffraeneke: addit: An Carpendua?

p. 181. a. lin. 33. ad: Weinſeürchen: addit: Nam et ſpeciem 29. Oxymela vocat.

p. ead. lin. 37. ad: ſyncerumque etc. addit: An inde eis nomen fecit a vino et aceto?

p. 181. b. lin. 8. ad: Gothardinis: notat: ſupra dictis n. 9.

p. ead. lin. 24. pro: roboriſque: lege: odoriſque.

p. ead. lin. 37. ad: Parelia: addit: ad imitationem Germanici nominis neſcio vnde facti.

p. 185. b. Lemmati Cap. 22. De Citrio altero. addit: Adami Pomum vocant.

p. 186. a. lin. 12. in Lemmate figurae, quae dextrae opponitur, deleatur: videtur.

p. 187. a. lin. 10. ad: ſerrata: addit: Noſtra puto non eſt ſerratis foliis, ne minimum quidem.

p. ead. lin. 15. ad: turbinatam: addit: Non talis eſt fructus noſtrae Hartrigel, ſed rotundus.

p. 188. b. lin. 5. Lemmati: Cornus: addit: ſimpliciter, mas nimirum.

p. ead. lin. 10. ad: ſatiuae etc. addit: Non ergo noſter Wild Küttinen am Albis: ſed forte Cotoneaſter, qui Curiae naſcitur.

p. 189. b. ad figuram Geniſtae anguloſae, quam deleri iubet, notat: BAVHINVS in Catalogo ſuo ad me negat, hanc eſſe Geniſtam anguloſam, de qua ſenſerit CORDVS, frutice procero; ſed Chamaeſpartium LONICERI et TRAGI. CORDI autem anguloſam deſcribit BAVHINVS.

p. 190. a. ad flores iconis addit: An lutei iſti flores non ſunt tales, Leucoii figura, etſi id dicere videatur DIOSCORIDES. Sed Piſi, vt ait BAVHINVS. porro addit: Geniſta MATTHIOLI ſimpliciter: CORDO eſt cognomine iuncea: Tu apud CORDVM Spartum Hiſpanicum pro ea appinxiſti: BAVHINVS.

p. ead. lin. 5. Initium Lemmatis Cap. 35. Ita corrige et lege: De Lycoſtaphylo maſcula ſeu ſterili. Schoenballen etc.

p. 191. a. ad Cap. 1. De Guaiaco: addit: An multum conuenit Guaiaco cum Iuglandis noſtrae ligno, colore et pondere?

p. 191. b. ad: Cap. 2. De Preſilio: notat: Addatur icon Preſilii. An Ebenus rubra dici poteſt, nam in aqua puto ſidit. Regulas bonas dat, quae chartae ſe bene adcommodant. Plura quae hoc caput aliquo modo concernunt, vide ſub notatis ad Cap. 4. infra.

p. ead. lin. 4. ad: craſſitudine: addit: Femoris craſſitudine adferri audio, ſed ad colorem praeferri minores fuſtes.

p. ead. lin. 12. ad: Bugia: addit: Bugiam puto vocant etiam corticem Berberis.

p. ead. lin. ead. ad: Cap. 3. addit: Icon addatur: et deinde ſubiicit: Differt igitur toto genere a rubro.

p. ead. ad: Cap. 4. De Santalo rubeo etc. notat: Ein hert, ruch, ſproed', ſpyſslachtig holz. (i. e. Lignum durum, aſperum, et quod in feſtucas facile finditur.) Dentiſcalpia bona inde fiunt. Lignum Sebaſtiani molle eſt, at non ſubſidit. Preſilium (Santalum) autem rubrum ſane ſidit, et ſolidum eſt, quare potius Ebeni rubrae nomen meretur. Si vras, perparum pinguedinis exudare et ebullire videtur. Lignum mihi mandenti manifeſtam acrimoniam habere videtur. Adſtrictionem nullam. Limatura vero adſtrictionem aliquam prae ſe tulit.

p. ead. lin. 23. ad: odorem: addit: ſuum quendam ſed lenem odorem puto habet, et crocum fere redolet obſcure.

p. ead. lin. 26. ad Cap. 5. De Sandalo citrino. notat: Toto genere differt.

p. ead. lin. 34. ad Cap. 6. De Sandalo albo. addit: Quod non tam colore et materia, quam odore ſaporeque a citrino diſtinguitur.

p. ead. ad Capitis 7. Lemma De Agalocho etc. addit: quod vulgo aliqui lignum Rhodium vocant, ſed aliud puto lignum Rhodium eſſe; quod habeo, ſubflauum id eſt.

p. ead. lin. 41. ad eiusd. Cap. Lemma et vocem Agalocho: addit: Ebenus Aethiopica forte, aut cognata. quae ſi ab Agallocho differt, pro eo tamen vſurpari poteſt.

p. ead. lin. vlt. ad: pectinibus addit: Ebenus Aethiopica pectines non habet; an forſan habet etiam ipſa ſed per transuerſum ſecta, iis carere videtur etc. Indica vero habet. Vide DIOSCORIDEM.

p. ead. lin. ead. ad: tuber etc. addit: an Thuiae cognatum? vel ipſa Thuia.

p. ead. et ſeq. 192. a. ad Cap. idem 7mum notat:

Aquae iniecta ſidunt { Ebenus
Buxus
Sandalum rubrum et citrinum
Agallochum ſolidum et commune.

p. 192. a. ad Cap. 8. De Taro. addit: Forte CORDVS ſecundi ſui Agallochi minora tantum fruſta expertus eſt, quae in aqua non ſubſidunt. Miſit ad me ligni Aloes partem Auguſta Ge. SIGHART. 1562. Martio, cuius libram dicebat vendi 18 Ducatis. Graue eſſe, et in aqua ſubſidere dicebat maioribus fruſtis, minora ad me miſſa erant fragilia, leuia, fiſſilia, coloris fuſci, pectinibus rectis multis (etſi non eodem modo conſpicuis in omnibus) in quorum interuallis quibusdam maculae nigrae cernuntur, oblongo ductu, quae vt coniicio, nil aliud quam reſina indurata ſunt. Odor vero aromaticus, ſi mandas vel accendas, reſina fuit ruffa ad ignem. Per transuerſum ſi ſeces, valde ſolidum, ſplendidum, et minutiſſimis maculis nigricantibus varium videtur. Sapor ſubamarus et ſubacris, ſuus. Ad cotem ſi fricem, aquam reddit ſufflauam, et ligni ſic atra puncta plura apparent, vnde Ebenum eſſe conieceris.

p. ead. lin. 12. ad: Fichtae: notat: an Fiechten Germanice, eſt Taeda?

p. ead. lin. 20. ad Cap. 9. De Taro criſpo: addit: Quod odore et ſapore multo imbecillius ſit. Radix A-

gallochi forte, cuius et DIOSCORIDES meminit. Radix nimirum debuit minus olere, ſole priuata. An lignum etiam quod Vlmae accepi, Tari genus eſt. At finem huius Capitis ſubiicit: An Taris cognatum eſt lignum illud Indicum, Aniſi odore? accende. Vide an ſidit? Non.

p. 192. Lemma Cap. 10. lin. 26. ita enunciandum forte eſſet? De Cinamono Characia?

p. ead. lin. 39. Lemmati Cap. 11. De Caſia aromatica addit: triplici -- pinxi --.

p. ead. lin. 45. ad: Folia: notat: Folium ideo vulgo dictum: Atqui CARDANVS pro Malabathro, puto, pingit.

p. 192. b. lin. 3. ad: calicibus: addit: habeo ſiccos, fructus non.

p. ead. lin. 45. poſt: eſt: inſere: nux.

p. 193. a. ad Cap. 15. De Cuci: notat: An ad Nuces Indicas pertinebit etiam teſta illa, in qua Haccanahaccam reſinam accepi? ea longa et lata eſt, digitos quatuor, rotunda fere, laeui et albicante ſuperficie, teſta duriſſima vt iuglandium. Veſtigium qua petiolus haeſerat, vnguis pollicis dimidiam fere partem ſuperiorem figura et magnitudine referebat. Dimidiam ſolum teſtam habeo, quae paulo longior quam latior eſt, oui fere ſpecie, ſed aequali ſupra infraque amplitudine.

p. ead. lin. 11. pro: euaneſcentem: forte legendum: euaneſcente.

p. 193. b. lin. penult. ad: Fauſel: addit: Hoc quod pinxi.

p. 194. a. lin. 45. ad: duplicique et ſequentia addit: Idem mox in Caſſia fiſtula dicit.

p. 194. b. lin. vlt. ad: duplexque: et ſequentia addit: Item ſupra in Nuce vomica dixit.

p. 195. a. ad: Cap. 25. De Carpeſio. notat: Piper Maurorum quod habeo, et iconem. Meminit eius ANGVILLARA nomine Croni et grani Aneſcen apud AVICENNAM.

p. ead. ad: Cap. 26. De Amomo. notat: Icon apponi poterat. Vide an Acacia.

p. 195. b. ad: Cap. 27. De Melligetta. notat: In meis 155. b. Io. CAIVS probe pinxit ad hanc deſcriptionem. DODONAEVS non item. Quaere a COLDENBERGIO. Mittat mihi folliculos omnium praeterquam minoris.

p. ead. ad: Cap. 28. De Cardamomo maiore. notat: Semen abſque folliculo miſit P. OLLINGERVS. 1561. albicans, vel rufoſuſcum: ſuperficie inaequali, oblongius paulo fere quam latum ſit. (Odorem et ſaporem hic (n. Auctor) dicit) Sal liquefactus admixtus fuit.

p. ead. ad; Cap. 30. De Cardamomo minore. addit: Miſit ad me P. OLLINGERVS 1561. granis in vno folliculo a tribus vsque ad XI. fere, feruidioribus: inaequali ſuperficie vt Staphiſagria.

p. ead. lin. 40. et 41. ad: dehiſcente: addit: Non dehiſcebant anguli illius, quod vidi et habeo. In folliculis etiam pleriſque ſumma pars acuminata eſt, et modice recurua.

p. ead. ad Cap. idem Cardamomi ſpecies ſequenti modo ordinat:

Fructus {
oblongus, magnitudine et figura fere aequalis ouo: pyri modo turbinatus. Grana Paradiſi: non ita pingit CORDVS.
iam dicto ſimilis, minor. Cardamomum maius; nulla commiſſura aperitur.
triqueter {
vtrimque acuminatus, non maior grandi auellana. Cardamomum mediocre.
minori Cardamomo etiam: quod ſolum hodie fere neſcitur.

p. 197. a. ad: Lemmatis Cap. 39. vocem: Cuculi. lin. 20. addit: Malim Coccali, quaſi κόκκια a figura.

p. ead. lin. 32. ad Lemmatis Cap. 40. vocem: Thamarindo: notat: Videtur integrum vidiſſe; notaui, vt petam a COLDENBERGIO. Qui negat ſe vidiſſe integrum.

p. 199. b. lin. 4. ad Lemma: Cap. 52. De Folio Caſſiae addit: Icon ponitur infra p. 212. b. (Idem hoc eſt folium quod exhibemus inter figuras ſculptas Tab. 20.)

p. 200. a. ad iconis Schoeni radicem notat: Radix puto inutilis eſt, foliorum partes ſuperiores optimae; habent enim acrimoniam. Inferius adiuncta folia lenta et tenacia, vetera, amara ſunt et inutiliora.

p. ead. ad iconem Nardi Indicae notat: Notaui, vt a COLDENBERGIO petam. Noſtri Pharmacopolae ſingulis fere tantum ſpicis viderunt. (Nardum.)

p. ead. lin. penult. ad: florum vice: addit: Folia non ſunt florum vice.

p. 200. b. lin. 20. pro: flores: legendum potius: folia.

p. ead. Lemmati Cap. 57. De Crethamo. ſubiice: Icon ſequitur.

p. 201. a. Iconi Crethami, quae ſiniſtrae opponitur: adſcripſit: Vix probo.

p. ead. Figurae Rhabarbarici, quae dextrae reſpondet, addit: Ex KENTMANNO. Videtur Lapathum rotundum montanum. et porro: Vidi.

p. ead. lin. 2. in Lemmate Cap. 58. pro: Rhabarbaro: lege: Rhabarbarico.

p. ead. lin. 13. ad: Cap. 59. De Centaurio maiore. addit: Aliam eius deſcriptionem MEVRERVS miſit.

p. 201. b. ad iconem Centaurii maioris notat: An monebo, naſcentem primum talem fuiſſe? Et porro: Maior fiat flos vt in Carduo. Anno 1561. Auguſti principio poſui in arena radicem recentem. Noſtra induratur cito, et exterior radicis pars a neruo interiore recedit.

p. ead. lin. 25. ad: circulos: et ſequentia addit: In recentiore hoc melius apparet.

p. ead. et p. 202. a. ad: Cap. 60. De Coſto albo. et Cap. 61. De Coſto flauo. notat: Coſtus ille Noui orbis ab horum vtroque differt.

p. 202. a. ad Cap. 63. De Thapſia maiore Lemma addit: Icon ſequitur. et porro: Minor eſt infra Cap. 74.

p. 202. b. lin. 1. pro: Tapſia: lege: Thapſia. et porro ad iconem eius notat: Puto ex MATTHIOLO.

p. 203. a. lin. 39. Lemmati Cap. 68. ad finem adde: duplici: et primum longa.

p. 203. b. lin. 8. in Lemmate: Cap. 69. poſt: rotundam: inſere: aut foeminam.

p. ead. ad Cap. idem 69. addit: Paulus OLLINGERVS miſit 1561. Auguſto.

p. ead. lin. 16. Lemmati Cap. 70. ad finem adde: ſeu Cypero Indico.

p. 204. a. lin. 25. ad Lemma Cap. 74. De Thapſia minore: notat: Maior eſt ſupra Cap. 63.

p. 204. b. lin. 3. in Lemmate figurae, quae ſiniſtrae obiicitur poſt: albus: inſere: qui et mas.

p. ead. lin. ead. ad figuram dextrae oppoſitam notat: Ex MATTHIOLO puto.

p. 205. a. ad figuram Cumini dextrae oppoſitam addit: Vide ne Ammi?

p. 205. b. ad iconis Braſſicae marinae florem notat: an anguloſus eſt flos?

p. ead. lin. 26. ad: noſtrati Abſinthio: notat: At icon ex Italia non eſt talis.

p. 210. ⁎. a. Figura maior, quae dextram obtinet, ſignetur littera B. minor vero ſiniſtra littera A. ad B. notat: Ex Libro KENTMANNI.

p. 212. b. Lemma figurae, quae ſiniſtrae opponitur ita lege: Folium Caſiae. ad Cap. 52. lib. 4. pag. 199. b. ad figuram folii huius ipſam addit: Vide CORNARIVM in Malabathro DIOSC. Lib. 1. Cap. 11. folium hoc latitudine pollicis, tribus venis laurino ſimile, ſicut et fructum baccis Lauri ſimilem ſe obſeruaſſe ſcribit: ad eandem figuram porro notat: Folium cum parte ſurculi a P. OLLINGERO miſſum 1561. quod hic prius impreſſum fuit, nec ſatis latum inferiore parte, pictor emendare conatus eſt, melius autem ſeorſim appinxit ad A. (Figuram hanc correctam vna cum reliquis exhibemus inter figuras ſculptas Tab. 20. vbi plura ſuo loco de his notabuntur.)

p. ead. Lemmati figurae, quae dextrae reſpondet, nempe Eleagni Cordi addit: Vide BELLONIVM De arboribus ſylueſtribus colendis. 36. a. f. †. vbi ad CORDVM refert. porro haec addit: Non inuenio in praecedentibus. Deſcribere debuerat Lib 3. ſed aeque in Sylua. Eſt Gagel inferioribus Germanis.

p. 213. a. ad Lemma figurae et vocem: Tulipa etc. addit: Narciſſi ſpeciem facit MATTHIOLVS in vltima editione latina.

p. 213. et 214. ad Cap. de Chamaeceraſo montana notat: An ſic ordinanda erit?

Chamaeceraſus
- vrbana, Emmere, vel potius Zvvergkrieſe KREICHIVS apud Miſenos habet. Vt Macedonica ſint Emmere.
- Sylueſtres
  - Arbuſculae
    - Syriaca Mahaleb, Tintenbeere.
    - Bergkrieſe maior.
    - Arbutus.
  - Frutex vel ſuffrutex, kleine Bergkrieſe
  - Herba.
    - Ciſthus.
    - Fragaria.

p. 214. a. lin. 26. ad: iecinoroſos etc. addit: An Fragariae etiam radix iecinoroſis et lienoſis vtilis ſit? Videtur ſane: vt et Pentaphylli puto.

p. 214. b. ad finem Capitis de Chamaeceraſo etc. addit: Eſt praeterea arbor, parua plerumque, quae ad Ceraſos ſylueſtres referenda videtur, Rhaetis alpinis Aloſa dicta: noſtris innominata. Aliquibus Aelsbeere. An melius Elbsbeere, quaſi alpina bacca?

p. ead. lin. 27. ad: cubitalis: addit: Curiae quatuor cubitorum.

p. 215. b. in margine ad figuram ita lege: Antoniana prima ſpecies. et porro ibidem infra: Epilobium FVCHSII.

p. 216. b. lin. 6. pro: aliquoties: lege: quaedam.

p. ead. lin. 8. pro: pyretrum: lege: pyrethrum.

p. 218. a. lin. 36. pro: Lapides: lege: Oſteolithi.

p. ead. lin. 41. pro: H.S. lege: Hieronymum SCHALLERVM.

p. 219. a. lin. 13. ad: tuberoſi etc. addit: particulam talem habeo a KENTMANNO miſſam.

p. ead. lin. 45. ad: Thermae: addit: Vidi et ego.

p. ead. lin. 51. ad: Aro: addit: Vide p. 221. a.

p. 219. b. lin. 8. ad: cotem: addit: Tale puto accepi a MASSARIO.

p. ead. a. lin. 10. vsque ad 25. ad: Aetites: addit: Tales et mihi idem puto dedit.

p. ead. lin. 19. ad: Anshelmus: addit: ANSO noſter nimirum.

p. 220. a. lin. 32. ad: Creta etc. addit: An quam accepi hic a MICHAELE vel a SPORO pictore?

p. ead. lin. 40. ad: Glimmer: addit: An ad Antimonium aliquid (accedit?)

p. ead. lin. 49. deleatur: amethyſti.

p. 221. a. lin. 2. ad: Frutex: notat: Plantae ſequuntur (ex Manuſcripto diſſecui)

p. ead. lin. 21. ad: Scrophulariae: notat: an quam BVMANNVS mihi attulit?

p. ead. lin. 22. ad: venenata: addit: Qu? an ſimilem miſit DALECHAMPIVS in iconibus meis 189. b.

p. ead. lin. 31. ad: perennis: addit: An Steinpoley?

p. ead. lin. 38. ad: Trifolia: addit: Laburnum puto.

p. ead. lin. 49. ad: iulos: notat: an Tiliae iulos ferunt?

p. ead. lin. vlt. ad: Auo: addit: An Aro, ſupra? 219. fol. a.

p. 221. b. lin. 1. ad: Ruta: addit: Pelecinus fruticoſus.

p. ead. lin. 2. pro: colore: forte legendum: flore.

p. ead. lin. 5. ad: Hyacinthus: addit: an Hyacinthus FVCHSII, vel Bulbine quaedam?

p. ead. lin. 11. ad: Narciſſi: addit: Bulbus quidam.

p. ead. lin. 17. ad: Herba: addit: Dipſaco cognata; aues edunt ſemina puto.

p. ead. lin. 30. ad: Hippion: addit: ad Gentianas.

p. ead. lin. 33. ad: Maiele: addit: An Germanice: Lerchenblümle? Placet. Florere puto Maio illic.

p. ead. lin. ead. ad: dodrantalis: addit; An breuior ſemper nobis?

p. ead. lin. 36. poſt; minor: inſere: Bergzyland.

p. 221. b. lin. 38. ad: Herba etc.: addit: Pinguiculae meae, quae tamen coliculos plures habet, cognata.

p. ead. lin. 43. ad: Lunaria: addit: Lunaria FVCHSII minor.

p. 222. a. lin. 25. ad: Petaſitis: addit: An Petaſitis ſyluestris potius?

p. ead. lin. 49. ad: Hippomarathro: addit: Miſit etiam VOLMARIVS mihi.

p. 222. b. lin. 18. ad: Tragus: addit: Non noui. Sedi minoris forte ſpecies.

p. ead. lin. 26. ad: Cicutae etc. addit: Seſeli forte quoddam.

p. ead. lin. 29. ad: Aizoum etc. addit: Fiſchzung puto: Phyllum quorundam.

p. ead. lin. vlt. ad: Anthyllis: addit: An Vitriaria? vel an Salicornia aliquibus?

p. 223. a. lin. 5. ad: Trifolia: addit: Laburnum ſcilicet.

p. ead. lin. 20. ad: Orchocarpi: addit: An ab Orchis poteſt fieri? Nil tale in Lexico niſi ὀρχοτομεῖν, quod non placet, ſed ὀρχεοτομεῖν. Porro ſubiicit: Sentit nimirum de Periclymeno ſylueſtri DODONAEI: aut de Chamaeceraſo maiori, quem PONTISELLA Curiae in monte reperit.

p. ead. lin. 34. ad: erecta: addit: Pulegium ceruinum puto.

p. ead. lin. 39. ad: Meliſſophyllon: addit: Waldmeliſs.

p. ead. lin. 45. ad: Lupinus etc. addit: An ceu Faba illa Indica, quam habeo?

p. 223. b. lin. 1. ad: Querno etc. addit: An Eſculi?

p. ead. lin. 2. ad: tribuitur: addit: a quonam?

p. ead. lin. 27. ad: Pulmo: addit: An Epipetrum, quod habeo pictum?

p. ead. lin. 48. ad: Lacertae: addit: Crocodilus laevis meus.

p. 224. a. lin. 1. ad: Ibicum: addit: An Capricorni foeminae?

p. ead. lin. 6. ad: Porcaria: addit: χοιροπίθηκος.

p. ead. lin. 7. ad: Pauian: addit: An hoc nomen proprium eſt Hyaenae?

p. ead. lin. 10. ad: Cuniculis: addit: an Criceti?

p. ead. lin. 25. ad: Piſciculi: addit: Pfellen puto.

p. ead. lin. 27. ad: Sengelen: addit: Funduli parui.

p. ead. lin. 44. ad: neruis: addit: An Vrticae BELLONII ſpecies? Pulmonis marini.

p. 226. a. lin. penult. ad: imponere etc. addit: Non ſatis apte dicta haec videntur.

p. 227. a. lin. 4. Lemma Capitis 3. ita lege: Praeparatio et coctio Vitrioli.

p. ead. lin. 9. pro: crematam: lege: coctam.

p. ead. ad: Cap. 3. notat: Vitriolum quidem factitium duntaxat, ſed purgatum, candidum prorſus redditur, aeri diutius expoſitum.

p. ead. lin. 19. poſt: recentem: inſere: coctam.

p. ead. lin. 20. pro: combuſtam: lege: robuſtam.

p. 228. a. lin. 41. ad: tres etc. addit: imo ſex vel ſeptem.

p. 129. b. lin. 38. ad: dupla: addit: Vel Sacchari lib. 8.

p. 230. a. lin. 29. ad: docebimus: addit: in Libro Norimbergae impreſſo.

p. ead. lin. 40. ita lege: Syrupus de Cichorio cum Rhabarbaro. Val. CORDI.

p. 231. a. lin. 6. ad: nigri: addit: id eſt Gagatae.

p. ead. lin. 10. ad: Onychis: addit: blaue byzant.

p. ead. lin. 13. ad: marini: addit: Meerbonen.

p. ead. lin. 15. ad: Synodontum: addit: vel Percarum minorum fluuiatilium.

p. 233. a. lin. 18. ad: Prior etc. addit: Talis et Pilati dictus eſt.

p. ead. lin. 25. ad: χείμαῤῥοι: addit: Atqui hi torrentes ſunt: vt forte non conueniant hi verſus.

p. ead. lin. 43. ad: tabulas alpinas: addit: Tabulae alpinae emendandae ſunt, vt in huius folio b. ſequetur a lin. 12. ſequ.

p. 234. b. lin. 21. pro: Fomenti: lege: Tomenti.

p. ead. lin. 26. ad: Kelberſchis etc. addit: pro Lunaria puto BECHIVS miſit.

p. ead. lin. 41. ad: Arthriticae: addit: Habeo Curia miſſam.

p. ead. lin. 44. ad: Schafſuppen: addit: An pulmonariae ſpecies? An argentina montana?

p. ead. lin. vlt. ad: ſubdulces: addit: imo acres.

p. 235. a. lin. 32. ad: Waldſchiben: addit: Sanicula alpina vel guttata.

p. ead. lin. 37. ad: Garlobsſtuden: addit: An Myrtus alpina, vel Ruſcus.

p. 236. b. poſt lineam 4. ſubiiciatur:
5) Hortenſium Germaniae ſtirpium enumeratio alphabetica.

p. 237. b. lin. 29. ad: alia quaedam: addit: vt Been rubrum vulgo dictum.

p. ead. lin. 33. pro: perpauci: lege: tantum:

p. 238. b. lin. 9. poſt: contracto: inſere: Vnde etiam aeſtates plerumque apud nos interualla frigida habent, et pluuias crebriores.

p. 239. b. lin. 10. ad: Patauinos: notat: Celebratur Patauii etiam Magnifici D. Iacobi Ant. CORTVSI hortus, in quo peregrina multa ſint: etiam Galanga. Miſit ad me Catalogum.

p. ead. lin. 15. ad: Priulanus: notat: Aloiſius ANGVILLARA in mentione Amomi Hortum Laurentii PRIVLI (Patritium Venetum vocant) Patauii ad Saracineſcam praedicat, Dedicat etiam ei partem aliquam. Habeo Catalogum.

p. ead. lin. 19. ad: Anguillara: addit: nunc GVILANDINVS.

p. ead. lin. 25. pro: Medicis lege: Medici.

p. ead. lin. 26. pro: S. Georgii: lege: Geruaſii. Vide infra p. 288. a.

p. 240. b. lin. 33. poſt: fruticem: inſere: Vuam criſpam.

p. 141. b. poſt: lin. 46. inſere: Citris germina teneriora, Auguſto nata, reſcindi debent, ne hieme pereant, et alias etiam partes inficiant.
Exemplum hoc etiam ad alias forte plantas, quae hieme reconduntur, transferri poteſt.
Nouellis aliqui addunt ſtercus vaccinum, ſed longius a radice puto.

p. 242. b. poſt: lin. 2. inſere: Quae primo anno florent,

rent, eodem fere intereunt ſub hiemem: perpaucis forte exceptis; nam de Bugloſſa longifolia ſic ſcribit CORDVS. Prima aeſtate caules fert breves; ſequentibus autem annis ex eadem radice maiores. Et Ocymoides Creticum (Qu.? et Ernroſen die fremde) primo fere anno floret. Ex Leucoiis alia primo anno florent pereuntque, alia ſecundo et durant. De Sampſucho etiam CORDVS: Semine (inquit) ſatum eadem aeſtate fructificat: cum tamen radicem perennem ei tribuat. Hyſopum quoque moſchatam, prima aeſtate florere, et tamen durare puto. Radices Medicis vtiles in herbarum genere fere perennes ſunt, non autem contra. Abſinthii enim radix cum ſit perennis, inutilis eſt, et ſuffruticum pleraeque: annuae autem vel ſemeſtres fere inutiles ſunt.

p. 242. b. poſt: lin. 48. inſere: Mures agreſtes hieme radices aliquas infeſtant, et Ranae rubetae quandoque Vitium, vt audio, Saluiae, vt autumno inprimis infeſtae: quamobrem aliqui Rutam prope Saluiam plantant, vt Rubetas abigat.

p. 243. b. lin. 9. ad: Kreichius: addit: Hic Catalogum miſit 1565. copioſum.

p. ead. lin. 16. ad: Vuoyſſelus: addit: Scripſi ei ſed non miſi.

p. ead. lin. 38. pro: Hercyniam: lege: Martiam.

p. ead. lin. 41. ad: plantaui: addit: Facile autem provenit. Iam annis aliquot habui procerum, necdum floruit.

p. ead. lin. ead. ad: Foemina: addit: Hanc BAVHINVS a FVCHSIO pro Abſinthio Pontico haberi retulit. Vide infra p. 289. b. An duae diuerſae?

p. 244. a. lin. 1. ad: Abſinthium etc. addit: Aliud etiam minoribus foliis in Alpibus creſcit, quod verum Ponticum eſſe puto.

p. ead. lin. 15. ad: Seriphium: addit: An potius Santonicum? In Valeſiorum quidem regione aliae etiam maritimae plantae naſcuntur vt Tragus herba, Tithymalli ſpecies, ni fallor, et circa Curiam, Dorycnium Monſpelii dictum.

p. ead. lin. 24. ad: recuperare: addit: Ceſpitem miſit mihi SCHMIDLAPPIVS 1562. Martii fine. Superficies latebat.

p. ead. lin. 26. ad: aliud genus: addit: Ponticum FVCHSII videtur. Vide S. (ſiccum) miſit.

p. ead. lin. 37. deleantur verba: Supinum vſque ad: vidi: in fine paragraphi.

p. 244. b. lin. 7. poſt: quidam, inſere: ſed.

p. ead. lin. 21. poſt: quibusdam: inſere: altis.

p. ead. lin. 33. ad finem paragraphi poſt: minus: adde: Vis cauſtica euidentiſſima, ſi in vlla alia radice: haec puto autem, non vt MATTHIOLVS ſua ad me contendit, narcotica, Aconito primo conuenit. Primum genus ſepticum eſſe, ſicut et reliqua, docet GALENVS. Quod ſi ſcorpii inde torpore afficiuntur, non ideo frigida dicenda eſt, vt neque Lych et Delphinium, et hominis ieiuni ſaliua.

p. ead. lin. 43. poſt: viuaciſſima eſt: inſere: radice innumeris fibris conſtante.

p. ead. lin. 52. pro: albo. Napellus a. i. h. c. c. noſtri: lege: albicante, radice diſſecta, vt Lupariae noſtrae albae.

p. 245. a. lin. 43. poſt: videtur *quibusdam*: addit: Vt ANGVILLARAE.

p. ead. lin. 45. poſt: quaerenda: addit: Caulem ad quatuor cubitos producit, leuem, multis alarum cauis interceptum, rotundum, inferius lignoſum, cortice reticulato, qui ferulae aut parui baculi vſum praebeat. Radicibus fere albidis, intus melinis, quatuor aut quinque, non profundis, in diuerſa tendentibus, dodrantalibus fere.

p. ead. lin. 46. pro: Alcaea: lege: Alcea.

p. ead. lin. 47. pro: Alcaea: lege: Alcea.

p. 245. b. lin. 18. Deleantur verba: videtur autem-vsque ad- Saponaria.

p. ead. lin. 36. ad: maturuit: addit: Et forſitan, ſi citius aut ſaepius floruiſſet, non tam diu duraſſet.

p. ead. lin. 37. poſt: Hiſpanicum R. addit: An Vlpicum?

p. ead. lin. 38. poſt: porcinum R. addit: forte porrinum melius ſcribetur, compoſito nomine ex Allio et Porro, vt apud ☉ ς Scorodopraſi.

p. ead. lin. 39. ad: Vlpicum: addit: Molyza forte erat Scorodopraſum.

p. ead lin. 42. ad: Aloe: addit: De mea puto me in appendice ſcripſiſſe.

Audio ante hiemem extrahi Aloen: et radices eius arena tegi: aeſtate in vaſe terra pleno plantari. Gaudet aqua pluuiali mediocri.

p. ead. lin. 43. ad: plurimis: addit: An falſum vt audio?

p. ead. lin. 50. ad: Alſine: addit: Species minor ſed flore maiuſculo, in Alpibus naſcitur.

p. 246. a. lin. 2. ad: Alyſſos: addit: In litteris 1562. ad me C. Aliſma meum, inquit, MATTHIOLI eſt, Alyſſon aliud.

p. ead. lin. 42. poſt: continentium: addit: FVCHSIVS inter ſpecies Ribes numerat, vt audio.

p. ead. lin. vlt. poſt: Curtii: addit: Curiae audio plures tales arbores haberi etc.

p. 246. b. lin. 30. ad: Dalechampius: addit: Prohibuit ſe nominari, ſed ſero, his iam impreſſis.

p. ead. lin. 40. poſt: Medicis: inſere: hodie quod ſciam.

p. ead. lin. 49. ad: proferre: addit: Ad me quidem non ſemel Anemones nomine inſcripta ſemina quaedam miſſa ſunt, quae tamen ſata non prouenerunt.

p. 247. a. lin. 15. ad: Eranthemum: addit: Vide an ad Anemonas etiam referri queat Elleborus niger Agyrtarum, vtpote magno flore et cum ventis forte ſe claudente.

p. 247. b. lin. 4. ad: Antorae: addit: Itali quidam, vt accepi, Ophryn FVCHSII, Antoram vocitant.

p. ead. lin. 13. poſt: videtur: addit: Ad quatuor cubitos excreſcit, ramoſa plane herba.

p. ead. lin. 51. ad: leonis: addit: An aliqui aliam, Antirrhinum puto, Os leonis faciunt?

p. 248. a. lin. 40. poſt: familiaris: addit: Facile naſci audio.

p. ead. lin. 46. poſt: vocant: addit: Miſit etiam mihi Verona CALCEOLARIVS ſpecies duas: Vnam

radicis ridiculoſae nomine ficto, quam veris fine in terram impoſui, et Iulii fine cum effoſa terra inſpicerem, viuentem reperi.

p. 248. b. lin. 37. ad: alit: notat: Quaere a CONDEBERGIO.

p. ead. lin. ead. pro: flore ſingulari: lege: floribus plurimis, quorum ſinguli ſingulis petiolis ſuſtinentur breuibus.

p. ead. lin. 39. poſt: raris: addit: Ea mihi iam 1561. biennium durauit, florere aliquando Decembri incipit, deinde niuibus interpellata ſilet: at vere primo iterum floret vsque ad Paſcha et vltra.

p. 249. a. lin. 26. poſt: anno: inſerit: et poſtea etiam 1561. quarto.

p. ead. lin. 33. pro: qui forte B. p. fuerit: lege: Vide an Bulbus THEOPH. tunicatus ſit.

p. 249. b. lin. 14. ad: Macedonica: addit: Quaere a DALECHAMPIO, an ſit illa Lugdunenſium magna rotunda.

p. ead. lin. 20. poſt: Syria: inſere: quidem.

p. ead. lin. ead. ad: Nabach: notat: Faba Graeca, vt DALECHAMPIO videtur, inter Loti ſpecies PLINIO eſt.

p. ead. lin. 30. ad: Lotaſter: notat: Vide in Libro eius de cicurandis arboribus ſylueſtribus: non in libro de alendis arboribus ſylueſtribus. p. 39. et 47. vbi nomen habet.

p. 250. a. lin. 9. ad: Barba caprina: addit: 1561. Iulio herbam totam inſecta quaedam eroſerant.

p. ead. lin. 38. ad: Bellis: addit: Loco vmbroſo pulchrius creſcere audio. Mulierculae noſtrae aliquando e iugulatis gallinis ſanguinem ad bellidis hortenſis et Veronicae plantas, (quarum praeſertim albi ſunt flores) guttatim affundunt, et ita colorem album guttis rubris diſtinctum fieri putant; ego vix crediderim.

p. ead. b. lin. 42. ad: ſylueſtris: notat: CORDVS, puto, quandam ceu Braſſicam ſylueſtrem deſcribit.

p. 251. a. lin. 1. poſt: Bulbus F. addit: THEOPHRASTI bulbus tunicatus eſt, puto.

p. ead. lin. 29. poſt: acris: inſere: G. (i. e. GESNERI.)

p. ead. lin. 31. ad: Calamintha aruenſ: notat: Reptat longe lateque ſuis radicibus, et prae nimia viuacitate euelli vix poteſt, vbi ſemel apprehendit.

p. ead. lin. 32. poſt: loco: inſere: mihi.

p. 251. b. lin. 10. ad: Capparis etc. notat: COLDENBERGIO ex horto RVRPODII amicus quidam miſit pro Cappari Lycoctonum primum DODONAEI, pro Cytiſo Coluteam, pro Thapſia Cretica Peucedanum verum; vide inferius in Cytiſo et Peucedano.

p. ead. lin. 44. ad: Caryophyllus: addit: Caryophyllus Turcicus, Steinnaegele, foliis Saponariae G.

p. 253. a. lin. 5. poſt: forte: inſere: vnius aut.

p. ead. lin. ead. poſt: vrbe: addit: ad partem laeuam aſcendendo.

p. ead. lin. 22. poſt: Ae. K. inſere: G.

p. ead. lin. vlt. poſt: Italis: inſere: quibusdam.

p. 253. b. lin. 8. ad: Oculus etc. addit: Quaere ab ANGVILLARA.

p. ead. lin. 24. ad: ſeres: addit: Nos Iulii fine ſeuimus 1561.

p. ead. lin. 41. ad: Cicutaria: notat: Myrrhis FVCHSII.

p. 254. a. lin. 10. ad: Funccius: addit: Malos Neranzios duos habuit, quorum vnum mihi legauit, et Citrum vnum, qui iam ſemel puto floruit 1564.

p. ead. lin. 11. ad: penſili: notat: Spectabat ad Orientem, et ſolis reflexionem poſteriori parte habebat ad parietem domus: Sol autem a matutino tempore vsque ad ſecundam vel tertiam a meridie affulgebat: et aura fluuii praeterlabentis aſpirabat, grata puto et vtilis huic arbori.

p. ead. lin. 12. ad: Arantias et Limones: addit: An confert decacuminari? Petro FIGVLO puto ea, quam habeo, parte ſuperiore perierat, et reuiuiſcit.

p. ead. lin. 15. ad: vaſis: addit: In talibus vaſis plurimae fibrae radicum naſcuntur et intricantur: a primo quas vel ſecando auferri prodeſt, vere praeſertim potius quam autumno.

p. ead. lin. 17. ad: Autumno: addit: Tiguri id fit in prima Octobris ſeptimana plerumque. Anno 1565. Octobris die XII. verſus noctem pluebat, et circa ſeptimam pruinae ceciderant.

p. ead. lin. 18. ad: tepidam: addit: Anno 1564. cum frigidiſſima hiems eſſet, pomum Naranziam a M. Petro FIGVLO donatam, bicubitalem fere repoſui in cella mea vinaria, non nimis humida, et bene habuit.

p. ead. lin. 20. ad: cultu: addit: M. Iac. BVMANNVS 1564. hieme frigidiſſima arborem ſuam in cella vinaria habuit, quae folia quaedam amiſit, ſed rurſus protulit vere; non floruit tamen aeſtate, vt ſolebat, proxima.

p. 254. b. lin. 23. ad: Clymenum: addit: ANGVILLARA Cicilianam vulgo dictam, Clymenum PLINII facit non autem DIOSCORIDIS.

p. ead. lin. 41. ad: Codianum: addit: Narciſſis cognatus videtur. Vaſcula enim ſeminum ſimilia habet, ceu reliquias florum, eis praefixa. (Sed non olet.)

p. ead. lin. 46. poſt: habuerat: addit: Burmii primo vere hos flores abundare audio, dein rurſus autumno. Et forſan ſpecies non nihil a noſtris differunt.

p. 255. a. ante lineam 1. inſeratur: Comarus vide in Paliuro africana.

p. ead. lin. 31. poſt: Boeni: inſere: Boenchen.

p. ead. lin. 38. ad: Elegia: notat: Meminit Elegiae in ſingularibus BELLONIVS.

p. ead. lin. 41. ad: quibusdam: addit: Baumtropf vlceribus tibiarum aliqui imponunt.

p. 255. b. lin. 35. ad: marinus: addit: An idem ſuperiori?

p. 256. a. lin. 28. ad: autumno: addit: Sub finem Iulii mihi florebat 1561.

p. ead. lin. 38. ad: Telephium, ſequ. addit: Mea nimirum illa foliis maculoſis magnis herba. An ſpecies duae ſunt? Maior et minor. Caue ne Telephium hoc et Cerinthen confundas. Alterum naſcitur mihi nunc foliis oblongis maculis albis, 150. fere circa vnam radicem.

p. 256. lin. 49. poſt: noſtrum: inſere: et prope Spiram ad Rhenum.

p. ead. b. lin. 12. ad: audio: addit: Inde miſſus in horto mihi viret.

p. 257. b. lin. 28. ad: Seſamoides: notat: nimirum Elleborum nigrum.

p. ead. lin. 44. pro: propius quidem illud: lege: ab hoc longius.

p. 258. b. lin. 27. ad: Folia: addit: Folii vnius fructu ſuo coronati iconem mihi promiſit D. BEZA.

p. ead. lin. 41. pro: ſtupis: lege: ſtuppis.

p. 259. a. lin. 34. ad: Pedua: notat: non inuenio in CARDANI et SCALIGERI indicibus.

p. ead. lin. 39. pro: rarus: lege: rarior adhuc.

p. 259. b. lin. 18. ad: ſtuppars: notat: Tütſch: (i. e. Germanice) Buchſtaben.

p. 260. b. lin. 49. ad: colligunt: notat: Collige ſemen ſanguinariae noſtrae, graminis illius, et obſerva.

p. 261. a. lin. 15. ad: vulnerariam: addit: Herbe de Loeſards.

p. ead. lin. 22. ad: nomine etc.: addit: COLDENBERGIVS poſtea ſcripſit, ſemen hoc ex India occidua allatum differre ab Italico.

p. 261. b. lin. 1. ad: dignum: addit: SCHMIDLAPPIVS Verrucariam cichoraceam Heliotropii minoris nomine miſit 1562.

p. ead. lin. 7. ita lege: Eiuſdem genus alterum, nomine ſolum communi, Ciſſampelus etc.

p. 262. a. lin. 9. ad: viuacem: addit: Iam quarto menſe mihi viret, et duraturam ſpero.

p. ead. lin. 16. pro: Horminum: an potius legendum erit: Orminum.

p. 262. b. lin. 9. poſt: taleolis: inſere: vt experti ſumus.

p. ead. lin. 24. ad: aquifolia: addit: Ilex C. prouenit autem ei ex glande.

p. 263. b. lin. 8. poſt: interiit: inſerit: SCHMIDLAPPIVS etiam Schorndorfi nunquam perfecit ſemen.

p. 264. a. lin. 46. ad: Naegele: addit: vel Baſelnaegele.

p. 264. b. lin. 6. poſt: profert: inſerit: Poſterius Krutnaegele vocant noſtri.

p. ead. lin. 46. poſt: dixerim: inſere: vide ſupra.

p. 265. a. lin. 7. ad: aureo: addit: An his ſemina nigra, ſplendida, anguloſa?

p. ead. lin. 21. ad: Byzantio: addit: An Tulipae?

p. ead. lin. 25. ad: arundinaceum: addit: An Gladiolus Indicus?

p. 266. a. inter lin. 49. et 50. inſere: Lycoperſicum. Vide in Nuce Methel.

p. 267. b. lin. 26. poſt: Memitha C: inſerit: Flore Conſolidae maioris, luteo. Ergo haec fuerit Telephium quorundam vel Cerinthe.

p. ead. lin. ead. pro: puto intelligens: lege: alii ſic vocant.

p. 268. a. lin. 16. ad: Phalangium: notat: Phalangium et Moly differunt: COLDENBERGIVS in litteris ad me.

p. ead. inter: lin. 18. et 19. inſere: Morus alba, hic in SIMLERI horto.

p. 268. a. lin. 34. pro: prouenit: lege: viret.

p. ead. b. lin. 48. poſt: attracto: addit: Ex his genus vnum non ante D. Iohannis diem germinans, cum fructum mature perficiat, vnus aut alter ciuium noſtrorum habet.

p. 269. a. lin. 48. ad: caryophyllatum: addit: Huius puto ſpecies altera flores candidos habet, altera purpuraſcentes.

p. ead. b. lin 9. ad: creſcit: addit: Schultheſſ FVNCK ait: ſe audiſſe ab Italo quodam, Oleas vix centum annis ad fructum excreſcere.

p. ead. lin. 13. ad: plantaui: notat: Poſtea et taleas plantaui, ſed nec dum illae apprehenderunt: etſi diutiſſime virides manſerint

p. 270. a. lin. 28. ad: Ouariam: notat: Ab ouo quidem nullum inuenio adiectiuum nomen apud Auctores, praeterquam Ouatus apud PLINIVM, pro eo, quod eſt oui ſpecie.

p. 271. b. lin. 12. poſt: herba: addit: Aliam huius ſpeciem perennem Badae in ſummo monte Legerio inueni.

p. ead. lin. 35. ad: Perſica: notat: Perſica ab Auguſto menſe denominata huius menſis circa vigeſimum diem matureſcunt: minora paulo, et molliora ſeu aquoſiora, parte altera corii rubente.

p. 272. a. lin. 51. poſt: eſt: inſere: vt TRAGVS et MATTHIOLVS ſentiunt.

p. ead. lin. 52. poſt: adoleſcit G: addit: BELLONIVS et ANGVILLARA hanc arborem Abietem foeminam alio nomine Sapinum, facere videntur.

p. 272. b. lin. 53. ad: erutam: addit: Eur. CORDVS ſcribit: ſe cum terra ſua ſiue ceſpite effodiſſe, et vix tandem obtinuiſſe, vt in horto creſceret. Ego perduraſſe non puto.

p. 274 a. lin. 18. ad: Pruna parua etc.: addit: Qu.?
die Kornkriechen { minora
communiora
maiora.
porro ad haec vel ad:

p. eiusd. lin. 21. ad: altera etc.: addit: dulciora caerulea, plane orbiculata, iuglandis fere magnitudine, pulpa ſubuiridi.

p. ead. lin. 24. ad: Prioris etc.: addit: Auguſti circiter die vigeſimo vendebat miner Muter Imbenfrou, in der Kluſſ. (an? matris meae mulier apum curam habens in loco Kluſs dicto)

p. 274. b. lin. 30. poſt: Medici: inſere: Germani praeſertim cum vulgo ſuo.

p. 275. a. lin. 37. poſt: acerrimus: inſere: in plerisque altis montibus naſcens, foliis tripartitis.

p. ead. lin. 38. ad: deſtillata: addit: deſtillaui et ego, cauſtica eſt.

p. 275. b. lin. 49. ad: Olus: addit: An huic lutei, illi vero albi flores?

p. 276. a. lin. 2. poſt: minus eſt: inſere: aliud.

p. ead. lin. 22. pro: Matthioli: lege: MATTHIOLO.

p. ead. lin. 26. ad: protulit: notat: E multis ab vna radice coliculis vnus nuper circa Iunii finem me abſente floruit. Semen quidem reuerſus collegi etc. Diu durat, facile creſcit: et ipſa ſe propagat fere vt Arthritica alpina.

p. ead. lin. 31. ad: habeo: addit: Is poſtea periit hieme.

me. Baſileae Io. Iacobus WEKKERVS Medicus cum ſuperficies tota Nerii, quod iam ei floruerat, periiſſet proxima hieme nimis gelida, radice relicta et iam deſperata in Canicularibus demum noua germina a radice eruperunt.

p. ead. lin. 42. ad; Roſae rubrae etc.: addit: Io. VOGLERVS, puto, ait: ſe habere magnas roſas rubras denſis foliis, ſed quam mihi dedit, ſimplex prouenit.

p. 276. b. lin. 12. ad: ſolſtitium etc. notat: perierunt.

p. ead. lin. 44. ad: muro etc.: addit: Altera ſpecies hirſutior ea videtur.

p. 277. a. lin. 3. ad: pinguiores: addit: vt vult TRAGVS: imo Wynroesle videtur mihi pinguior.

p. ead. lin. 6. ad: candidas: addit: Steinroſen puto.

p. ead. lin. 16. ad: aſſuetam: addit: periit ſubſequuto vere.

p. ead. lin. 50. poſt: intectis: addit: poſtea apud Rhaetos in Engadina circa Scultinum.

p. 277. b. lin. 16. pro: caeſii: lege: caeſiis.

p. ead. lin. 42. pro: Lauannan: lege: Lauaman.

p. ead. lin. 49. poſt: petii: addit: tandem iis miſſis, enata eſt herba aeſtiua etc.

p. 278. a. lin. 1. ad: hyemem: inſere: virens et foliis ſeruatis.

p. ead. lin. 3. deleantur verba: Viret n. e. h. n. folia a. in. v. d. haec ſcriberem.

p. ead. lin. 10. ad: Sabina: addit: Ramum onuſtum ſuo fructu accepi Bada.
Arbuſcula vna 1564. baccas duas oſtendit, quae manent adhuc 1565.
De Sexu adde etc.

p. ead. lin. 22. ad: Sabinae ſylueſtris etc. addit: Omitti haec poterunt: ad Baerenlapp pertinent.

p. 278. b. lin. 1. ad: Sambucus montana: addit: Anno 1564. Plantaui ab dem Albis.

p. ead. lin. 4. poſt: Schvvelken: addit: Lycoſtaphylus CORDO.

p. ead. lin. 6. pro: adeo vt: legendum forte: ſed quem.

p. ead. lin. 12. pro: Sanguaro: lege: Sanguano.

p. 279. a. lin. 4. pro: conditis: an legendum erit: conſitis.

p. ead. lin. 9. ad: caeruleo: addit: Die blauen Hornungsblum.

p. ead. lin. 10. ad: Annot. Tomi 2. etc. addit: et in Libris ipſis (Belgice ſaltem editis) et radicem paruo malo comparat.

p. ead. lin. 37. poſt: abundat. inſere: et ſolum hortenſe aſpernatur.

p. ead. lin. 38. poſt: pinguibus: inſerit: quare in hortis etiam, ſi quis experiatur, locis vmbroſis facile prouenit.

p. ead. lin. 42. pro: illis: lege: illic.

p. 279. b. lin. 7. poſt: ſeptenis: inſere: aliquando nouenis.

p. ead. lin. ead. ad: candidis: notat: aut pallidis potius: ternos ſimul naſcentes vidi. 1562. Martio.

p. ead. inter: lin. 29. et 30. inſere: Scarlatinus flos. Vide in Caryophyllo Turcico.

p. ead. lin. 34. pro: Scylla: lege: Scilla.

p. 279. lin. 35. poſt: accerſitis: addit: item noſtro M. Petro FIGVLO.

p. 280. a. lin. 6. ad: porrinum: addit: Vide ſupra in Allio.

p. ead. lin. 11. pro: Matthiolus: lege: TRAGVS.

p. ead. lin. 12. ad: videtur: addit: Icon MATTHIOLI ab ea, quam TRAGVS ponit, diſtingui vix poteſt, niſi quod herbam maiorem prae ſe fert, et radicem rotundiorem.

p. ead. lin. 19. pro: exiſtimo: lege: exiſtimant aliqui.

p. ead. lin. 20. poſt: memini: addit: ac forſan idem Molyza HIPPOCRATIS eſt.

p. ead. lin. 25. ad: pinxit: notat: in prima editione: in ſecunda mutauit.

p. ead. lin. 31. pro: et: lege: ea ſiliquas ceu caudas etc.

p. ead. lin. 32. poſt: defluxerunt: inſere: praefert.

p. ead. lin. 38. poſt: Scorpius: inſere: vocatus.

p. ead. lin. 40. ad: amico: notat: a FVNCCIO affine puto.

p. ead. lin. ead. et lin. 41. Deleantur verba: qui id ab A. A. (d. d. n. ſt. i. et n.) accepit. porro addit: Nam in opinionibus Italicis ipſe dicit, Tragum ſibi ignotam eſſe.

p. ead. lin. 52. ad: facile: notat: Creſcere perhibetur peculiaris ſpecies vff den Waſſerkilchen.

p. 280. b. lin. 20. poſt: foemina G: addit: reperitur apud nos in muris, ſed minus frequens.

p. ead. lin. 28. pro: aſperſis: lege: aſperſi.

p. ead. lin. 44. poſt: ſpecies C. inſere: et G.

p. 281. a. lin. 2. ad: Schvvaden: notat: an Manna? puto.

p. ead. lin. 17. pro: eſt, neſcio quam diu duraturum: lege: neſcio, qua iniuria paulo poſt periit:

p. ead. lin. 32. pro: ni fallor: lege: vt audio.

p. ead. lin. 33. poſt: appellant: inſere: aliqui in Pregallia Rhaetorum valle.

p. ead. lin. 41. pro: adhuc v. ſed. n. cauleſcit: lege: aliquandiu virens poſtea interiit.

p. ead. lin. 43. poſt: Clymenum: addit: ANGVILLARA Cicilianam ſcribit per C.

p. 281. b. lin. 24. ad: proximo: notat: Ex ſemine tamen hoc etiam in area horti enatum mihi nunc viret 1562. Martio. Puto autem a ſuperiori aeſtate vel ſaltem autumno relictum eſſe.

p. ead. lin. 27. deleatur: et.

p. ead. lin. 42. poſt: albis: inſere: latiuſculis.

p. 282. a. lin. 2. pro: et Indicum: lege: aliqui Indicum.

p. ead. lin. 18. pro: ſimilis: an legendum erit? ſimilibus.

p. ead. lin. 20. pro: accepit: lege: acceperit.

p. ead. lin. 26. pro: eitam: lege: etiam.

p. ead. lin. 27. ad: putarim: notat: experire.

p. ead. lin. 33. pro: prodit: lege: prodat.

p. 282. b. lin. 5. poſt: torminalis: inſere: PLINII, Gallis Aliſier, G. et dele eadem verba: lin. 12.

p. ead. lin. 10. ad: cognata: notat: non placet.

p. ead. lin. 24: poſt: commiſimus: inſerit: ſuperiore tamen anno mihi prouenit, viretque et creſcit.

p. 283. a. lin. 18. pro: Achimilla: lege: Alchimilla.

p. ead. lin. 22. pro: Stychas: lege: Stichas.

p. 283. a. lin. 47. ad: plantaui etc.: addit: periit mihi intra aliquot menſes, antequam germinaret.

p. 283. b. lin. vlt. deleatur littera prior: R.

p. 284. a. lin. 5. poſt: planta: inſerit: quae paulo poſt periit.

p. ead. lin. 7. poſt: viret: addit: duratque iam diu, loco vmbroſo.

p. ead. lin. 43. pro: ille: lege: illae.

p. 284. b. lin. 17. aut ad: Cypariſſias ſequ. aut ad: Argentina lin. 18. addit: Vide an illa adſtrictoria etiam ſit Eſulae dulci cognata ?

p. ead. lin. 22. pro: qui: lege: hic.

p. ead. lin. 27. pro: Pithyuſa: lege: Pityuſa.

p. ead. lin. 28. pro: platyphillo: lege: platyphyllo:

p. ead. lin. 43. ad: Eſcorſonera: addit: Ienae abundat in monte proximo. etc. Deſcribitur a CORDO Ixopi nomine.

p. 285. a. lin. 11. pro: exhibeo: an legi debet? exhibet. (Vide ipſum MATTHIOLVM.)

p. ead. lin. 30. ad: Lugdunum: notat: D. DALECHAMPIVS non agnoſcit: meminit ANGVILLARA in Loto.

p. ead. lin. 46. pro: Vacaria: lege: Vaccaria.

p. ead. lin. 51. pro: aeris: an legendum? acris.

p. 285. b. lin. 40. pro: ſi probe memini: lege: foliis paruis et anguſtis.

p. 286. a. lin. 15. ad: Rarior: addit: quarta ſpecies. Haec odorata eſt, nec ita acutis foliis puto.

p. ead. lin. 16. ad: Rariſſima: addit: quinta ſpecies. Haec inodora eſt, puto, et acutis foliis.

p. ead. lin. 21. ad: iacere: notat: An iaceant eius coliculi, niſi aliunde fulciantur? molles enim et infirmi, flexileſque ſunt, puto, interdum oblongi.

p. ead. lin. 24. ad: maiores: addit: et odoratiores, etſi herba ipſa minor ſit.

p. ead. lin. 30. poſt: interpretantis: addit: cum illis potius ſenſerim, qui Cheiri Arabici dictum florem hoc nomine dignantur. Conuenit enim huic THEOPHRASTI deſcriptio. PLINII non item.

p. ead. lin. 44. pro: Heidiſch: lege: Heidniſch.

p. 286. b lin. 23. poſt: ſicut et: inſere: prope nos.

p. ead. lin. 31. ita lege: Matthiol. et dele verba: ni fallor, non diſtinguit: dein adde: Viburnum eſt frutex vulgo Italis Lantana dictus. Vitis ſylueſtris autem, Solanum perpetuum quorundam, Noſtra vero ſylveſtris Vitis cauſtica, Clematis.

p. ead. lin. 42. poſt: rubeant: addit: Quanquam Color genus diuerſum non fecerit: nam Vitis albae etiam duae aut tres a colore differentiae reperiuntur.

p. 287. a. lin. 2. pro: prae altis: lege: praealtis.

p. ead. lin. 16. pro: Ideae: lege: Idaeae.

p. ead. lin. 18. poſt: meliore: addit: Qu? An folia ſolidiora, non inciſa, nec decidua hieme.

p. 287. b. lin. 2. ad: Schmidlappii: notat: Supra etiam eius memini p. 239. Notata petii ab eo 1562. Martii decimo. (quae lineola ſubducta indicantur in Codice:)

p. ead. columna 1ma. inter: lin. 21. et 22. inſere: Anemone floribus rubris perpulchris.

p. ead. columna ead. lin. 28. pro: Atractylis alia Antvverp: lege: Aſter Atticus DIOSCORIDIS.

p. ead. columna 2da. lin. 14. pro: Eringium: lege: Eryngium.

p. ead. columna ead. lin. 16. pro: diuerſo: lege: diverſa.

p. ead. columna ead. inter lin. 47. et 48. inſere: Lithoſpermum maius.

p. ead. columna 3tia. lin. 19. pro: ſalſum: an legendum? falſum.

p. ead columna ead. lin. 35. ad: Pyrethrum etc. addit: ſic autem vocat Tarchon.

p. ead. columna ead. lin. 37. ad: Lugdunenſes: notat: ſunt autem e perſicis vel incarnatis vulgo dictis multiplices.

p. ead. columna ead. lin. 38. ad: multiplices: addit: rubrae.

p. ead. columna ead. ad: Satureia alba: addit: Hyſopi ſpecies albis floribus.

p. 288. a. lin. 2. ad: Michaelis: notat: Hortus Petri Antonii MICHAELIS, viri nobilis et doctiſſimi celebratur ab Aloyſio ANGVILLARA, qui etiam Amomum in eo naſci ſcribit.

p. ead. lin. 3. ad: Geruaſii: notat: ſupra p. 239. b. ſcripſi Georgii

p. ead. lin. 6. columna 1ma ad: glandiferae: notat: habeo pictum.

p. ead. columna ead. lin. 11. ad: Alliaria etc. addit: An Siegvvurtz?

p. ead. columna ead. inter lin. 11. et 12. inſere: Amomum.

p. ead. columna ead. lin. 14. pro: Aſpalatus: lege: Aſpalathus.

p. ead. columna ead. lin. 19. pro: Bellio: lege: Bellis.

p. ead columna ead. lin. 21. et 25. ad: folia: addit: An in horto?

p. ead columna ead. lin 32. ad: Chryſogonum: addit: ANGVILLARA ignorat.

p. ead. columna ead. lin. 37. pro: Elatinae: lege: Elatine.

p. ead. columna 2da lin. 25. ad: Lunaria etc. addit: An quam vidi Tyrani.

p. ead. columna 3tia lin. 16. ad: Roſae etc. addit: an Meyenroesle?

p. ead. columna ead. lin. 28. ad: vua: addit: Vide ne Faba Graeca.

p. ead. columna 4ta. lin. 8. ad: Lauroceraſus: addit: De quo lege BELLONIVM.

p. ead. columna ead. lin. 13. poſt: accipiunt: addit: Forte Cytiſus meus? Nam et is folia glutinoſa habet vt Geniſtae quaedam. Confer ſemina.

p. ead. columna ead. lin. 19. ad: Caprifolium etc. addit: Apocynon repens.

p. ead. columna ead. lin. 24. pro: mnanas: lege: manans.

p. ead. columna ead. lin. 27. ad: Smilacis: addit: An ſanguinem haec ducit? Crederem.

p. 288. a. Columna 4ta lin. 29. ad: Herba etc: addit: an Solani ſpecies?

p. ead. lin. 49. ſiue 4ta a fine. pro: parciſſima: lege: pauciſſima.

p. 288. b. lin. 18. poſt: hoc ipſo: inſere: hominis.

p. ead. lin. 30. poſt: ita vt: inſere: is.

p. ead. lin. 46. Deleatur: aut.

p. 289. a. lin. 19. pro: quanquam: lege: quamque.

p. ead. lin. 47. ad: denſeſcant: addit: atqui annuae quaedam herbae etiam denſos habent flores, vt Calendula.

p. 289. b. lin. 27. pro: reſciſci: lege: reſciſſi.

p. ead. lin. 41. pro: Tera: lege: Tora.

p. 290. a. lin. 20. poſt: tepido fere: inſere: ſuſpenſam.

p. ead. lin. ead. poſt: cum: inſere: in vaſe paulo ante plantaſſem, et.

p. ead. lin. 28. ad: ſuſpenſam: addit: WECKERVS retulit, aeſtate in terra pangi in vaſe: ſub hiemem in cubiculo tepido ſeruari, arena circa radicem aggeſta.

p. ead. lin. 33. poſt: germinet: inſerit: Interiit autem paulo poſt. Laburnum facile durat, et decacuminatum renaſcitur; vt experiundo didici.

p. ead. lin. 40. poſt: aemulum G. inſerit: Periit paulo poſt: non enim ex ſemine ſed radice procul miſſa et plantata creſcere coeperat.

p. ead. lin. 47. poſt: pingit: inſerit: plantatum cum ſua radice mihi prouenit ſub vere iam adulto: pauloque poſt euanuit, tum initio Septembris rurſus exiuit.

p. ead. lin. 48. pro: quorum ſuperficiem et h. v. o. C. quidem a. e. t. ſ. e. p. e. ſed an p. ſ. dubito: lege: qui mox vere adulto a me plantati, autem Septembris demum initio folium vnicum emiſerant, ſimile fere Vnifolio, craſſius, pediculo ad-digitos longo.

p. 290. b. lin. 1. ad: feruorem: addit: Vide an Cyclaminus tertia.

p. ead. lin. 47. pro: proxime: lege: proximae.

p. ead. inter lin. 49. et 50. inſere: Caryophyllus Turcicus: vide in Viola Mariana.

p. 291. a. ad Chamaemali genus totum notat: An hoc eſt Phyllanthemum et Aphyllanthes THEOPHRASTI? pete a COLDENBERGIO.

p. ead. lin. 9. eximatur hic verſus: Chamaemalum rubris etc. atque caetera continuentur; reponatur vero idem verſus poſt lineam 16.

p. ead. lin. 23. pro: differens: lege: differunt.

p. ead. lin. 24. pro: fera: lege: fere.

p. ead. lin. 45. poſt: marceſcunt: addit: Vide etiam in Narciſſo.

p. ead. lin. 46. et. 47. pro: bulbus annuus ſuperiore: lege: aliquando Menſe.

p. ead. lin. 50. ita lege: Cyclaminus, Italicus, orbiculatus, non oblongus.

p. ead. lin. 53. ad: Cucurbita: addit: An erecta illa BAVHINI ſine capreolis?

p. 291. b. lin. 8. pro: rudimenta [illegible] ruit mihi menſe Iunio, ſemina maturauit Septembri.

p. ead. lin. 13. poſt: accedunt: addit: figura et magnitudine: ſicuti et creſcendi ſpecie in ſummis ramulis etc.

p. ead. lin. 14. ad: Daucus Creticus: addit: FVCHSIO Bergrüble: Steinmooren.

p. ead. lin. 20. poſt: albicantes: inſerit: Inueni eundem et ſpeciem aliam ſimilem in montibus Rhaeticis circa Burmium alibique.

p. ead. lin. 21. poſt: durat: addit: DODONAEO, CORDO.

p. ead. lin. 45. pro: creſcunt, ſ. p. a. p. ſ. anno: ita lege: germinare coeperunt verno tempore, ſed parum, et aeſtate ſecuta perierunt.

p. ead. lin. 48. ad: Echium: notat: An Lithoſpermum ſupinum potius? Sane.

p. 292. a. lin. 40. pro: metuo n. n. a: ſ. q. ſt. reſcidi: lege: quamuis diligenter a me plantata, non prouenit.

p. 292. b. lin. 7. Ita lege: tenerior quam aſpera, de qua nunc dicemus, et durior quam mollis.

p. ead. lin. 17. in margine: pro: Chlaroſtictos: lege; Chloroſtictos.

p. ead. lin. 27. pro: Baubino: lege: Bauhino.

p. ead. lin. 36. pro: veluti mas: lege: vt mas videri poſſit.

p. ead. lin. 41. poſt: Zvvingero: addit: Id nuper apud nos quoque in horto Io. FVNCCII, Medici doctiſſimi florens vidi, flore rubicundo; per omnia fere ſimile Papaueri corniculato, vt vix diſcernas, ſed annua eſt herba, ni fallor, et ſapore amaro.

p. ead. lin. 46. pro: vulgari: lege: vulgare foeniculum.

p. 293. a. lin. 11. pro: educunt: lege: educant.

p. ead. lin. 26. ad: Leucoia: addit: Baſelnaegele blaulacht (Steinfarb puto vocant) et quae ex iis primo anno florent, Krutnaegele.

p. ead. lin. 44. pro: noſtrum: lege: noſtram.

p. ead. lin. 49. ad: ſuperiore: addit: 1560.

p. ead. lin. ead. ad: creſcit: addit: Vide an adhuc?

p. 293. b. lin. 24. poſt exhibita eſt: addit: Niſi idem Scorodopraſo fuerit, vt ſane videtur: cuius iconem TRAGVS dedit, non ſatis probam, ni fallor: meliorem MATTHIOLVS, ſed absque caule et flore.

p. ead. lin. 42. poſt: ſemina: inſere: eiusdem.

p. ead. lin. 43. poſt: coniicio: addit: Creuit tamen D. CAELIO e ſeminibus. Hieme poſtea periit. Et mihi hoc anno 1564.

p. 294. a. lin. 20. pro: marceſſit: lege: marceſcit.

p. ead. lin. 44. ad: hortenſe: notat: idem hoc puto Hiſpanico.

p. 294. b. lin. 13. pro: longiora: lege: anguſtiora.

p. ead. lin. 21. poſt: interiit: addit: cum reliqua ſuperficie. Septembris initio nondum rurſus emerſerat.

p. 294. b. lin. 33. poſt: aut: inſere: inſuper.

p. ead. lin. 43. ad: intereat: notat: Interiit.

p. 295. a. lin. 9. ad: Carpeſium: addit: An haec eſt herba cognata Nardo Celticae, pro Folio miſſa a CALCEOLARIO.

p. ead. lin. 13. ad: maritima: addit: Hanc quidem maritimae cognomine DODONAEVS vocat et pingit: ſed nos etiam in montibus Rhaeticis, vt in ſaxis prope Burmium inuenimus.

p. ead. lin. 18. ad: Polemonii etc. addit: Phu latifolium puto quibusdam. Eſt autem duplex, maius et minus.

p. ead. lin. 19. pro: intio: lege: initio.

p. ead. lin. 25. poſt: herba eſt: addit: Exhibetur a DODONAEO tanquam Polemonii ſpecies.

p. ead. lin. 27. pro: Polygalium: lege: Polygali.

p. ead. lin. 30. poſt: deſcriptionem: inſere: accedit.

p. ead. lin. 32. poſt: hirſutisque: addit: ſeminum ſiliquae ſubrotundae criſtatae ſunt.

p. ead. poſt: lin. 35. notat: An DODONAEVS pinxit?

p. ead. lin. 37. pro: Hiſſopi: lege: Hyſſopi.

p. ead. lin. 51. poſt: anno: inſere: mihi.

p. 295. b. lin. 9. ad: Iunii: notat: floruit poſtea me abſente.

p. ead. lin. 18. poſt: maiori: inſere: rubente.

p. ead. lin. 20. ad: viret: notat: amiſi, neſcio qua incuria.

p. ead. lin. 21. poſt: facit: addit: Creſcit etiam in monte Rhaetorum vff Tafaas.

p. ead. lin. 25. pro: Neſrin: an potius legendum? Nerſin. (Vide BELLONIVM.)

p. ead. lin. 28. poſt: ampliſſimo: deleatur: horto.

p. ead. lin. 42. poſt: Regallicum: inſere: et Lauaman.

p. ead. lin. 43. pro: guſtaui a. h. r. e. ſ. prognatam: lege: niſi Viciae fere.

p. ead. lin. 46: pro: et: lege: nec.

p. 296. a. lin. 6. ad: duraturum: addit: Anno 1561. autumno effodi. Superficiem enim omnem amiſerat, metuens ne periiſſet: ſed radices vegetae erant. Itaque rurſus plantaui.

p. 296. b. lin. 12. ad: nuce: addit: Non hinc tamen Caryitae nomen ei factum puto, ſed quia in ſummis ramulis folia, quae florem nondum maturum tegunt, auellanae magnitudine conglobata, veluti nucem prae ſe ferunt.

p. ead. lin. 14. et 15. pro: quid f. n. a. potui: lege: 1562. Martio: viret adhuc omnibus coliculis florentibus. Digna hortenſi cultu, quia et rarior apud nos ſit, et facillime creſcat in areis, aut potius media parte, loco aprico, et ad remedia caeteris Tithymallis, ni fallor, praeferri debeat: vtpote mitior tutiorque, quod vel inde coniicio, quum minime grauiter oleat, vt caeteri Tithymalli.

p. ead. lin. 25. ad: Verbeſina: notat: Eupatorio puto, adnumerat DODONAEVS.

p. ead. lin. 29. poſt: Scarlata: addit: quibusdam, Caryophyllus Turcicus aliquibus.

p. ead. lin. 49. ad: imperite: addit: GAZA puto tantum. Vide qua auctoritate?

p. 297. a. lin. 9. deleatur: dono.

p. ead. lin. 31. pro: Eringium: lege: Eryngium.

p. ead. lin. 32. poſt: elapſae: addit: anno 1560.

p. 297. b. lin. 22. ad: Aloes: notat: DALECHAMPIVS quidem omnino Aloes folium ei tribuit.

p. ead. lin. 24. pro: iuſte: lege: iuſto.

p. 298. a. lin. 7. ita lege: Hiſpanicam certe Scillam. et addit: Vide quae DALECHAMPIVS ad me de Scilla.

p. ead. lin. 27. pro: videtur: lege: videri poteſt.

p. ead. lin. ead. pro: cum: lege: ſed.

p. 298. b. in indicis addendor. columna prima linea vlt. deleantur verba: ad. ſed hoc forte cotulae genus aliquod fuerit potius.

p. ead. in columna 2da lin. 44. poſt: vrſinum: inſere 246. b.

p. 299. a. columna 1ma. lin. 10. verbis: 23. poſt etc. praemitte: 249. b.

p. ead. columna 2da lin. 35. pro: Indae: lege: Iudae.

p. 299. b. columna 1ma lin. 34. Ita lege: in Braulio Rhaetiae monte.

p. ead. columna ead. lin. 39. ad: pappeſcente: notat: Vide in iconibus meis.

p. 300. b. columna 1ma inter lin. 25. et 26. inſerit: Omiſſae ſunt multae paginae.

p. ead. columna 2da lin. 19. poſt: Aliud: inſere: Genus.

p. ead. columna ead. lin. 24. pro: diſtincti: lege: diſtinctis.

p. 301. b. lin. 3. ad: MAVRICIVM: notat: Hic nunc pharmacopolium RALLAE ſoceri habet.

F I N I S.

FRAGMENTVM HISTORIAE STIRPIVM,

A

CASP. WOLPHIO

MEDICO PHYSICO TIGVRINO

AD

CONR. GESNERI

INSTITVTVM, COMPOSITAE.

STIRPIVM LIBER PRIMVS.

(*Deeſt initium.*)

plagula B. p. 7. a. ⁂ Scobe abiegna virides Vuae cuſtodiuntur, id quod ex *Plinio* docet, *Columella* de re ruſtica Lib. 12. ad hunc modum. Vuae luna decreſcente et ſereno coelo poſt horam quartam, cum iam inſolatae fuerint, nec roris quicquam habent, viti detrahantur. Tum doliola noua ſine pice in ſole ſiccentur, deinde cum in vmbra refrigerauerunt, ſcobs Abiegna adiiciatur, et Vuae ita ſuperponantur, vt altera alteram non comprimat: tum generis eiusdem ſcobs infundatur, et alterum tabulatum vuarum eodem modo collocetur, idque faciunt, vsque dum dolium alternatim ſcobe et vuis impleatur, mox opercula impoſita, oblinuntur, et vuas ſicciſſimo frigidiſſimoque tabulato reponunt. Eodem pene modo mala recondere docet idem Author Cap. 45. eiusdem Libri, diſpoſitis nimirum ita malis, vt floſculi ſurſum, pediculi deorſum ſpectent, neue inter ſe alterum ab altero contegatur, interponunt ſcobem abiegnam, ac tandem operculo claudunt et ſeruant. Vinum abiegnum fit eo modo, quo et reliqua eiusdem generis, diuiſis ſcilicet recenter ramis, cum fructum edunt, ſoli aut balneo aut igni admouere oportet, vti conſudent, congioque vini, minam vnam permiſcere, et poſt duos menſes transfundere, et antequam recondantur, inſolare. *Dioſc.* 5. 35. Cortex in vino ſuſpenſus, ipſum turbari aut pendulum fieri non ſinit. Mundetur igitur ab exteriori cortice, et ſcindatur in haſtulas, et colligatae ponantur in vino et maxime in vino haſtulato, quod in aeſtate facile tenax et pendulum fit. *Huldrich. Niger.* Ex cinere abiegno et caerulei ſilicis, colorem fieri, author eſt *Agricola.* Cortex abietis, vt et aliarum reſiniferarum agreſtium, quamuis adeo ductilis non ſit, vt Pinaſtri, in magno vſu tamen ruſticis eſſe conſueuit. Etenim vaſa, corbesque ac patentiora quaedam meſſibus conuehendis, vindemiisque faciunt, et praetexta tuguriorum. Ex abietis radicis capillamentis, montani praetenuia fila decerpentes, ſpectabiles lagenas, et alia vaſa nectunt, vt perhibet *Plinius.* Carbones cuiuscunque generis valent, exceptis iis, qui ex abietenis lignis vruntur. Hyphear ad ſaginanda pecora vtile. Vitia, modo purgat primo, deinde ea pinguefacit, quae ſuffecere purgationi. Quibus ſit aliqua tabes intus, negant durare. Ea medendi ratio aeſtatis quadragenis diebus. *Plin.* 16. cap. vltimo. Ex Luſſo, inquit *Theophr.* faciunt tabellas pictorias, atque codicillos vulgares, lautiores vero e praeſtantiore materie. *Plinius* 16. 39. inquit, Luſſon pictorum inuentum tabellis immortale, nullisque fiſſile rimis hoc lignum.

Sed et ad ναυπηγίαν non a veteribus ſolum Abies, ſed etiam a noſtri temporis hominibus eſt celebrata. Capiatur autem neceſſe eſt Abies humidior propter flexum. Vnde quae opacis locis ſuccreuerit, huic operi duplici nomine erit aptiſſima, primo quidem, quia longiſſima et procera admodum propter nutrimenti abundantiam, deinde vero, quia propter humiditatem facile flectatur, quae duo ad nauium fabricationem formae ratione praecipue requiruntur. Triremes itaque atque adeo nauigia longa ex ea propter leuitatem fiunt. Alexandri Magni comites prodiderunt in Tylo rubri maris inſula, arbores eſſe, ex quibus naues fiunt, quae ducentis annis durantes inuentae ſint, vt author eſt *Plinius:* quam hiſtoriam GESNERVS ad abietem refert. Apud nos quoque ex eadem naues fiunt μονόξυλαι, quae ad ſeptimum annum perdurare poſſunt. Admirationis praecipue Abies in naui, quae ex Aegypto Caii principis iuſſu, obeliſcum in Vaticano circo ſtatutum, quatuorque truncos lapidis eiusdem ad ſuſtinendum eum adduxit: qua naue nihil admirabilius viſum in mari certum eſt: CXXM modium tunc lentis pro ſaburra ei fuere. Longitudo ſpacium obtinuit magna ex parte Oſtienſis portus latere laeuo: ibi namque demerſa eſt a Claudio principe, cum tribus molibus turrium altitudine in ea exaedificatis obiter Puteolano puluere. Arboris craſſitudo quatuor hominum vlnas complectentium implebat. Vulgoque auditur 80 nummorum et pluris malos ad eos venundari vſus. etc. hactenus *Pli-*

Plinius. Sed et hoc de Abiete ad nauium fabricationem memorabile eſt, quod *Cardanus* in 8. de Subtil. refert. In tantam, inquit, magnitudinem excreſcit, vt in Zoſingen Bernenſis prouinciae Heluetiorum, pleraeque CXXX pedes longitudine ſuperent. Pars vero recta, craſſa vndique aequaliter, et enodis pedes CX. Vnde tam longo tractu Ianuam ad malos nauium fabricandos vehi merentur: ſiquidem primum per Arolam fluuium, inde Rhenum, poſt per mare Anglicum, inde Hiſpanum, demum Mediterraneum deducuntur. Trabes, antennas et malos longitudine et leuitate praeſtantes, non tamen aeque validos ex ea conficiunt. Pro malis autem nauium, caedendae Abietes in Lunae ad Solem oppoſitione, ſtatim poſt Solis occaſum, menſibus Aprili, Iulio et Septembri. In Syria et Aegypto, vbi inopia eſt Abietis, claſſes ex Cedro extruunt. Remos ex eadem parant, teſte *Theophr.* Qui remos dolant, inquit, ſingulatim cortices, pleneque auferre conantur: nam ſi ita auferantur, remus validus fiet: ſin autem permutauerint, nec pariter dempſerint, infirmus reddetur. Tubi aquarum apud nos plerumque fiunt ex Piceaſtro, ſed etiam non raro ex alba Abiete. Lignum Abietis vbi paulum in aqua moram traxerit, graueſcit et fundum petit, quod alioquin ſupernatare aſſolet.

Conſtat Abies, teſte *Cardano,* ſubſtantia aerea, igneaque, quibus parum terrae et aquae eſt admixtum; rara eſt, et (vt loquitur *Theophr.*) μανὴ καὶ σαρκώδη, et quae plurimum ſit ſortita caloris, eo quod in locis algentibus valeat perdurare, vt vult *Theoph. Rhazis* inquit: Abies eſt medicina calida & ſicca in ſecundo gradu. Eſt & aſtringens & amara, indicio eſt, quod minus quam Pinus a teredine corrodatur. Odor eius gratus eſt & reſinoſus. E lignis Abietis tempore peſtis, flamma excitata, aerem corruptum emendat; *Tabernemontanus.* Ad vlcera antiqua parant nonnulli balneum, ex foliorum Betulae et conorum Abietis ana. manipulo vno, addita Sulfuris et Vitrioli ana drachma vna, quae omnia in lixiuio et aqua decoquuntur. Ad tineam et vlcera maligna lauamentum quidam parant, ex conis abiegnis, alumine, farina ſecalis et calce viua, quibus omnibus ſimul decoctis, et tandem colatis, bis in die loca affecta lauantur. *Ex Germanico lib.* Ad pag.7.b. impetigines gallicas et alias quoque balneum fit, ex baccis Iuniperi modice contuſis, et in lixiuii et aquae purae partibus aequalibus decoctis, vna cum conis abiegnis. Aliter ad eadem paratur fomentatio, ex decoctione Saluiae ſylueſtris cum aequali portione conorum Abietis: decoquenda autem in olla, et vapor in partem affectam recipiendus. Poſteaquam vero fumus ita aliquandiu fuerit receptus, pars ipſa affecta in eandem valde calidam, demittenda, idque ſaepius in die repetatur. Balneum factum ex decoctione corticum albae Abietis, commendatur in Arthritide, et crurum tibiarumque tumoribus cum ſcabie. Cortex de Abietum ramis infuſus vino, et vinum bibitum, arenas pellit.

Reſina Abietis, cuius frequens in Medicina vſus, ſi liquida et clara, qualis officinis oleum dicitur, calida eſt et ſicca ad ſecundum gradum, amara eſt, et modice acris, odorata et tenuium partium, minimumque terrae continet, ac propterea vt Gummi teri nequit. Calefacit itaque, emollit, digerit, abſtergit, mundificat, carnem inducit, et omnino parum a temperamento Terebinthinae abeſt. Quem vero locum bonitatis in genere reſinarum ſit ſortita, necdum ſatis inter Authores conſtat. *Syluius* et alii nonnulli, qui *Galenum* ſequuntur, quartum locum ei tribuunt: praeponentes Lentiſcinam, tum Terebinthinam ponunt, poſtea Lariceam, ac tandem Abietinam, quam Picea et Strobilina ſequuntur. Alii contra, quod etiam ipſi *Galeno* 3. de compoſitione med. ſecund. genera, placuit. Strobilinam praeferunt, Abietinam vero mediam faciunt, poſtremo loco Terebinthinam laudant. Et *Dioſcorides* 1. 76. inquit. E Picea et Abiete reſinae caeteras antecedunt, odoratae enim ſunt, atque Thus odore imitantur. Verum haec facile componi poteſt controuerſia, ſi recte, quae vtrinque dicuntur, intelligantur. *Galenus* enim loco citato, ex tribus reſinis, Strobilina, Abietina, et Terebinthina, principem Strobilinam calore, ſecundam in caliditate Abietinam, poſtremam Terebinthinam eſſe dixit, vtpote quae reliquis caloris minimum poſſideat. Quemadmodum igitur, qui inter Italiae vina auſtera optima ponit vinum Italicum, alius ad qualitatem vnam ſermonem referens, alius abſolute de tota ipſius ſubſtantia pronuntians, verus deprehenditur: eadem ratione etiam inter reſinas optimam, tanquam medicamentum in multiplices vſus accomodatum, merito Terebinthinam affirmaueris, non tamen caliditate primas obtinere. Eodem modo etiam *Theophraſtus* hiſt. 9. 2. eandem praefert. Optima, inquit, reſina quae a Terebintho, ſpiſſa namque et leuiſſima, et odore gratiſſima eſt, verum pauca: ſecunda quae ex Abiete, lenior enim, quam quae ex Pino. Eſt igitur *Galeno* teſte, Abietina, calore media inter Terebinthinam, quae vtraque qualitate, caliditate nimirum et ſiccitate moderatiſſima: et πιτυινόν φύσημα, hoc eſt, Piceam et Strobilinam, quae validiſſima: acrior quidem quam Terebinthina, minus tamen quam aut Pinea et Strobilina. Conſiſtentia quoque media eſt. Pinea enim humida eſt ſeu liquida, Abietina tamen liquidior eſt, liquidiſſima Laricea, vt Author eſt *Rondelletius.* Sed et eo modo, quo exiccatur, Terebinthina diutiſſime liquida permanet, Strobilina vero cito, Abietina vero medio ſe habet loco. Porro ſicca Abietis reſina, arida, albaque, quae pro Thure aliquando in officinis venditur, eiusdem eſt temperamenti et facultatis pene, cum reſina ſicca Pini, niſi quod paulo ſit acrior, et magis abſterſiua. Sed et quaeſtione hoc quoque dignum eſt, cum Terebinthina vera rariſſime ſyncera, ſaepius adulterata ad nos perferatur, vtrum, quod officinae aliquando ſolent, recte Abietina pro Terebinthina ſubſtitui poſſit. *Syluius* atque etiam *Fuchſius* in ea ſunt ſententia, vt exiſtiment, in magno errore hodie officinas verſari, quae pro Terebinthina Abietinam ſupponant, cum haec multo illa ſit facultatibus inferior. Rationem hanc *Syluius* affert. Si *Galenus* non modo Terebin-


thinam exigebat, ſed Chiam, tanquam omnium praeſtantiſſimam requirebat, qua non dico ignorantia, ſed poena mulctandi ſunt Rhopopolae, qui ſcientes Abietinam pro Terebinthina vendunt. Igitur non Abietinam ſed Lariceam, vtpote quae Terebinthinae ſit propemodum ſimilis, et facultatibus proxima, ſubſtituendam vterque affirmat. Huic ſententiae ſe, non iniuria, mea quidem opinione, opponit doctiſſimus *Matthiolus*, Epiſtolar. lib. 5. quo in loco ex *Dioſcoridis* et *Galeni* authoritate probat, non Lariceam ſed Abiegnam praeſtantiorem eſſe. *Dioſcoridis* authoritas eſt lib. 1. Cap. de reſinis, inquiens, E Picea et ex Abiete reſinae caeteras antecedunt, odoratae enim ſunt, atque Thuris odorem imitantur. A qua *Dioſcoridis* ſententia, palam fatetur *Galenus* 3. de comp. med. ſecundum genera, ſe nihil diſſentire. Tandem vero ſuam ſententiam concludens, inquit, Ego quidem hanc (Abiegnam) pro Terebinthina ſemper ſuppeditandam ſuaderem, quippe quod Terebinthinam quadam odoris gratia ſuperet, quod aſtringat, pelluceat, et longe magis amara ſit, quam acris. *Hugo Solerius* inquit: Reſina abiegna electa, quanquam calidiorem eſſe putem et minus arromaticam, ſubſtitui tamen poteſt pro eo Gummi Elemi, quod Pharmacopolae noſtri, in glebis ſeu maſſis magnis, implexis palmarum foliis, habent.

Reſinae vel olei huius vſus eſt ad varia, tum intra corpus aſſumta, tum foris admota. Commode deuorari poteſt, butyri fere inſtar, quia denſior eſt, quam Laricis. Datur primo per ſe, vt liquida eſt ad aluum emolliendam, a drachmis duabus ad vnciam vnam vel plures, expellit humores bilioſos et cholericos. Domeſticum et familiare ad mouendam aluum *Montani* hoc eſt; recipe Lachrymae Abietis pinguis ʒij. inuoluantur in hoſtia, et cum vino deglutiantur. Ad ardores oris deuoratur reſina alba, piſi magnitudine. Oleum Abietinum, id eſt clara et lucida reſina, cum puluere ireos, phthiſicis, qui pus expuunt, vtiliter exhibetur. Ad vlcera pulmonum idem oleum, cum melle datum, valet, quemadmodum et Theriaca recens cum eodem. *incert. Alexius Pedemontanus* de remed. ſecret. deſcribit ex Terebinthina Venetiana (cuius nomine GESNERVS Abiegnam liquidam intelligit) pillulas, quas miraculoſe commendat ſtomachis phlegmaticis et cholericis prodeſſe, quaeque ſtomacho debili admodum conueniant, et reliquis partibus internis. Recipit autem Terebinthinae Venetianae (reſinae abiegnae liquidae) ℥j. lauetur aqua borraginis, aut alia cordiali octies vel decies, deinde fiat puluis ſubtilis ex Saccharo fino quantitate ℥iij. et miſceantur paulatim inter ſe, (auffertur enim eo modo Terebinthinae viſcoſitas, ne faucibus adhaereat) et vtere vbi opus fuerit. Poterit vero vtiliter adiici aliquid cinamomi, atque ita deuorari. GESNERVS exiſtimat, poſſe easdem pillulas ad ſtomachum parari ex vna parte maſticis triti, et altera Terebinthinae dictae et duabus ſacchari. Si liquor hic bibatur, ventoſos humores diſcutit, tutiſſimumque remedium eſt laterum doloribus, et ad purgandos arenulis renes, et ad arcendam earundem generationem. Quod ſi dolorem leuare conſilium ſit, et renes detergere, datur per ſe, vt liquida eſt, in ſcrupulo vno, ad drachmas ij vel iij. *Rondell.* Reſina Abietina optima pondere drachmae vnius, cum puluere ſpecier. diatragacanthi frig. et modico Rhabarbaro aliquando exhibita, paſſionibus veſicae, renum et inteſtinorum medetur, *incert.* Vrinam prouocat, arenam et lapidem pellit, *Dodonaeus.* Sumpta cum nuce moſchata et ſaccharo, magnitudine nucis, ſtranguriam ſanat. In cibis pag. 8. a. ſumptus liquor, prodeſt doloribus neruorum et iuncturarum. Terebinthina pura, quam lachrymam vulgus vocat, quoquo modo deuorata, duarum drachmarum pondere, iuncturarum dolores ſanat, et inueteratos iuuat ex ouo ſorbili, haud enim difficulter ſumitur, *Alex: Bened.* lib. 30. Intelligit autem forte hoc loco, ſub nomine lachrymae, oleum Abietinum, quandoquidem et id quoque ab aliis ad eosdem affectus intra os vſurpatur. Parat *Fumanellus* pillulas quas mirabiles vocat, pro omni iuncturarum dolore ſummo, exhibendo tres ſingulis ſeptimanis, trium dierum interuallo, ex drachma vna pulueris Iuae, qui incorporatur cum Terebinthina, vel oleo Abietis. Ad coxendicis dolorem quoque valent eadem ſumpta, ſi vtriusque drachmae duae et ſemis pro vice exhibeantur, *Matthiol.* Valet etiam podagricis, ſi frequenter ſumatur. GESNERVS huius reſinae deuorauit, quantum ſunt tres vel quatuor auellanae, et ex ea vrina adoratior quidem facta eſt, ſed longe minus quam in Larigna, nec aluus ita ſoluta, etſi aliquot horis poſt, pauca tormina ſenſerit, et crepitus alui etiam reſinam olentes. Contra Ixiae venenum poſt vomitum et purgationem, datur reſina Abiegna (alias Terebinthina) Quomodo vero commode deuorari ac ſumi per os poſſit, docet *Matthiolus.* Reſinae pillulae cultro ſunt tractandae, ac in aquam frigidam ſubmergendae, ne ita facile adhaereant. Deinde madefiat hoſtia in vino, cui pillula inuoluatur, et deuoretur. Aut euacuetur ouum a vitello et albumine, ac poſtea in corticem oui vacuum infundatur parum iulepi vel ſyrupi violacei, deinde de reſina abiegna aliquid ex cuſpide cultri immittatur, tum rurſus de Syrupo parum, ac tandem ſimul exſorbeto; ita reſinae odor in ore non deprehenditur, nec quicquam eius haeret.

Extrinſecus porro admota reſina valet ad omnia vulnera recentia, maximeque capitis, conſolidat enim et mundificat. Valet quinetiam contra excoriationes partium obſcenarum. Scabiem humidam mundificat et ſanat. *Dodonaeus.* Iniicitur reſina Abiegna acopis medicamentis apud *Galen.* ad digerendum pro halitu vapores, quarto de Sanit. tuend. Si ad ſedationem doloris medicamentum acopon paretur, Abietina imponitur ad plures vncias: in ſuppurantibus vel emollientibus vnguentis, maior quantitas poni debet, quam in ſarcoticis. Cum vero Emplaſtrum vel Vnguentum ex viſcoſis vel emplaſticis conficitur, ſufficit pauca quantitas liquidae reſinae, quae efficit, vt adhaerere poſſint. *Rondell.* Ex reſinae Abietinae vncia vna

et

et ſemis, et vitello vnius oui, atque etiam, ſi placuerit, olei roſacei vncia ſemis, ſimul mixtis, parant Chirurgi medicamentum pus mouens, ſeu, vt illi loquuntur, digeſtiuum, *Barthol. Mag.* Ad inueterata vlcera, emplaſtrum parat quidam Empiricus, quo ſaepe mirabilia feciſſe fama eſt. Recipit autem medullae cruris bouis, reſinae abiegnae et cerae, ana partes aequales. (quanquam reſinae maior portio ſit adiicienda, quod liquando aliquid euaporat) quae in partes craſſiores diuidantur, atque in imbrice concaua liquefiant hoc modo: *a* ſit imbrex ſeu tegula, *c* tripes cui innitatur, *b* vero ſubiectum vas. In medio imbricis excitetur ignis e lignis minimis, quo facto ſpecies ſupra dictas in partes diſciſſas paulatim inſperge, ſic in patellam ſubiectam materia liquata ſimul deſtillabit; quo facto adiiciatur ſalis paululum, vt ſimul liqueſcat, miſceantur poſtea omnia, colentur, et quod purius ſynceriusque fuerit, ſeruetur. Hoc emplaſtri modo bis in die imponit: aliquando linamento minimum (quantum lens eſt) aluminis vſti addit. Ad impetiginem, recipe butyri recentis lib. j. reſinae abietinae liquidae et purae vncias nouem, liquefiant ſimul, ac poſtea quod clarum fuerit effundatur in olla, cui adde Maſticis vnciam ſemis, thuris pulueriſati diligentiſſ. drachmas ij. miſceantur diligenter tam diu, quoad refrigeretur. Vnguentum hoc melius fit, ſi reſina prius candela liquata in aquam deſtillet, ac poſtea cum butyro et reliquis miſceatur. Pro Thure vero myrrha tum eſt recipienda. Hoc vnguento bis in die patiens vngatur, et ſingulis ſeptimanis ſemel in vaporario ex ſtramine auenae aut Ebulo parato, ſudet. Ante ingreſſum balnei Mithridatii aliquid in aqua fumariae diſſoluti bibat, et caueat ab aqua. Hoc quaedam matrona nobilis plurimos curauit. Ex aſſumptione glutinis Albotin, ſiue olei Abietis, multi a morbo gallico, quibus dolores, tumores et vlcera complicabantur, ſunt liberati, vt refert *Nic. Maſſa.* Impoſita vel ſola, ſpinas extrahit. Eadem chartae aut tabellae illita, muſcas apprehendit quemadmodum viſcum, *ex Matthiol.* Ex reſina hac oleum arte extrahitur, non contemnendum in Medicina. Efficaciter ſanat oculorum vlcera immiſſum, *incert.* Oleoque Abietino in vulneribus poſt vniuer- pag. 8. b. ſalia plurimum et fructus et honoris eſt conſequutus *Michael Angelus Blondus*, vt ipſemet teſtis eſt libello de vulneribus. Conficit hoc oleum cum oleo roſaceo completo, ex vna parte ſcilicet dicti olei, et duabus roſacei, aut etiam aliter iisdem commixtis pro circumſtantiarum neceſſitate. Eſt hoc, inquit, praeſtantiſſimum ſolamen in omnibus vulneribus, praecipue capitis cum fractura oſſis, vt expertus ſum pleriſque in locis Italiae. Verum etiam Sulmonae hoc praeſidio, curaui quendam adoleſcentulum, cuius ſupercilium pariter cum oculo calce cuiusdam equi abſciſſum erat, quod niſi ipſe curaſſem ſpatio vndecim dierum, nunquam crediſſem. Miranda itaque eſt iſtius olei proprietas, tam in vulneribus capitis, quam in diſſectis iuncturis et capitibus neruorum, et profundis etiam ictibus, idque non tam qualitate ſua, quam naturae proprietate et munere diuino. Fateorque ingenue, neque vel minimum dolorem aut apoſtema paſſum fuiſſe, quem praedicto oleo curauerim. Haec ille. Deſtillatur autem et ex ſicca Abietis reſina oleum, et in maiori quantitate quam ex liquida, propterea quod multum humiditatis in ſe contineat, eſtque oleum tale praeſtantioris facultatis in ſanandis vulneribus, et manantibus vlceribus. GESN.



Philologia.

Abies Latinis, vt in principio huius capitis dictum, ideo dicta eſt, quod arborum pene ſit altiſſima, et faſtigio ſuo quaſi in coelum abeat. Ab Abiete deducitur adiectiuum, Abiegnus, a, um. quod eſt materiatum ex Abiete, ſic apud *Vitruuium* legimus, Abiegnas rates, et alibi trabes abiegnas. Niſi enim cecidiſſent abiegnae ad terram trabes, Argo illa factae non eſſent, *Cicero in topicis.* Equus Abiegnus dicitur, de quo vide GESN. Hiſtoriam quadrupedum in Equo. H. h. Abiecula diminutiuum ab Abiete. Abietarius, eſt faber lignarius, ab Abietibus et aliis lignorum generibus, vt in Exodo, Faciant opera Abietarii, *Nizolius.* Nomen graecum ἐλάτη, quod abietem ſignificat, homonymum eſt, et variis ſignificationibus vſurpatur, vt paſſim apud authores legere eſt. Primum enim apud *Dioſcoridem* atque etiam *Galenum* ſcriptum legimus, τῆς ἐλάτης nomine intelligi corticoſum id, quod in ſumma palmula enaſcitur, quodque alio nomine σπάθη: a *Dioſcoride* Φοίνικος περικάλυμμα, a *Galeno* vero 8. ſimpl. ἀμφίεσμα dicitur. Sed et in hoc diſſident interpretes, quippe *Dioſcorides* corticem putat: *Plin.* Elaten vel Spathen priuatim genus Palmae cenſet, cuius fructus inuolucrum ſit. Vnde vel deceptus eſt *Plinius*, ſi de Elate *Dioſcoridis* loquatur, vt eaedem vires, quas illi imponunt, inſinuare videntur. Aut rem diuerſam tractat *Plinius*, vt refert *Braſſauol.* de ſimpl. *Galenus* quoque nomine ἐλάτης, non tantum ſummum palmulae corticem, ſed ipſum adeo recens palmulae fructus germen, τὸ τῆς ἐλάτης ἁπαλὸν ἐκβλάστημα τοῦ φοίνικος intelligit: aut, vt *Heſychius* interpretatur, ἡ τοῦ φοίνικος πρώτη ἔκφυσις: aut, vt vult *Dioſcorides* ὁ περιεχόμενος ὑπ' αὐτῆς καρπός, contentus in ipſo cortice fructus. Itaque non ipſius Palmae, trunci cortex eſt forte, inquit GESNERVS, ſed corticoſum quoddam tegumentum fructus duntaxat adhuc florentis, et quaſi ἐκβλάστημα priusquam ſe aperiat, vt in herbis quibusdam, Sphondylio ſcilicet et aliis, imo vero et ipſum fructum in eo contentum ſignificat. Rurſus ἐλάτη, vt refert in Lexico *Conſtantinus* (vbi typographi potius quam authoris culpa, non ἐλάτης, ου, ſed ἡ ἐλάτη legendum videtur) extremam et latiorem rami partem in nauigio ſignificat, quae et Palma, non quidem a palma manus, ſed a Palmae arboris parte, dicitur. Aut forte ob latitudinem (ἐλᾶν enim eſt in latitudinem extendere) lata enim eſt Palma ἐλάτη, vnde etiam σπάθη, a ſimilitudine ſpatulae forte, vt et ἐλάτηρ apud *Ariſtophanem* ſignificat genus quoddam placentae latae. Sic quoque apud *Plinium* legimus lib. 33. cap. 9. laminas ducere (ἐλάσθαι)

et ſpecula fieri. Apud *Apollonium* praeterea; eodem *Conſtantino* teſte pro remo; et palmula *Vergilio*. *Homerus* Il. η. ἐπὴν κεκάμωσιν ἐΰξέςης ἐλάτῃσι, id eſt, ταῖς κώπαις. Vſurpatur etiam pro haſta, forte ἀπὸ τȣ̃ διον ἐληλᾶσθαι εἰς μῆκος: etſi ἐλᾶν proprie ſit εἰς πλάτος: vel dicitur haſta, ἀπὸ τȣ̃ ἐλαύνειν τȣ̀ς πολεμίȣς δι᾽ αὐτῆς. Apud *Euſthatium* in Il. ξ. legimus, nomen eſſe proprium heroicae cuiusdam mulieris, quae Oti et Ephialti fuerit ſoror. Rurſus vrbis nomen eſt τῆς φωκίδος μεγίςης, vt teſtis eſt *Heſychius*. et εἶδος λαχάνȣ. Denique pro arbore Abiete dicta hoc loco interpretamur.

Ab ἐλάτη deriuatur ἐλάτινος, abiegnus, et Poetice εἰλάτινος, quod *Euſthatius* in Homerum interpretatur. εἰλάτινον ἐςὶ τὸ ἐξ ἐλάτης ἢ ἐξ ἐλατίνων ξύλων γεγονὸς μετȣσιαςικῶς, καὶ ὅτι ἐξ ἐπενθέσεως ἔχει τὸ ι. Eodem modo ab *Orpheo* quoque in Argonauticis vſurpatum inuenimus. Καὶ οἱ (Minerua Iaſoni) Φηγινέην πρῶτον τεκτήνατο νῆα, ἣ καὶ ὑπ᾽ εἰλατίνοις ἐρετμοῖς ἁλιμύρεα βένθη, πρώτη ὑπεξεπέρησε etc. Rurſus apud *Heſychium*, εἰλάτινον τὸ ἐπὶ τροπέως τȣ̃ ἱςȣ̃ ἐλάτινον ξύλον. Ἐλάτινον μύρον, elatinum vnguentum, quod fit ἐκ τῆς ἐλάτης, ἣν ἔνιοι καὶ σπάθην καλȣ̃σι. Ἐλατηΐς, hoc eſt, Abieti ſimile, apud *Nicandrum*, qui μῖλον, id eſt, Taxum, Abieti ſimilem faciens, inquit: σμῖλον ἐλατηΐδα οἰταίην, hoc eſt σμῖλος φυτὸν ὅμοιον ἐςὶ ἐλάτῃ. Et *Heſychius*, μίλιον, δένδρον ὅμοιον ἐλατῆρι, ᾧ τȣ̀ς νέȣς ςεφανȣ̃σιν etc. Vbi Abietem videtur intelligere, cuius ramuli coronis inſeri ſolitae ſunt, vt inferius dicetur.

pag.9. a:

Epitheta.

Epithetorum Abietis teſtimonia apud *Textorem* haec fere ſunt, Abies dicitur audax in *Statio* propter ea, quod ex ea conſtruantur naues, quae non raro in pericula ducunt eos, qui in ea vehuntur. Criſpa a *Cicerone* in Tuſculanis quaeſtionibus, Toſti alti ſtant parietes deformati, atque Abiete criſpa, dicitur autem criſpa propter venarum obliquitatem. *Ouidius* enodem vocat, quod maior pars Abietis totius enodis ſit. Longam vocat *Vergilius*, neque immerito, eſt enim teſte *Plinio*, arborum omnium altiſſima. *Homerus* Il. ξ. eodem epitheto Abietem celebrat: his verbis: Εἰς ἐλάτην ἀναβὰς (ὕπνος ſcilicet.) περιμήκετον, ἣ τότ᾽ ἐν Ἴδῃ μακροτάτη πεφυῦα, δι᾽ ἠέρος αἰθέρ᾽ ἵκανεν. Quo in loco quid ſibi per περιμήκετον ἐλάτην intelligat, egregie ſequenti ſuperlatiuo μακροτάτης ſcilicet exponit. Et rurſus apud *eundem* Odyſſ. ε. vt citat *Athenaeus* lib. 1. ὕλη δένδρεα μακρὰ πεφύκει - κλήθρη τ᾽ αἴγειρός τ᾽ ἐλάτη τ᾽ ἦν ȣ̓ρανομήκης. Et hoc quidem epitheto vſum demonſtrat. Nigram idem *Vergilius* vocat, hoc eſt, vmbroſam. *Valer. Flaccus*, tacitam, hoc eſt, ventorum flatibus non commotam. *Claudianus* late vmbroſam. Vnctam *Vergilius*, quia naues abiegna nimirum pice oblinantur. Crinitam, Redolentem, Aptam fretis vocat *Claudianus*, vnde *Alciatus*, Apta fretis Abies in montibus editur altis, Eſt et in aduerſis maxima commoditas. Τρίσλιπον δένδρον Abietem vocat *Theophraſt*. 3. 6. Cum enim reliqua germinationem, vbi primum coeperint, continuant: ſola Pinus, Abies, Roburque eandem certis quibusdam interuallis intermittunt, vnde ter turgent, ternaque germina edunt. Et hac de cauſa ter ſquammoſae dicuntur: omnis ſiquidem arbor, cum germinat, ſquammas corticum ſpargit (πᾶν γὰρ δὴ δένδρον, ὅταν βλαςάνῃ, λιπᾶ. nam pingui ſucco redundat, vnde et cortex facilius detrahitur) Fit prima germinatio, vt ſupra fuſius dictum eſt, a principio Februarii. Secunda poſt triginta dierum intermiſſionem. Tertia vero menſe Aprili quindecim dierum interuallo. *Gaza* vt videtur, non τρίσλιποι, ſed τρίσλεποι legit: quaſi tertio decorticetur, aut tertio cortices ſpargat, cum tamen Graecum exemplar τρίσλιποι legat. Non διὰ τὸ τρὶς διαλείπειν, vt alicui videri poſſet: ſed διὰ τὸ τρισλιπᾶν, καὶ βλαςάνειν. Etenim διαλείμματα, ſeu interualla, quibus intermittit, non tria, ſed duo tantum ſunt, vt videre eſt hoc exemplo 1 - - - 2 - - - 3. Ab eodem lib. 5. cap. 2. dicitur, ἡ μὲν τετράζοος, ἡ δὲ δίζοος, per ο in penultima, aut τετράζωος, aut δίζωος per ω a ζωὴ vel ζοή Ionice vt author eſt *Conſtant*. *Gaza* tranſtulit quadripartita vel bipartita: quidam non inepte, vt refert *Conſtant*. Graecam vocem ad verbum exprimens, quadriuiuam, aut biuiuam dixit. Latinius quispiam bifidos aut quatripartitos venarum curſus habentes dixerit. Καλȣ̃σι δὲ τετραζόȣς μὲν, ὅσας ἐφ᾽ ἑκατέρα τῆς ἐντεριώνης δύο κτηδόνες εἰσὶν, ἐναντίαν ἐχȣ̃σαι τὴν φύσιν. Ἔπειτα καθ᾽ ἑκατέραν τὴν κτηδόνα ποιȣ̃νται τὴν πελέκησιν, ἐναντίας τὰς πληγὰς κατὰ κτηδόνα φέροντες, ὅταν ἐφ᾽ ἑκατέρα τῆς ἐντεριώνης ἡ πελέκησις ἀναςρέφῃ. Τȣ̃το γὰρ ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει, διὰ τὴν φύσιν τῶν κτηδόνων. Τὰς δὲ τοιαύτας ἐλάτας δετραζόȣς καλȣ̃σιν αἱ δίζοοι δὲ, κτηδόνα μὲν ἔχȣσιν μίαν ἐφ᾽ ἑκατέρα τῆς ἐντεριώνης, ταύτας δὲ ἐναντίας ἀλλήλαις, ὥςε καὶ τὴν πελέκησιν εἶναι διπλῆν. μίαν δὲ καθ᾽ ἑκατέρα κτηδόνα ταῖς πληγαῖς ἐναντίαις etc. Hoc eſt, ex *Gazae* tranſlatione: Quatripartitas appellant, quibus in vtramque partem medullae, bini venarum curſus naturae contrariae protendunt: atque per vtrumque curſum adigunt ictus, curſibus contrarios inferentes, dum in vtramque partem medullae ſecuris remeat. Ita enim eueniat neceſſe eſt, naturae venarum ratione. Ergo tales Abietes quadripartitas appellant. Bipartitae illae curſum venarum vtrum tantum in vtramque partem medullae gerunt, eosdemque inuicem contrarios habent, vt et ſecuris duplex adigi debeat, ſimplex per vtrumque curſum ictu contrario etc.

Vergilius hoc verſu docet, quae loca amet Abies. Populus in fluuiis, Abies in montibus altis. Et alibi quoque, quae eiusdem ligni ſit vtilitas, vt loquens de equo Troiano, ſectaque intextus Abiete coſtas. Et quod nauibus apta ſit 2. Georgicor. Et caſus Abies viſura marinos. Tradunt quidam, apud Benacum lacum, Abietis genus eſſe, ex quo vaſa facta, vinum remittant. *Cardan.*

In

In coronis Abietis vſus eſt, victoriae ſignum, quemadmodum Olea in Olympia. Scribit hoc *Pauſanias* lib. 8. In Iſthmo, inquit, Abies et Nemeae Apium quod (victoribus) datur, in cauſa ſunt Palaemonis et Archemori clades. Hoc ipſum et *Heſychius* videtur confirmare, ſi modo nomine ἐλατῆρος Abietem intel- pag. 9. b
ligat, aut ἐλάτη ſit legendum, quemadmodum et alibi quoque Taxo Abies confertur. μίλιον, inquit, δένδρον ὅμοιον ἐλατῆρι, ᾧ τοὺς νέους ςεφανοῦσιν ἐν ταῖς πομπαῖς. etc.

DE ABIETE MARINA.

Cap. VIII.

Abies Marina.

Figura huc pertinet, quae eſt in ſculptar. ineditar. Tab. I. fig. III.

Abies marina ex Iſtria a Valerando miſſa.

Figura eſt in ſculptis ineditis. Tab. I. fig. II.

ABIETI, de qua ſuperiori capite, ſatis multa nobis ſunt dicta, ſimiles aliae arbores in alto mari, vt teſtis eſt *Plinius*, naſcuntur, altitudine, vt ille inquit, cubitali. *Theophraſtus* quoque Lib. 4. hiſt. plant. cap. 7. non meminit tantum harum, ſed easdem his verbis deſcribit. Abietes, inquit, terrenae ſpectantur (πρόσγειοι, littoreae) et naſcuntur ſuper lapides et teſtas: carent radicibus, ſed modo patellarum adhaerent. Folium his carnoſum, oblongius, craſſumque, quam marinae Quercui, frequens, nec leguminum ſiliquis abſimile; concauum intus, nec quicquam intra ſe continens colore ad purpuram accedente. Forma tota erecta, et multicaules cum ambae ſint, ſimplicior tamen Abies, quam Quercus. Ramis longis, rectis, ſolutisque, cui magnitudo cubitalis, parum altior, maior tamen quam Quercus. Huic deſcriptioni non omnino abſimiles ſunt, iſtae duae, quas hic exhibemus, Abietis marinae figurae. Ad deſcriptionem hanc *Theophraſti* proxime accedere videtur prior haec, a nobis propoſita figura. Creſcit eadem ex lapide quoque, et recta ſurſum tota facie protenditur. In ea apparent figurae quaedam, conum Abietis aemulantes, ſurſum ſpectantes. Folia ex albo flaueſcunt. Lignum eius mollius eſt quam Quercus. Poſteriorem vero Abietis marinae nomine ex Iſtria, ad GESNERVM transmiſit *Valerandus Durretz*, a quo multa alia quoque haud vulgaria pro ſua liberalitate et humanitate idem accepit, tum pro hac de ſtirpibus hiſtoria, tum etiam pro aliis eiusdem Viri perficiendis atque adornandis operibus. Adnaſcitur haec lapidi, ſine radicibus, altitudine fere cubitali, ramis ab vno principio multis, quorum alii longiores, alii breuiores ſunt, eo fere modo, quo Corallium enaſci ſolet. Tota planta ramoſa eſt: ligno conſtat duro, (duriore quam pro Abiete, vt GESNERO videbatur) et tenaci, intus fuſco. Folia eius ſunt criſpula, et aſpectu ſubaſpera. Conſpiciun- p. 10. a.
tur in huius plantae maxime parte ſuperiore (inferiores enim ramuli his carent) frequentes et ἐπάλληλοι quidam folliculi minimi, modo ſinguli, modo bini terniue in vno ſurculo. Inhaerebat huic parte ima, materia quaedam albicans, a genere muſci latiuſculo mollique compreſſa: et ſupra eam compages ſpongioſa, lapidibus fere ſpongiarum ſimilis, albicans, mollis et friabilis, mandenti arenoſa, quae Alcyonii omnino ſpecies videtur, aut Adarcis. Atque hoc ipſum etiam nos hac figura expreſſimus. Quod ſi hanc figuram ad Abietem referre aliquis nollet, non incommode forte ad Quercum marinam retulerit, quandoquidem oblique et varie expanſos habet ramos, et eius lignum ſit Abietis ligno durius et nigrius, et naturam Quercus tota facie aemulari videatur.

DE OPERE RVSTICO ABLAQVEATIO DICTA.

Cap. IX.

ABLAQVEATIO eſt, vt inquit in Seminario *Carolus Stephanus*, ſuperuacuarum radicum, hieme potiſſimum, terra defoſſa, quae per aeſtatem ſuccreuerunt, reſectio, ne ſcilicet inutili propagatione, ſuccum ipſi matri neceſſarium, eripiant. Græcis dicitur ῥιζοτομία: et ablaqueare, Graeci dicunt ῥιζοτομεῖσθαι, περιαιρεῖσθαι γυμνοῦν σκαπάνῃ τὰς ῥίζας. *Hermolaus* in Theophraſti hiſtoria 9. cap. 7. περικαθαίρειν, quod *Gaza* ablaqueare transtulit, interpretatur pro eo, quod eſt fibras omnes reſecare atque ſic purgare: ego, inquit GESNERVS, corticem detrahere, vel ſaltem radere dixerim. *Iulius Pollux* aliis verbis, eandem ſententiam expreſſit:

ἀνασύραι, inquit, *τὴν γῆν, ὡς μὴ κατα πνίγοιτο τὰ Φυτὰ*, hoc eſt, ablaqueatio eſt detrahere plantis terram, ne ſuffocentur, lib. 1. cap. 12. Germani dicunt: den raeben oder baumen entvverffen, vmbgraben, oder vmb die vvurzel graben und raumen, die vnnoethigen und überflüſſigen vvurzelyn abſchneyden, damit ſy nüt allen ſafft der raechten hauptvvurzen entziechend. Gallis ablaqueatio dicitur dechauſſement des arbres, quaſi diſcalceatio arborum. Itali excodicare dicunt, hoc eſt, circa Vitis radicem dolabra terram aperire, et purgatis omnibus velut lacus efficere, vt ſolis teporibus et imbribus prouocentur. Eſt autem, teſte *Plinio* lib. 17. cap. 26. commune remedium omnium arborum: ablaqueantur vero pene omnes arbores, radicesque poſt conſitionem, dum ſcilicet adhuc nouellae ſunt. Cauſa huius eſt, vt altius deſcendant, atque amplius incrementum recipiant. Praecipue vero iis hoc facimus, quibus radix prima parte terrae natare ſolet, vt Oleae et Viti: Aetatem vero grandiorem adeptae, annuas radices, et in vniuerſum per ſumma ceſpitum adhaerentes reſecari par eſt, vt inferiores plures ac robuſtiores efficiantur. Aridae praeterea abradendae ſunt. Annexae enim caeteris officiunt, et vermes in arboribus creant. Multum diſpoliare radices damnoſum eſt: non enim tam perpurgandae ſunt, quam partes ſuperiores: nam alimentum atque incrementum praebent, *Stephanus*, in Seminario. *Columella* foſſuram ſiue foſſionem illam, quae circum arborem in orbem fieri ſolet, orbem ablaqueationis vocat: Die grub die man macht, vven man den baumen entvvirfft. Dicta autem eſt ablaqueatio, a lacubus ſiue lacuſculis, quae fiunt dum ipſas radices amputamus, *Stephanus*.

DE ABRONG.

Cap. X.

ABRONG nomen Arabicum, legitur apud *Serapionem* de ſimplicibus inter medicamenta calida et ſicca ſecundi ordinis. Eſt, inquit, granum paruum punctatum nigredine et albedine, rotundum ſicut granum mes, hoc eſt robile vel faſeolus, vt habet *Pandectarius*, nullius odoris: affertur de ſeni: in ſapore ipſius eſt amaritudo, calidum et ſiccum in ſecundo gradu, ſoluit ventrem et expellit lumbricos et aſcarides, et ſoluit ſuperfluitates phlegmaticas ab inteſtinis. Hactenus *Serapio*. Iſto ſemine caremus in his partibus, *Pandectarius*. Vtrum Orobo cognatum eſſe poſſit, quoniam etiam amarum eſt: an vero Lupino ſylueſtri potius, dubitat GESNERVS.

p. 10. b.

DE ABROTONO.

Cap. XI.

Abrotonum mas.

V.
His

††. Abrotonum foemina Fuchſii
†. Abrotonum album foemina.

VI.
ſpatiis

⊕ Abrotonum foemina a Kentmanno.
† Abrotonum foemina, Criſpula Geſneri.

⊕. VII. †.
icones

Abrotonum foemina ſine floribus.

VIII.
inſeri

Abrotonum candidum montanum.

IX.
debuerunt.

ABROTONVM quia vulgaris notitiae eſt, et toto quaſi terrarum orbe cognitum, ob quotidianum ad infinitos pene morbos expetitum vſum, varia et diuerſa, in variis et diuerſis linguis ſortitum quoque eſt nomina.

mina. Arabica primo nomina multa veterum libris expreſſa reperio. Abrotonum ſimpliciter *Auerrhoes* de ſtirpium facultatibus, Alchiſon vocat, quanquam idem nomen interpres Bethonicam, ſed male transtulerit. Apud *Pandectarium* haec fere Abrotoni nomina reperiuntur; quorum tamen aliqua, ab aliis aliter quoque explicantur. Alfegiliſil, vel Alfelengeſis, et Alfelengeſif. Alſuila idem eſt, quod apud *Auicennam* Berengeſef ſecundum *Ebenbitar.* Berengeſef autem eodem interprete Abrotanum eſt. Scribitur autem alias et Berengiaſef et Berengeſif. Buzaria, Cebalargicum, Cecullum, Ceculibium, Carſum apud Galenum 6. de ſimplicibus, referente ita *Pandectario.* Cnufar, Ghaiſſum *Auicennae.* Gebarnflos, Glilaconum, Glitiacenon, quaſi γλυκὺς ἀγκὼν ex *Dioſcoride Pandectarius.* Heſum, Hanudab, Halſia, Kililek, Keiſmi, Keſum, Keiſum, Keſimi, Kakilen, Kayſum, Kimaloc, Kimaloch, Kaſum, Kraiſum. Nanaſar, Nareſul, Naſur. Pionax, Ralefac, Rapiſarchia, Rutinar, Sagarion, Saguaſora, Salguaſora, Sagnaſora, Sehebingi, Sekebinegi apud *Almanſorem* tract. 3. Sanſaron, Sarion, Safara, Saclinabiam, Saclinopus, Sguſera, Seiſegurab. *Guilandinus* contra Matthiolum ſcribens, Scheam, inquit, aut Abrotonum eſſe aut Abſinthium. Abrotonum ſylueſtre Arabes particulatim Sichen Armenicum vel Sicce vocant, alias Felengeſif, et Alfelengeſif, licet al articulus tantum apud eosdem ſit: praeterea Aluiſe, Alerage. Sed Alichiſe Abrotonum foeminam ſignificat. Berongiſis et Suaſera (quod eſt ſecundum *Ebenbitar* muſcus diaboli) Abrotoni ſpecies ſunt, Bellunenſis. Graecis quia tenerum eſt et aſpectu delicatum ἀβρότονον dicitur, et ἀβύτονον, ἀψίνθιον ſimpliciter, ἡράκλειον, χολοποιὸν, θηλυφθόριον, ἀψινθιὸδιον, πρυκάμπυλον, νεῦρα φοίνικος, κυναγχίτην, Romani ἀψίνθιον ποντικὸν, aliqui θηλύθαμνον, et γλυκὺν ἀγκῶνα vocant, vt refert in nothis *Dioſcorides.* Itali vulgo vocant Abrotono et Aurodano, permutantes B. in V. et T. in D. quod ſaepius fieri apud Italos refert *Braſſoaula.* Iisdem etiam Veronica dicitur, praecipue in foro Iulio, vt teſtes ſunt in epiſtolis *Matthiolus* et *Hugo Solerius*, cum tamen apud nos Veronica longe alia ſit planta. Rhaetis Brodano. Engadinis, Ambroedan. Praegallienſibus, Aphroeden, Abrotoni analogiam retinentes. Germani multis nominibus celebrant, Stabvvurtz, Schoſſvvurtz, Gertvvurtz, Garthagen, quod ſurculos et ſagittas extrahendi vi polleat, Garthein, Kutelkrut, Affrutſch, Gerovv, Knüttelvvurtz, Ebrich nomine Abrotani corrupto. Galli vocant Auron, Auronne, Auropne, *Braſſauolus*, et Auronum, Abronum, detractis duabus tantum litteris. Delphinatibus, de la Gabiouſe: alibi Belambroys, *Hugo Solerius.* Hiſpani Abrotono, Hierua Lombriguera. Boemi Brotan; Belgae Auroonne. Angli Sotheron vvood. Poloni Boze drzevvko. Verum haec nomina fere communia ſunt et generalia, quanquam praecipue de Abrotono mare nonnulli intelligant, vtpote quod generis quodammodo obtinuerit nomen. Peculiariter vero, mas vocatur Graecis ἀβρότονον ἄρρην, Latinis Abrotanum mas, *Plinius*, vt refert *Leonicerus*, campeſtre Origanum vocat. Germanis, Stabvvurtz menle, Gartheil, groſſe Stabvvurtz, Ganſterkrut. Gallis, Auronne masle, Hiſpanis Lombriguera macho, Germanis inferioribus, Aueroone mencken, et kleine Aueroone (mas enim Braban is, minus cognominatur, quemadmodum Abrotonum foemina priuatim maius vocatur) Foemina contra Graecis dicitur ἀβρότονον θῆλυ. Latinis Abrotonum foemina, Abrotonum montanum Plinio, Abrotonum ſylueſtre quibusdam et Camphorata, quod Camphoram quodammodo odore referat, eſt enim cum grauitate quadam odorata herba. Veſtiarium quoque cuſtodem nonnulli nominant, quod a tineis veſtes vindicet. *Ioachimus Kreich* in hortis. Italis Cypreſſo et Santolina. Germanis Cypreſſen, Stabvvurtz vvible, vvyſs Stabvvurtz, vvyſs Garthagen, vvild Stabvvurtz, vvilder Zypreſs, Garthagen, kleine Stabvvurtz, et Freuvvle Krut, Curiae Rheatorum. Gallis Cypres de Jardin, la grand Auronne, Hiſpanis Hierua Lombriguera hembre. Brabandis groote Auroone et Auroone vvüſken. Boemis Cypreſſen, Cypreſſkrut, non arbor, Polonis Cyprys. Officinis, vt notat *Hugo Solerius*, Criſpula dicitur, quanquam nos ex GESNERI ſententia peculiarem Criſpulam hic poſuerimus. Tertium Abrotoni genus ad foeminam proxime foliis et colore accedens, Graecis ἀβρότονον σικελιώτης dicitur. Latinis Abrotonum Siculum, Germanis vvolriechende Stabvvurtz, Gallis Aurone odoriferante.

Genera et ſpecies, earundemque deſcriptio.

p. 11. a.

Abrotonum in duplici differentia veteribus ſemper vſurpatum eſſe, paſſim apud Authores legere eſt, quorum alterum marem appellarunt, foeminam item alteram, vel vt *Plinius* a natali loco, quo vt plurimum prouenire ſolent, diuiſionem faciens, aliud dixit eſſe campeſtre, aliud vero montanum: atque hoc rurſus foeminam, illud marem appellauit. Vtrumque teſte *Theophraſto* ex ſuffruticum genere eſt, ſurculoſa, vrbana et coronaria herba ſemper virens et acrem odorem reddens.

1. Marem *Dioſcorides* breuiſſime his verbis deſcribit, alterum Abrotonum mas vocatur, ſarmentoſum, gracili ſemine, velut Abſinthium. *Plinius* his addit, radice conſtat vna, alte deſcendente, caeteris in ſumma terrae leuiter inhaerens. *Theophraſtus* ſemine ait abundare, nec ſine odore eſſe, atque altas radices easque rectas agere, cum ſit velut vniſtirps; craſſa eadem eſt, et lignoſa valde magnitudinis ſiccitatisque cauſa, reliquis vero de ea exeuntibus ſpargitur. Huic deſcriptioni, quae breuis admodum eſt, ex *Cordo* prolixior et planior ſubiiciatur, qui in hanc ſententiam lib. 1. de plantis. Cap. 64. eam deſcribit. Abrotonum nigrum ſeu maſculum frutex eſt, (viri nonnunquam proceritatem attingens, *Tragus*) odoratus, virgas ab vna radicis trunco profert numeroſas, et graciles ſurculos, capillatis, anguſtis, inciſis et in latitudinem diffuſis foliis plenos. (folia habet minuta, oblonga et viridia, *Ioach. Kreich* in hortis.) Flores et ſemina circa ſurculos

 nume-

numeroſos fert, (flore quidem ab imo vsque ad ſummum copioſo virgis refertis, *Tragus:* ſemine vero minutiore quam foeminae, *Matthiolus:* aeque tamen copioſo vt Amarantho, *Plinius:*) colore ad aurum inclinantes, figura Abſinthii floribus et ſeminibus reſpondentes, quamuis in plurimis Germaniae regionibus neque flores neque ſemen producat propter alſioſam naturam et noſtratis coeli frigiditatem. Radice nititur lignoſa et ramoſa. Folia et ſummas ſurculorum partes hieme amittit. Odorem habent comae eius vehementer acrem et aliquantulum grauem: ſaporem vero amarum, tenui et palatum penetranti acrimonia mixtum. Colitur apud nos in hortis. Hactenus *Cordus.* In qua deſcriptione nihil fere eſt, praeter foliorum in latitudinem diffuſionem, et radicem ramoſam, quod deſideres: In noſtro namque folia non in latum ſed in acutum deſinunt, neque radix ramoſa, ſed fibroſa viſitur, quae craſſae et ſingulari radici inhaerent, vt omnino quaſi vniſtirps et μονόῤῥιζος ſit. Et huius deſcriptionis figuram hic primo loco poſitam expreſſimus. Radicem quidem ex *Matthiolo* mutuauimus, foliorum vero atque florum figuram ex GESNERI emendatione.

2. De Abrotono foemina, non vna eſt et eadem apud plantarum ſcriptores ſententia. Doctiſſimus *Matthiolus* et poſt ipſum *Andreas a Lacuna, Fuchſium* reprehendunt, quod pro Abrotono foemina, alienam quandam plantam exhibuerit, ideoque illi aliam ſubſtituentes, Abrotonum foeminam faciunt eam, quae aliquibus Chamaecypariſſus eſt, id quod et ipſo GESNERO et quibusdam aliis diſplicere video. *Dioſcorides* foeminam paulo latius deſcribit, frutex eſt, inquit, arboris ſubaltus, foliis circum ramulos minutim fiſſis ad Seriphii Abſinthii modum, plenus flore, habens in ſummo corymbos auri ſpecie, (Flos auri colore *Plinius*) proueniens aeſtate odoratus cum quadam grauitate (iucundi odoris eſt et grauis, *Plinius*) guſtu amarus. Hanc *Dioſcoridis* deſcriptionem, Chamaecypariſſo dicto, perpulchre accommodat *Matthiolus:* primo quidem, quod arboris quandam ſpeciem repraeſentet: tum quod foliis conſtet albicantibus, minutim circa ramulos inciſis, deinde quod flos ad auri colorem accedat, in ſummo caule orbiculatus, ac denique odore eandem aemuletur. *Cornarius* in Dioſcoridem de Abrotono ſcribens, emblemate 26. hanc *Matthioli* reprobat ſententiam penitus. Somnium, inquit, eſt, fruticem, quem noſtri velut hortum Adonidis, in feneſtras exponunt, et Cypreſſum ab odore figuraque foliorum arboris eiusdem nominis appellant, alteram Abrotoni ſpeciem putare, foeminam videlicet dictam. Neque enim florem neque ſemen profert, quod quidem apud nos compertum ſit: ſed aut ſurculo ſeritur, aut vna cum radice in plantaria transfertur, etc. Et huius quidem ſententiae eſt quoque *Gualtherus Ryff.* GESNERVS ſuam ſententiam literis non expreſſit, quod ego hactenus cognouerim, niſi quod alicubi ſcribat: *Matthiolum* Chamaecypariſſum pro Abrotono foemina pinxiſſe, ſe vero aliam nouiſſe ſimpliciter aſſerit: et alibi, Abrotonum foemina meum, lignum habet praedurum, ſubflauum, vidi truncum pollice maiorem. Sed neque *Cordi* approbat ſententiam hac in re, qui Abrotonum candidum ſeu foeminam deſcribens, Abſinthium Ponticum *Fuchſii* eſſe, propter radicem nimirum, quae ſerpit, agnouit. Sed iis omiſſis, videamus nunc, quas GESNERVS figuras pro Abrotono foemina poſteritati reliquerit.

† Abrotonum foemina, hoc ſigno in ſecunda figura notata, ea eſt, quam ex *Bauhini* ſiccis depingendam curauit, herba eſt cubitali altitudine maior, fruticoſa, copioſa ramulis, in quibus folia ſunt oblonga, ſimplicia, et admodum anguſta, alternatim per caules aſcendentia, albicantia quodammodo et non nihil mollia, quaſique lanugine rara obducta. In ſummo ramorum, qui ſimplices omnino ſunt, flores multi, parui, ſingulares et auri ſpecie conſpiciuntur. Tota planta amara eſt, et ſaporem Chamaecypariſſi prae ſe fert. Hanc *Ioh. Bauhinus*, Medicus excellens, et in re herbaria optime verſatus, *Fuchſii* foeminam nunc vocari aſſerit. Inuenitur, inquit *Dodonaeus*, et tertium ab his duobus, genus prioribus minus, ramulis tenuibus, foliisque paruis, candidioribus quam foeminae, odoris ſuauiſſimi: id genus putat a Dioſcoride Siculum dictum, quod et foeminini quoque generis eſt.

3. ††. Altera Abrotoni foemina, quam Abrotoni albi nomine, ab *Aldrouando* puto, GESNERVS
p. 11. b. accepit, quaeque a priori in eadem forma hac †† nota diſtincta, ſpecie tantum nonnihil ab illa diſtans, herba eſt tenera, magis quam dicta albicans, foliis minutim in tres plerumque partes, fiſſis, ſuperne albicantibus, inferne viridibus, ſapore omnino Abrotoni noſtri.

4. ⊕. Tertia Abrotoni foeminae ſpecies, hac nota ⊕ repraeſentata, eodem nomine a D. *Kentmanno* eſt GESNERO miſſa, herba eſt tota aſpectu pulcherrima, caulem habet inaequalem, ex quo ramuli exeunt inaequaliter multi, qui aliis exiguis ramulis, et foliis oblongis et anguſtis, breuioribus tamen et latioribus, quam in ea, quae primo loco inter foeminas eſt poſita, ſuperne viridibus aut ex viridi albicantibus obſcure, inferne vero albis et mollibus, mirabiliter ſunt ornati, in quorum extremitate flores naſcuntur pulchri, parvi, in capitulis quibusdam rotundioribus, aurei coloris, qui multis conſtant paruis foliolis.

5. ✱. Quarta, GESNERO Criſpula foemina eſt, quam ex libro *Calceolarii* Veronenſis habuit, herba ſimilis Chamaecypariſſo foliis, colore, odore et ſapore. Folia e ramulis multa, parua, breuia, craſſiuſcula, aliquando et fere vt plurimum bina, iuxta ſe mutuo prodeuntia, aliquando vero a quatuor ramuli late-

lateribus, crucis inſtar enaſcuntur. Tota planta mollis eſt, lanuginoſa, et cum quadam obſcuritate albicans.

*. *Adglutinata hic eſt MSto ſchedula, haec verba manu GESNERI ſcripta habens:* Criſpula, i. e. herba Cancri, criſpa habet folia, et minuta, vt Abſinthium, obſcura.

6. *. Quintum genus Abrotoni foeminae ipſemet adhuc viuus hac forma depinxit, cum hoc titulo: Abrotonum foemina ſine floribus. Vtrum vero eadem ſit cuius ſupra in deſcriptione generali foeminae memini non poſſum ſatis certo affirmare, quando nullam ſiccam huius inueniam, nec ſatis tuto ex vnius ramuli pictura, de integra planta iudicium ferri poſſit.

7. *. Septimum ordine, Abrotoni genus eſt, quod candidum montanum vocat, ab eodem *Calceolario* illi transmiſſum; accedit haec quodammodo ad figuram Criſpulae ratione foliorum et colore: niſi quod haec cana ſunt, et ramulos ex ramis prodeuntes obtineat. Odor ejus omnino eſt Chamaecypariſſi noſtrae. Speciem quandam aliam Abrotoni, vel Abſinthii, vel Chamaecypariſſi, in ſaxoſis naſci, annotauit GESNERVS, flore flauo, vt in Abſinthio etc. colore cinereo, in valle Atheſina, quae et Garina, de qua dubitat, an ea ſit, quam Criſpulam vocauit.

Tempus quo floret et colligi debet.

Rariſſime in Germania propter ingens et durabile frigus florem prodit. *Plinio* tamen teſte menſe Auguſto floret cum Fraxino, quemadmodum et Serpillum, quae vbi coeperint, defloreſcunt. Colligi debet Autumno, potiſſimum menſe Septembri, quando ſemine grauidum fuerit. Pro Pharmacopaeis colligi herba debet Iunio, *Saladinus.* Ad prima frigora (initio Octobris) folia perdit, infuſcata primum, vti et Lilium conuallium.

Locus.

Abrotonum loca amat in primis qualitatibus quodammodo temperata: vt enim frigore, ſic nimio ſole, propter ſuam infirmitatem laeditur. Naſcitur plurimum, inquit *Dioſcorides* in Cappadocia et Galatia Aſiae et in Hierapoli Syriae. In hortis apud nos colitur mas, ſed et ſponte in collibus et campeſtribus prouenit. Vtrumque ſponte in montibus circa Ferrariam creſcit, authore *Antonio Muſa.* In Italia et Germania vulgare eſt mas in hortis, *Bauhinus.* Frontigniani oppido, quod duobus circiter miliaribus Monſpeſſulo verſus mare abeſt, in hortis viſitur, *eodem* affirmante.

Cultus.

Quoniam aerem requirit, neque nimis frigidum, nec etiam intenſe calidum, plantari debet in horto aeris temperati. *Plinius* 21. 10. Vacuum, inquit, ſponte prouenit, et cacumine ſuo ſe propagat. Seritur autem cacumine melius quam radice aut ſurculo: nec niſi negotio ſemine transfertur. Huic ſententiae repugnat quodammodo *Theophraſti* teſtimonium 1. 4. vbi ex coronariis, auulſione Abrotonum exoriri ſcribit: et alibi 6. 7. plenius idem confirmat, inquiens, Abrotonum radice aut auulſione potius quam ſemine germinat. Semine enim difficulter exit, (quod et *Plinius* admittit) nec niſi teſtis primum alatur, dum nouellum eſt, vt poſtea transplantetur, quemadmodum Adonidis hortulos emoliuntur. Seritur aeſtate, alſioſum enim eſt, atque in totum morbo obnoxium, etiam vbi ſol vehementer illucet. Sed cum conualuerit, creueritque, magnum, robuſtum atque arboraceum conſtat, quemadmodum Ruta, niſi quod hoc lignoſius et ſiccius et ſquallidius eſt. Vnde exiſtimandum a Germanis Gertvvurtz aut Stabvvurtz, quaſi Virgiradicem dicas: nimirum quoniam virgae decerptae et in terram defixae, quauis ſui parte radices agunt. Vbi vero paululum ita adoleuerit, quo ſaepius ac frequentius circumcidatur aut decacuminetur, eo vberius fruticat, et plures caules producit, vt teſtis eſt *Eucharion Roeslin.*

Sympathia et Antipathia.

Abrotonum quam alſioſum ſit, et vt *Theophraſtus* ait δύσριγον σφόδρα, et morbis obnoxium elangueſcat, immortali tamen coma viret. GESNERVS noſtrum non niſi foliis tantum δύσριγον putat. *Ruellius* in Abrotoni hiſtoria, mirum ſibi videri ſcribit, quod cum calida dote ſit praeditum, apricationem horreat, et illuſtrata ſole loca perſequantur. Rationem huius in infirmitate poſuit *Theophraſtus,* viribus enim tam contra frigus quam aduerſus aeſtum deficitur.

Alimenta.

p. 12. a. Intra Corpus, vt alimenti rationem habeat, haud infrequenter vſurpatur, quod ſtomacho vel odoris tantum grauitate, non ita ſit familiare. Vnum hoc de Abrotono ſcribunt veteres, quod ex eo vini quoddam genus factitium paretur. Vnde *Dioſcorides* lib. 5. cap. 54. iubet, vt Abrotoni tuſi et cribrati drachmae centum (hoc eſt lib. j. ℨiij.) linteo illigatae, in muſti ceramium immittantur. Prodeſt ſtomachicis et cibum non appetentibus, atque etiam ad morbum regium, diureticum enim eſt. *Columella* lib. 12. cap. 35. Abrotoni inquit, pondo libram in muſti ſextariis quatuor, decoquantur vsque ad quartas; quod reliquum erit, id frigidum adde in muſti Aminei vrnam. Abrotonum praeterea partim textilibus vaſculis, partim linteolis incluſum, in ſublimique intra dolium ſuſpenſum, vt ne vinum contingat, bonum odorem vino conciliat, vt docet *Geoponicus.* In cibo potuque aſſumptum, craſſos, lentosque humores extenuandi vim obtinet. *Galen.* de ſimpl. quinto.

Temperamenta et facultates.

Abrotonum ex *Galeni*, *Aetii*, et *Oribaſii* cenſura, calidum et ſiccum facultate, in tertio ordine conſtituitur, idque magis determinans *Braſſauolus*, in media tertii ordinis parte reperiri ſcribit: cumque guſtu multum amarum ſit, qui ſapor terreae ſubſtantiae eſt, et a largo calore attenuatur, vt refert *Aetius*, non inſtrenue calefacit et ſiccat, vnde etiam vi quadam digerendi atque incidendi eſt praeditum, et quidem maiori, quam ipſum Abſinthium, quod guſtu deprehendi *Galenus* probat. At quoniam paucae acerbitatis eſt particeps, idcirco ſtomacho eſt inimicum (amarum enim per ſe, ſtomacho omnino eſt alienum, auſterum vero et acerbum aut ad ſummum adſtringens, ſtomacho idoneum miſtis porro inter ſe qualitatibus praeſtare vehementer). Odor eius acris eſt, *Plinius.* Nec tamen deſunt, licet haec ita a veteribus ſint conſtituta, qui aliter atque aliter primas eius qualitates determinent. Alii enim Abrotonum calidum volunt, in primo et ſiccum in ſecundo, in qua ſententia *Auicenna* quoque eſt 2. 68. et *Vigo*, qui eum ſequitur. Alii, vt *Arnoldus de villa noua*, calidum in primo facit, ſiccum vero in tertio. *Creſcentius* calidum et humidum vult in primo gradu. Sed hos poſtremo toto coelo errare, aut ſaltem vitioſe apud eosdem legi, non vna eſt ratio. Praeterquam enim quo veterum probatiſſimorum Authorum conſtans eſt conſenſus, vt *Aetii*, *Oribaſii*, *Serapionis* et multorum aliorum, *Galeni* quoque celebre extat teſtimonium, qui non ſolum gradum caliditatis et ſiccitatis definiuit, ſed rationes quoque, quibus id demonſtrari pōteſt, inſuper affert. Locus eſt ſexta de Simplicibus.

Vſus in medicina eſt comae, florum, et foliorum, ſed maior vſus ſeminis ad calefaciendum, *Plinius.* Quod ſi amaritudo eius diſpliceat, decoquatur in aqua, et ſic eam deponit: oportet autem ſaepius aquam permutare, ſi penitus omni amaritudine exuere id ſtudeas, vt docet *Galenus.* Vſtum Abrotonum magis quam non vſtum calefacit, vt vult *Oribaſius:* tenuium eſt partium, mordax, et ad rarefaciendum valet, *Idem.* Alopeciae medetur authore *Tralliano:* praeſertim quando miſcetur cum aliquibus vnguentis calidis vt addit *Auerrhoes.* Cinis quoque eius iisdem confert, oleo tenuium partium, vt Cicinino aut Raphanino, aut Sycionio aut Lentiſcino, aut veteri dilutus, *Aetius*, *Galen.* Ad idem hoc *Myrepſus* praeſcribit, Abrotoni vſti vnciam vnam tere, et madefac cum oleo communi et applicato. Idem multis, quibus pili barbae aut ſuperciliorum ceciderunt, hoc reſtituit. Facta prius debita purgatione, primo omnium fiat decoctio ex Abrotono, et cum cinere eius, prius lixiuium paretur, ponendo in eadem decoctione cinerem prædictum, et fricatis primo locis a pilis nudis, fiat epithema cum lixiuio decenter calido, et abluatur frequenter, et in modico tempore renaſcentur capilli. Barbam ſegnius enaſcentem, cum aliquo dictorum oleorum elicit: ſed nec minus illis, Lentiſcino maceratus, *Galenus.* Cinis cum oleo Raphanino, vel ſuccus eius cum oleo Anethino permixtus, et glabris locis illinitus, pilos generat, Q. *Apollin.*

Capitis frigiditatem et cerebri remouet, ſi capiti emplaſtretur cum oleo. *Arnoldus.* In oleo oliuarum decoctum et capiti inunctum, idem facit. Lethargicos ſuffitu excitat, vt refert in Euporiſtis *Dioſcor.* et *Aetius.* Succus bibitus cum vino, apoplexiae eſt praecautio. Q. *Appollinaris.* Abrotonum tritum, et in vini potione tepide bibitum, vel cum oxymelli non acri, vertiginem ſanat. *Marcellus.* Puluis vel Confectio contra vertiginem expertus ab Epiſcopo Friſing: Palatino. Recipe pulueris Abrotoni drachmas duas, ſpecierum diamuſchi, electuarii de Poeonia ana ſcrupulum ſemis, ſacchari quantum ſufficit, et fiat puluis, vel confectio in rotulis, diſſoluendo ſaccharum in aqua roſarum et Abrotoni. Epilepticorum eſt remedium,
p. 12. b. teſtibus *Dioſcoride* in Euporiſt. et *Aetio.* Apud nos iisdem vtiliter ſubſternitur. Abrotoni aqua plures fuerunt ab Epilepſia curati, *Matth.* de Gradibus.

Oculorum inflammationibus commode illinitur, cum Cotoneo malo cocto, aut pane, *Dioſc.* Abrotoni pondus drachmae vnius, in aqua decoquitur, cum mica panis albi, et emplaſtri more oculis impoſitum, calores mire extrahit. Q. *Apollinaris.* Dolori et ſibilo affectis auribus, recipitur per calamum vapor, ex

Abro-

Abrotoni in aceto, aut calculis marinis ignitis, decocto, *Dioſc.* Euporiſta. Aurium depellit ſonitum cum felle bouino, *Arnold. de Villa noua.*

Abrotoni remedia ad expurgandum pectus, pulmonem, et facilem reddendam ſpirationem, tum etiam quae partibus aliis thoracis conuenire poſſunt, nunc dicamus. *Plinius* affirmat, ſemini ad calefaciendum maiorem eſſe vim, ideoque vtile eſſe neruis, tuſſi, orthopnoicis, conuulſis, ruptis, etc. Datur ad bibendum manualibus faſciculis decoctis ad tertias partes. Ex his quaternis cyathis bibitur. Datur etiam ſemen crudum et tuſum in aqua drachmae pondere, ferueſactum. Cum Hyſſopo decoctum, Liquiritia et ſaccharo, in aqua et vino pulmonum morbis et pectoris frigidis prodeſt, *Euchar. Roeslin.* Lentis et pituitoſis thoracis, pulmoniſque humoribus, aut puri et extenuandis et incidentis et euacuandis, aptius medicamentum inuenire nequeas, ipſo Abrotono, *Gal.* 5. de ſimpl. 12.

Ad Aſthma praeſcribit eiusmodi *Celſus* 4. 4. Accipe ſulfuris ignem non experti pondo, vt quadrans, Abrotoni pondo, et in vini cyatho terantur, atque id tepefactum ſorbetur. *Caelius Aurelianus* hunc imitatus lib. 3. cap. I. ita ſcribit. Abrotonum tritum cum ſulfure atque aceto, ex mulſo confecto, vel Vrticae ſemine aut radice, et horum ſimilium electuariorum, vt eſt, melli admixta reſina terebinthina, aut Cardamum, quod Naſturtium vocamus, aut Seſamum cum Aloe et Amygdalis amaris: aliquando et pipere et vitello oui.

Praxagoras ſigna docens futurae Pleuritidis, praecauendam iubet, dando piper ad bibendum cum mulſa ex aceto, vel Abrotonum: verum haec *Caelius Aurelianus* ceu nimis acria reprehendit. In eodem tamen affectu *Dioſcorides* quoque in parabilibus, decoctum abrotonicum mulſa commendat. *Hippocrates* (vt ſcribit idem *Caelius*, libro regulari, quem diaeteticum vocauit) peripneumonicae remedium optandum praeſcribit ex Abrotono aceto mulſo, admixto pipere, quod tamen a *Sorano* non laudatur. Multi etiam empirici, quibusdam ex Abrotono, etc. potionibus ad eadem ſunt vſi, ſed easdem certis de cauſis reprobat *Caelius. Galenus* Abrotonum in peripneumonia ex oxymellite, comment, 4. de ratione victus acut. praeſcribit. Decoctum eius repurgat pectus ſuppuratorum, iam curatorum, ne recurrat, *Aetius.*

Sed praecipuus et valde frequens Abrotoni vſus eſt, in medendis partibus ventris inferioris, *Galenus* 5. de ſimpl. iſto, inquit, iecoris obſtructiones expurges, et modicas etiam lienis. Vnde *Arnoldus de Villa noua* aſſerit, vinum, quod Abrotono fuerit affuſum, obſtructiones hepatis aperire. Affundendum autem eſt muſtum, quod poſt menſes duos colatum, contra hydropiſin ex cauſa frigida vtiliter potatur. In hydrope, inquit *Celſus*, optima eſt potio, quae vrinam mouet: ſed id ipſum moliri cibo, quam medicamento melius eſt. Si tamen res cogat, ex his aliquid, quae id praeſtant, eſt decoquendum, eaque aqua potui eſt danda, et huius facultatis quoque eſt Abrotonum.

Quamuis autem teſte *Galeno* inimicum ſit ſtomacho, tum quod amarum, tum vero quod minimum habeat adſtrictionis: tamen aliquando haud inutiliter per os, vel ad ipſius ventriculi, vel aliarum ventris partium morbos propinatur. Aqua ſtillatitia huius, conuenit refrigerato ſtomacho, abſumit enim, digeritque viſcidam pituitam in ventriculo. Ad ſingultum exhibetur vel per ſe e vino, vel cum Cumino Aethiopico aequali, ex aqua calida tritum. Ex Abrotono, triticea farina, et aqua, placenta ſub calidis cocta cineribus, in duas per transuerſum ſecta partes, anteque et retro ventriculi regioni appoſita, vomitum cohibet, *Fumanellus.*

Purgat in inteſtinis crudos humores, et indigeſtibiles cibos, et lumbricos rotundos excludit, *Galenus.* Ideoque etiam contra colicam bibitur, abſumendo frigidam materiam. Q. *Apollin. Diocles* in ileo morbo, vt citat *Caelius Aurelianus* 3. 17. Clyſterium facit ex Abrotoni ſemine cum mulſa. Abrotonum vſtum cataplasmati additur apud *Nicolaum Myrepſ.* inter enemata no. 47. ad dyſentericos.

Porro quod lumbricos interimat, palam eſt, cum nimirum amarum ſit. Succus itaque eius cum pauco lacte, vermes necat, Q. *Apollin.* Radix in potu, lumbricos enecat, *Euch. Roeslin. Haly Abbas* in antidotario, duobus medicamentis ad lumbricos, Abrotonum addit. In Empiricis *Stephanus* inquit, ad lumbricos, ἀγκωνὶς (Abrotoni forte, inquit GESNERVS) ἀκρέμονες λεῖοι ἐπιτιθέμενοι. Ad lumbricos rotundos educendos, laudat *Dioſcorides* in Euporiſt. eiusdem decoctum. Iis, inquit rurſus *Aetius*, qui ad integram p. 13. a.
aetatem peruenerunt, Abſinthii aut Abrotoni cremor exhibeatur. At vero decoctum huius potum, aut per clyſterem infuſum, lumbricos occidit amplius, quam Abſinthium. Caeterum *Fumanellus* duo parat olea ad vermes, et vnguentum quoque, quae Abrotonum recipiunt. Succus mixtus cum melle, aceto et aloe, et vmbilico more emplaſtri impoſitus, vermes potenter interficit, *Vigo.* Neque vero negligendum hoc quoque contra vermes remedium, quod ceu ſecretum, ex libro quodam manuſcripto ſine authore, hauſimus. Recipit autem Abrotoni manipul. j. vel duos, decoquatur in aqua ſimplici, vel in lacte, et detur ieiuno

 ſtoma-

ſtomacho. Extraxit hoc maximam copiam vermium; et mulier quaedam, quae hoc vſa fuerat propter matricis dolorem, tribus vicibus, qualibet vice, viginti longos et magnos vermes excreuit.

Vrinae anguſtiis auxiliatur ſemen eius crudum tritum, et feruefactum ex aqua, in potuque datum, *Dioſc.* Decoctum in aqua ad tertias, vrinae difficultati ſuccurrit, *idem* de parab. 2. Oleum Abrotoni vmbilico inunctum, vrinam prouocat, *Euch. Roeslin. Myrepſus* droſato addit ad ſtillicidium et difficultatem vrinae et calculoſos numero 45. Contra vrinae ardores valere, ſcribit *Q. Apollin.* Calculum frangit et expellit e renibus et veſica, ſi decoquatur cum apio et ſaccharo, *idem.* Sanguini concreto in veſica, Abrotoni ſuccus mire valet. *Alex. Bened.* Ramus eius, ſi puluino ſubiiciatur, venerem ſtimulare tradunt, efficaciſſimamque eſſe herbam, contra omnia veneficia, quibus coitus inhibentur, *Ruellius.* Sed et vuluae prodeſt, vt inquit *Plinius. Aetius* inſigne remedium deſcribit ex Abrotono ad foetum corrumpendum, aut mortuum eiiciendum, adque retentos mulierum menſes. Abrotoni inquit, quantum voles, in aqua ad totius aquae conſumtionem, decoquitur et expimitur, et liquor lana exceptus ſupponatur. Quando eius decoctio bibitur et ſedetur in ea, prouocat menſes, et extrahit foetum et ſecundinam, *Arnold. de Villa noua.* Confert quoque vlceribus eius, et eiicit ſecundinam et foetum, et coadunationi oris matricis, et aperit ipſum, et duritiem eius, bibitum et more emplaſtri impoſitum, *Creſcentius.* In vino decoctum et bibitum, foetus in vtero purgat, *Q. Apollin.* Abrotoninum vnguentum, quod deſcribit *Dioſcorides*, vim habet calefaciendi, et ad vteri concluſiones et durities facit, menſes et ſecundinas ducens. Eſt autem tale. In Cyprini olei aromatis imbuti lib. 9. et quincunce, foliorum Abrotoni lib. 8. immittito, et per diem et noctem macerata exprimito. Pulueriſatum Abrotonum et cum myrrha pauca bibitum, menſes mouet, *Q. Apollinar.* Mulieribus, quae poſt partum non commode purgantur, nec interim validioribus medicamentis ſunt ſolicitandae, hoc ex Abrotono remedium eſt omnium optimum. Decoquendum Abrotonum in aqua, ſeque in eandem demittat vsque ad vmbilicum, et anterius, poſteriusque ſe ſe ea herba circumponat, cooperto tamen capite, ne odorem ſentiat. *Matthiolus.* Nec dubium, quin idem extra partum, menſes minori incommodo, hoc modo vſurpatum, ſit moturum.

Ad febres praeterea coma huius herbae, vna cum floribus in oleo cocta, eoque ante acceſſionem inunctis iis, qui rigore per circuitum repetente apprehenduntur, minus rigebunt, aſſerit *Aetius. Euch. Roeslin* ſic praecipit fieri. Abrotonum cum oleo et ſale contuſum, et pulſibus manuum pedumque apponatur. Idem tritum cum aqua diſtemperatum et bibitum, ante acceſſionem, aufert frigus febris quotidianae, *Incert.* Contra febres qualescunque non aſpernandum remedium, *ex lib. Manuſcript. Germanico.* Folia Saluiae et Abrotoni accipiantur, menſe Maio quantitate decenti, et contuſa, deſtillentur ſecundum artem, ne vſtionem redoleant (aut in arena cribrata fiat deſtillatio) aquam deſtillatam ſerua in vitro optime obſtructo. Haec aqua ſanat omnis generis febres, ſiue eae dependeant ab humoribus calidis, ſiue frigidis. Exhibenda autem eſt tribus diebus continuis mane quatuor vel quinque horis ante cibum, duorum cochleariorum quantitate. Purgat haec ſtomachum ab omnibus corruptis humoribus, enecat omnis generis vermes in inteſtinis contentos, a ieiuno bibita, eo quo dictum eſt modo. Valet eadem paralyticis nouiter paroxyſmo correptis, cum caſtoreo vna decocto, et hydropem incipientem eodem modo. Ad peſtilentes febres ex Abrotono foemina aquam deſtillari praecipit *Tabernemontanus.* Deſtillari iubet bis: primo in vino macerata per dies octo, in balneo: deinde rurſum in cineribus. Hoc modo: Tota herba, cum foliis et radicibus totaque ſubſtantia purgata a ſordibus diligenter, inciſa minutim et in mortario contuſa ad ſummam contuſionem, Huic materiae ſuperaddatur vini optimi tantum, vt duobus digitis materiam excedat, ſicque infuſa ſimul per octiduum ſtent. Quo elapſo termino in cucurbita vitrea in balneo maris deſtilletur. Quo facto ad menſuram deſtillatae aquae, adde radicis eiusdem Abrotoni (modo ſit eo tempore, quo radices optimae ſunt, alioquin ſeminis tantundem erit accipiendum) exſiccatae et puluerifatae quadantenus vncias duas, et in vitrea cucurbita per octo alios dies infuſa relinquantur, ac tandem in cineribus calidis deſtillentur.

Contra exitialia venena, quod ex *Dioſcoride* ſcribit *Fumanellus*, Abrotonum cum vino potum, in peſte eſt antidotum. Sumi vero eius debet, teſte *Dioſcoride* in praefatione lib. 6. et de parabil. 2. cap. 144. pondus drachmae vnius cum vino, vti dictum eſt. Ad viperae morſus, docet *Dioſcorides* Abrotonum cum Galbano ſplenii modo applicandum, id quod et apud *Galenum* 2. de antidotis legitur. Contra ſerpentes iubet Abrotoni duos ramos tundere cum obelo Naſturtii, *Scholiaſtes Nicandri.* Contra phalangiorum ictus monet *Dioſcorides* Abrotoni ſeminis drachmas duas e vini cotyla bibendas. Decoctum eiusdem potum, prodeſt aduerſus muris aranei morſum, maxime ſi in vino detur, *Idem, Actuarius, Auicenna* (qui et paulo ante Schea Armenam pro Abrotono nominauerat inter eadem remedia) *Aegineta.* Poſt vomitum aut clyſterem vtendum potionibus ex Abrotono etc. in vino decoctis, iubet *Dioſcorides* et *Aetius.* Contra Aconitum, ad ſcorpionis ictus valet Abrotonum, authoritate *Dioſcoridis* in parabil. Priuatim, inquit *idem* in materia medica, efficax contra ſcorpionum et phalangiorum venena eſt. Contra morſum canis rabidi, ſtatim lauant morſum

morſum, venatores ab aliquo cane rabido aqua fluminis bene cum arena, et dant illis in frixis ouis Anagallidem et Abrotonum, et eſt expertum frequenter: vel lauant in aqua fluminis cum ſale. p. 13. b.

Fugat reptilia ſubſtratu et ſuffitu. Reptilium autem nomine quaeuis, non modo ſerpentes, ſed exanguia etiam animalia venenata comprehenduntur: ſerpentes tamen praecipue, vt qui reſpirent, hiſce ſubſtratis arceri crediderim, *Dioſcorides* parab. 3. et *Aetius*. *Nicander* de foliis praecipue agreſtis Abrotoni ſiue montani hoc intelligit, vtpote quod hortenſi efficacius eſſe putet, vt refert *Scholiaſtes*. Pulices ſubſtratum fugat, *Myrepſus*. Animalia quoque e frumento arcere perhibet *Geoponicus*, nimirum ſi eius arida virgulta imponantur.

Ad externos quoque morbos nonnullos, atque et internos, ſi extrinſecus imponatur, idem prodeſt. In hunc vſum compoſitionibus ad iſchiadem ab *Andromacho* permiſcetur, vt teſtis eſt Galenus 10. de compoſ. med. ſ. loc. *Dioſcorides* in parabil. iſchiadicos iuuare ſcribit eiusdem decoctum, et ſeminis ℥j. cum vino. Diſcutit, quae in aliqua corporis parte coiuerunt, *Celſus*. Itaque tritum cum cruda farina hordeacea, decoctumque, diſcutit et concoquit tubercula, atque etiam phymata, author eſt *Dioſcor.* lib. 3. et in parab. 1. 151. Reſoluit Apoſtemata frigida, ſi coquatur cum ſemine cydoniorum, *Euch. Roeslin*. Miſcetur medicamentis acopis et myrocopis irini compoſitionibus, et cerato de Ladano. Sic et emplaſtrum de Abrotono perhibet attractionem neruorum ad membra, *Creſcentius* Ad atrophiam membrorum tale cum Abrotono parant medicamentum. Accipiunt terebinthinae, olei oliuarum, Abrotoni viridis partes aequales, contundunt diligenter Abrotonum, et coquunt ſimul omnia, ac illo inungunt, membrum quodcunque. Sed huic vnguento addendum monet GESNERVS milleſolium quoque.

Vlcera et vulnera purgat, cum confortatione quadam partis laeſae, *Celſus*: et ſuccus eius mixtus cum melle, aceto et Aloe caballina, idem facit, *Vigo*. Vt extrahantur ſpinae et feſtucae, accipias Abrotoni, ſanguinis porci, vtriusque partes aequales, applicetur loco partis oppoſitae, *Incert.* De caprificandis fici arboribus, inquit *Palladius*, ſi caetera deſint, Abrotoni virga ſuſpendatur. etc. Equis, qui ex hepate dolent, datur aqua, cui Abrotonum ſit commixtum, *Hippiatria Graeca*. Ad tormina equorum valet *Anatolius*.

Succedanea.

Quidam pro Abrotono ſubſtituunt vel Origanum, vel Abſinthium Ponticum. Eſt enim Abrotonum cum Abſinthio in eodem primarum qualitatum gradu, vt teſtis eſt *Galenus*.

Philologia.

Abrotonum, vel Abrotanum Latinis dicitur, quod Graecis eodem nomine ἀβρότονον, tenui ſpiritu: Grammatici Graeci denſo etiam ſpiritu quandoque ἁβρότονον ſcribunt; nam et ἁβρὸς aſpiratur, vnde (vt Graecus *Nicandri Scholiaſtes* interpretatur) videtur dictum, διὰ τὸ πρὸς ὄψιν ἁβρὸν καὶ ἁπαλὸν φαίνεσθαι: aut διὰ τὸ δυσπνοῦν εἶναι, quod conſpectu tenerum, molle, vel delicatum habeatur: aut quod difficilem odorem ſpiret. Alii vt *Platina*, exiſtimat hoc nomen ab Abrotonio foemina, in herbam conuerſa, mutuatum. Caeterum Abrotoni nomen, non de herba ſolum, de qua hactenus, ſed etiam de Threſſa quadam muliere, cuius *Aelianus* de varia hiſtoria 12. 43. et *Plutarchus* meminerunt, Abrotonus ſcilicet dicta, quae Themiſtoclis illius magni, qui Barbaros nauali praelio fudit, quique ſolus Drocum voces in oraculis proditas, explicare nouerat, dicitur. Hanc eandem *Caelius* 14. 12. authoritate Amphicratis meretricem fuiſſe perhibet. *Lucianus* item meretricis cuiusdam meminit, cui nomen erat ἁβροτόνιον, vel ἀβροτόνιον ab ἁβρὸν, hoc eſt, τρυφερὸν, quod delicatum ſignificat, *Conſtantinus*. Et hoc modo etiam *Calepinus* Abrotonium foeminae nomen, quaſi delicata et amplexibus apta interpretatur, vt et Glycerium, Philotium, Dorcium, Sophronium. Eiusdem nominis oppidum eſt Africae, cuius meminerunt *Plinius* 5. 4. et *Strabo* lib. 17. Verum in ea ſignificatione, qua hic vſurpamus, legitur etiam apud *Theophraſtum* 6. ἀβρότειον, unde et ἀβροτόνιον μύρον, Abrotoninum vnguentum, quod ex Abrotono conficitur: et rurſus apud *Dioſcoridem* lib. 1. ἀβροτονίτης οἶνος, vinum ex ea planta confectum. Dicitur praeterea apud *Heſychium* ἀβρόκαρπον, quod videlicet pulchrum et tenerum fructum ferat, id quod tum de ſemine propter exilitatem et paruitatem, tum de flore, propter teneritatem et venuſtatem intelligi poteſt. Apud *Dioſcoridem* in nothis huius plantae diuerſa nomina legimus, ac pri-

mo vocat γλυκὺν ἀγκόνα, nimirum ad hiſtoriam aut vetus prouerbium reſpiciens, vt refert *Caelius* 18. 37. quae ibidem ad hunc fere modum legi poteſt. Lydia gens in libidinem effuſiſſima, mulieres ingenuas conſtuprare in hortis ad hoc flagitium quaeſitis, amoenitatibus excultis, aliquandiu impune ſolita eſt. Demum Omphale foemina, dominatione haud magno negotio effoeminatis, et luxu fluentibus excuſſa, coepit imperitare: vbi eos cruciatibus variis affectos vlta eſt, in vxores eorum deſaeuiit: incluſas enim iisdem ſeptis proſtituit ſeruitiis, vnde viridario nomen Glycys Ancon, quod Thelyphthori et Thelythamni vocabulo ſignificatur,

* * *

Reliqua deſunt.

INDEX FIGVRARVM
TAM EARVM QVAE CVRA
CONR. GESNERI
EX LIGNO EXCISAE
ET PARTIM AB AVCTORE PARTIM AB ALIIS PVBLICATAE SVNT
QVAM ILLARVM QVAS SECVNDVM GESNERIANARVM
NORMAM
IOACH. CAMERARIVS
INSTRVXIT.

Difficillime omnino eruitur, quae inter icones ſoli GESNERO originem debent, et quae Ioach. CAMERARIO tribui poſſunt. Quo itaque partium ſtudium, quantum fieri poteſt, a me remouerem, melius rem inſtituere non valui, quam vt omnes atque ſingulas vno Catalogo complecterer, qui etſi ſcopo huic alienior videretur, ad alios fortaſſis fines non plane inutilis erit. Interim tamen ne index mole nimis creſceret, non omnia Synonyma, in Epitome aliisque Auctoribus occurrentia, ſed ea ſolum poſuimus, quae quilibet in Lemmate ſuper figuras ipſas inſcripſit. Nomen Epitomes, dummodo in ea occurrit, reliquis praemittere, pluribus ex cauſſis conſultum viſum eſt. Vbi itaque nihil ſpeciatim de nomine quodam, quod litteris rectis exprimitur, monetur, quo in libro deprehendatur, ſemper Nomen Epitomes cenſendum eſt. Synonyma ſuis locis ſubiecimus litteris curſiuis exſcripta. Cum autem non ſemper in promptu ſit, quae exacte nomina ſinguli Auctores adoptauerint, characteribus curſiuis ea interſeruimus reliquis, vt eo faciliora fiant inuentu. Adnotauimus etiam diligenter, num ex aliquo Auctore mutuata ſit icon, et, ſi quid eſt, quod additum eſt notatu dignum. In omnibus figuris, vbi non expreſſe indicauimus, nihil de charactere botanico adiunctum eſſe, ſemper aliquid, modo plus modo minus de eo adeſt, cuncta enim verbis exponere, nimis longum fuiſſet; niſi vbi ſignis quibusdam diſtinguitur, cum perſuaſi ſimus GESNERVM idem in animo habuiſſe, et ideo ſigna introduxiſſe; monuimus tamen plerumque, vbi plenior character absque additis ſignis animaduertitur. Quae reliqua ſunt, vel per ſe, vel ex ſequentibus patebunt.

EXPOSITIO
ADBREVIATIONVM ET AVCTORVM
QVIBVS IN COMPONENDO HOC INDICE VSI SVMVS.

ALB. *Magn.* ALBERTVS Magnus Daraus man alle Heimligkeit des Weiblichen Geſchlechts erkennen kan, Desgleichen von ihrer Geburt, ſampt mancherley Artzney der Kraeuter, auch von tugent der Geſtein und der Thier, mit ſampt einem bevvehrten Regiment für das böſe ding. Ietzundt aber auffs neuvv gebeſſert, und mit ſchoenen Figuren gezieret, Dergleichen vor nie ausgangen. Gedruckt zu Franckfurt am Mayn., durch Matthis Becker, in Verlegung Gottfried Tampachs. 1608. in 4to.

BECH. et BECH. *Parn.* Parnaſſus Medicinalis, oder ein neues dergeſtalt vermehrtes vormahls noch nie geſehenes Thier- Kraeuter- und Bergbuch ſamt der Salerniſchen Schul etc. alles in hochteutſcher Sprach etc. in vier Theilen beſchrieben, und mit 1200. figuren geziehrt durch *Johann. Joachim.* BECHER. von Speyer. Vlm. Verlegts. Io. Goerlin. 1663. folio. *nos partem, quae* ſecunda *eſt, ſolam adhibemus, cui titulus eſt:* Io. Ioach. BECHERI. Parnaſſi illuſtrati Pars altera, Phythologia. etc. Vlmae. Io. Goerlin. 1662.

CAM. *Epit.* De plantis Epitome vtiliſſima *Petri Andr. Matthioli*, nouis plane et ad viuum expreſſis iconibus deſcriptionibusque etc. nunc primum diligenter aucta a D. *Ioachimo* CAMERARIO. Francofurti ad Moen. 1586. 4to.

CAM. *Kr.* et CAM. *Kr. B.* Kraeuterbuch D. *Petri Andr. Matthioli*, iezt vviederumb mit vielen ſchoenen neuen figuren etc. zum viertenmahl aus ſonderem Fleis gemehrt durch *Ioach.* CAMERARIVM. Francofurti ad Moen. Apud haeredes Iac. Fiſcheri. 1626. Folio.

CAM. *Hort.* Hortus Medicus et Philoſophicus, in quo plurimarum ſtirpium breues deſcriptiones, nouae icones non paucae, etc. Auctore *Ioach.* CAMERARIO. Francofurti ad Moen. 1588. 4to. Impreſſus a Io. Feyerabend, impenſis Sigism. Feyerabendi, Henr. Dackii et Petri Fiſcheri.

DOD. *Stirp. Hiſt. Remberti* DODONAEI trium priorum De ſtirpium hiſtoria Comentariorum imagines ad viuum expreſſae. Antvverpiae ex Offic. Ioannis Loei 1553. it. poſteriorum trium *Remb.* DODONAI De ſtirpium hiſtoria comentariorum imagines ad vivum artificioſiſſime expreſſae vna cum marginalibus annotationibus, Antvverpiae. 1554. 8vo. Maltas figuras ex Fuchſio imminutas ſiſtit.

FVCHS. *icon. Leonh.* FVCHSII primi de ſtirpium hiſtoria commentariorum Tomi viuae imagines in exiguam anguſtioremque formam contractae, ac quam fieri poteſt artificioſiſſime expreſſae etc. Baſil. apud Mich. Iſingrin. 1545. 8vo.

GESN. *Lunar. et M. Fr.* De raris et admirandis herbis, quae ſiue quod noctu luceant, ſiue alias ob cauſas Lunariae nominantur, *Conr.* GESNERI, Commentariolus etc. accedit Deſcriptio montis fracti ſiue Pilati vulgo dicti. etc. Tiguri apud Geſneros. 1555. 4to

GESN. *Stirp. nom.* De ſtirpium aliquot nominibus vetuſtis ac nouis etc. *Conr.* GESNERI Epiſtolae duae etc. Baſil. apud Nic. Epiſcopium 1557. 8vo. cum iconibus tribus, *quae in editione eiusdem libri cum Matthioli Epiſtolis omiſſae ſunt.*

GESN. *Cord.* Val. *Cordi* Annotationes in Dioſcoridis de materia Medica. Libros V. et quae plura ſunt, cura *Conr.* GESNERI adiecta. Argentorati a Ioſia Rihelio. 1561. Folio. *Nos ex his ſolum vtimur* Val. *Cordi* Hiſtoriae ſtirpium libris IV. *qui incipiunt a pag.* 86. a. *et finiuntur pagina* 216. b. *Icones enim his* GESNERVS *addidit partim de ſuis Theſauris, partim ex aliis Auctoribus mutuatas; eas quas in Lemmate non indicauit, vnde ſumſerit, in hunc indicem coniecimus, reliquae omnes ex Trago ſunt.*

GESN. *Foſſil. Conr.* GESNERI De rerum foſſilium, lapidum et gemmarum maxime figuris et ſimilitudinibus liber, adiunctus Collectioni librorum De omnium foſſilium genere, gemmis lapidibus metallis et huiusmodi etc. Tiguri apud Iac. Geſnerum 1565. 8vo.

GESN. *Aconit. Conr.* GESNERI De Aconito primo Dioſcoridis aſſeueratio. *connexa cum* Libris III. Epiſtolarum Medicinalium et libello de Oxymellite cura *Caſp. Wolphii.* Tiguri 1577. apud Chriſtoph. Froſchouerum. 4to.

MATTH. Quoties ita citatur, ſignificantur *Petri Andr.* MATTHIOLI Commentarii in ſex libros Dioſcoridis de materia medica, denuo ab Auctore recogniti, et locis plus mille aucti, adiectis magnis ac nouis plantarum ac animalium iconibus ſupra priores editiones longe pluribus ad viuum delineatis. etc. Venetiis ex Off. Valgriſiana 1565. Folio. *et inſeruiit nobis exemplar huius libri, quod ex poſſeſſione Ioach. Camerarii fuit, et coloribus ſcite pictum eſt.*

MATTH. *Comp. Petr. Andr.* MATTHIOLI Compendium de plantis omnibus vna cum earum iconibus de quibus ſcripſit in ſuis Commentariis in Dioſcoridem. etc. Venetiis ex Officina Valgriſiana. 1571. 4to.

THAL. *Hercyn.* Sylua Hercynia ſiue Catalogus plantarum ſponte naſcentium: in montibus et locis vicinis Hercyniae, quae reſpicit Saxoniam, conſcriptus a *Iohanne* THALIO. Med. Nordhuſano. nunc primum in lucem edita Francofurti ad Moen. 1588. 4to. Cum *Camerarii* horto Medico et philoſophico. *Icones ad vtrumque librum pertinentes ſpeciali titulo inſtruuntur:* Icones accurate nunc primum delineatae praecipuarum ſtirpium, quarum deſcriptiones tam in horto, quam in ſylua hercynia ſuis locis habentur. Auctore *Ioachimo* CAMERARIO. Francofurti ad Moen. 1588. 4to impenſis et typis iisdem. *Ad manus fuit exemplar, quo Ioach. Camerarius vſus eſt, coloribus eleganter diſtinctum.*

VERZ. Neu vollkommenes Kraeuterbuch von allerhand Gevvaechſen der Baeumen, Stauden und Kraeutern etc. erſt an das Tageslicht gegeben durch *Petr. Andr. Matthiolum*, darauf mit vielen ſchoenen Figuren etc. zum viertenmahl ausgefertiget durch *Ioach. Camerarium*, jezund vvie ein neues Werck verbeſſert und vermehrt von *Bernhard* VERZASCHA. Baſel. Gedruckt durch Io. Iac. Decker. fol. 1678.

VFF. Hortulus ſanitatis, d. i. ein heilſam und nützlich Gaertlein der Geſundheit, in vvelchem alle fürnehme Kraeuter, die ſovvohl in beyderley Indien als an allen anderen Orten der Welt zu finden, in einer vvunderbaren Kürze vverden beſchrieben, erſtlich von *Caſtore Durante*, nunmehro aber in vnſere hochteutſche Sprach verſezt durch *Petrum* VFFENBACH. 4to. Francofurti ad Moen. typis Nicolai Hoffmanni, impenſis Ionae Rhodii 1609.

WOLPH. *Pollic.* WOLPHII ὑπόσχεσις, ſiue de *Conr.* GESNERI Stirpium hiſtoria ad Io. Cratonem Pollicitatio. adnexa *Ioſiae Simleri* Vitae *Conr.* GESNERI. Tiguri apud Froſchouerum. 1566. 4to.

ZW. Theatrum Botanicum i. e. Neu vollkommenes Kraeuterbuch etc. mit ſonderbahren Fleis auf eine ganz neue Art und Weiſe, dergleichen biſshero in keinem Kraeuterbuch geſehen und gefunden vvorden, beſchrieben etc. erſtens ans Tageslicht gegeben von *Bernhard Verzaſcha*, anjetzo in eine ganz neue Ordnung gebracht, und mehr als die helfte vermehret und verbeſſert durch *Theodorum* ZWINGERVM. Gedruckt und verlegt durch Iacob Bertſche. Baſel. 1696. fol.

f. f. *Id eſt: ſola figura.* Indicant hae litterae, ſi in ſeriebus numerorum ante numerum deprehenduntur, iconem aliquam plantae apud eum Auctorem quidem occurrere, non tamen ſpecificum eius nomen adduci. In formis enim his ſculptis non raro accidit binas vel plures plantas combinatas eſſe in vno ligno, plerumque tamen aut in *Epitome* aut in *Kraeuterb. Camerarii* eius coniunctionis mentio fit; interim dum ſequentes Auctores eas formas adhibuerunt, vnam communiter ſolum nominant ſtirpem, alteram vero frequenter negligunt.

A. In CAMERARII *Kraeuterbuch* Littera hac ſignificatur plaga paginae cuiuslibet aduerſa, paginae vero pars auerſa per litteram

C. indigitatur: ita enim librum ſuum ipſe Auctor inſtruxit, quem ſecutus ſum.

a. *et* b. In VERZASCHAE *Kraeuterb.* paginae, etſi vtrimque numeris inſtructae ſint, ſingulae in binas columnas diſpeſcuntur, quarum *ſiniſtra* lit. a. *dextra* vero lit. b. notatur. Auctor ipſe in indice hunc ordinem ſeruat, quem imitatus ſum.

*. Accidit aliquoties, quod in libris, quos tractamus, vnus alterue numerus paginarum bis poſitus per typographi errorem fuerit, ne itaque falſum inducamus computum, numerum abundantem *Aſteriſco* adiecto diſtinximus.

A.

Abies. Abies alba ZW. CAM. Ep. 48. CAM. Kr. B. 24. C. VFF. 1. BECH. Parn. 40. VERZ. 32. b. ZW. 160.

Abies alba ZW. vide Abies.

Abies rubra ZW. vide Picea.

Abietis particulae. Cum litteris A. B. C. D. E. F. et earum explicatione, quae in CAM. Kr. et VERZ. repetitur. A. Ramulus. B. Flores crocei. C. Conus nouellus. D. Conus perfectus. E. Coni ſcapus nudus. F. Laminae coni, lingulae nucleus et ſemen. CAM. Ep. 49. CAM. Krb. 24. C. BECH. 41. VERZ. 33. a. ZW. 161.

Abrotonum candidum. GESN. Cord. 107. b. Abſque charactere: de quo dicit ipſe in Adnot. Bauhinum id credere Abſinthium ponticum.

Abrotonum mas. Inferiora iconis conueniunt aliquo modo cum MATTH. p. 691. CAM. Ep. 459. CAM. Krb. 235. A. VFF. 3. BECH. 309. VERZ. 392. a. ZW. 513.

Abrotonum foemina. Abrotonum ſ. Chamaecypariſſus ZW. CAM. Ep. 460. CAM. Krb. 235. A. VFF. 4. BECH. 309. VERZ. 392. b. ZW. 513.

Abſinthium. Abſinthium vulgare VERZ. ZW. CAM. Ep. 452. CAM. Krb. 232. A. VFF. 5. BECH. 305. VERZ. 386. b. ZW. 659.

Abſinthium aegyptium CAM. Kr. ſub lit. A. cum foliorum magnitudine ſub ſigno †. vide Abſinthium Seriphium aegyptium.

Abſinthii Iudaici, Alexandrini et Aegyptiaci comae ZW. vide Abſinthium Seriphium aegyptium.

Abſinthii marini differentia CAM. Kr. vide Abſinthii marini genera n. 2.

Abſinthii marini genera. Abſinthium marinum album ZW. Abſinthium marinum BECH. CAM. Ep. 456. CAM. Krb. 233. A. BECH. 306. VERZ. 388. b. ZW. 661.

1) Abſinthii marini MATTH. flores (coma. CAM. Kr. et VERZ.) lit. A. et folia ſuperiora lit. B. inferiora lit. C. CAM. Ep. 456. CAM. Krb. 233 ſ. f. A. BECH. ſ. f. 306. VERZ. 388. b. ZW. 661.

2) Abſinthii marini alia ſpecies foliis magis albis ſimplicibus indiuiſis litt. D. E. Abſinthii marini differentia. CAM. Kr. CAM. Ep. 456. CAM. Krb. 233. A. BECH. ſ. f. 306. VERZ. 388. b. ZW. ſ. f. 661.

3) Abſinthium aliud, cum MATTH. Abſinthio marino conueniens, ſed magis diſſectis foliis lit. F. CAM. Ep. 456. CAM. Krb. 233. A. BECH. ſ. f. 506. VERZ. 388. b. ZW. ſ. f. 661.

4) Abſinthium aliud minutioribus foliis CALCEOLARII lit. G. CAM. Ep. 456. CAM. Krb. 233. A. BECH. ſ. f. 306. VERZ. 388. b. ZW. ſ. f. 661.

5) Abſinthium marinum foliis minus candidis Bononienſe. lit. H. CAM. Ep. 456. CAM. Krb. 233. A. BECH. ſ. f. 306. VERZ. 388. b. ZW. ſ. f. 661.

* CAMERARIVS in Kr. tres vltimas, litteris F. G. H. indicatas plantas rurſus coniungit ſub titulo: Pro Abſinthio marino miſſa; cui VERZ. ſequitur in lemmate, litteras vero omnes praeter E. in figuris omittit.

Abſinthium marinum Matthioli CAM. Kr. vide Abſinthium marinum ſiue Seriphium.

Abſinthium marinum BECH. vide Abſinthii marini genera.

Abſinthium marinum album ZW. vide Abſinthii marini genera.

Abſinthium marinum ſiue Seriphium. Abſinthium marinum Matthioli. CAM. Kr. Semen ſanctum, Abſinthium marinum VFFENB. Abſinthium maximum lauendulae folio. ZW. CAM. Ep. 455. CAM. Krb. 233. A. VFF. 924. VERZ. 388. a. ZW. 661.

Abſinthium maximum lauendulae folio ZW. vide Abſinthium marinum ſ. Seriphium.

Abſinthium montanum. Abſinthium montanum vulgare ZW. CAM. Ep. 453. CAM. Krb. 232. A. BECH. 305. VERZ. 387. a. ZW. 660.

Abſinthium ponticum primum CAM. Kr. Abſinthium ponticum maius ZW. CAM. Krb. 232. A. BECH. 305. VERZ. 387. b. ZW. 660.

Abſinthium ponticum. Abſinthium ponticum ſecundum CAM. Kr. BECH. Abſinthium ponticum minus ZW. CAM. Ep. 454. CAM. Krb. 232. C. BECH. 305. VERZ. 387. a. ZW. 660.

Abſinthium ponticum maius ZW. vide Abſinthium ponticum primum.

Abſinthium ponticum minus ZW. vide Abſinthium ponticum.

Abſinthium ponticum ſecundum CAM. Kr. BECH. vide Abſinthium ponticum.

Abſinthium Santonicum marinum quibusdam WOLPH. Pollic. vide Abſinthium Seriphium aegyptium.

Abſinthii Santonici ſpecies CAM. Kr. BECH. vide Abſinthium Seriphium aegyptium.

Abſinthium Seriphium aegyptium et ſemen ſanctum. cum ſigno †. et Santonici ſpecies maiuſcula et longiuſculis foliis ſub ſigno *. Abſinthii Santonici ſpecies. cum lit. A. Abſinthium aegyptium, et foliorum magnitudine ſub ſigno †. et Santonicum quorundam ſub ſigno *. CAM. Kr vt et BECH. abſque ſignorum explicatione. Abſinthii Iudaici, Alexandrini et Aegyptiaci comae ZW. Abſinthium Santonicum marinum quibusdam WOLPH. Pollic. cum explicatione ſignorum tali: †. Herba ſeminis Sancti. A. Semen Sanctum. *. Santonici ſpecies maiuſcula et longiuſculis foliis. CAM. Ep. 457. CAM. Krb. 233. C. BECH. 306. VERZ. 389. a. ZW. 662. WOLPH. 51. b.

Abſinthium Seriphium vulgo dictum. Abſinthium Seriphium Gallicum ZW. CAM. Ep. 457. CAM. Krb. 233. C. BECH. 306. VERZ. 389. a. ZW. 661.

Abſinthium Seriphium Gallicum ZW. vide Abſinthium Seriphium vulgo dictum.

Abutilon Auicennae. CAM. Kr. VFF. BECH. VERZ. ZW. vide Althaea altera.

Abutilon Indicum CAM. Hort. p. 3. Tab. I. figura a priori diuerſa.

Acacia. cum ſigno † et numeris 1. 2. 3. 4. 5. 6. abſque explicatione. Acacia prima. CAM. Kr. cum explicatione 1. Acaciae fructus integer. 2. Siliqua fracta. 3. Semen. 4. Spina. 5. Gummi. 6. Vermiculatum. †. Ligni portio. quae a VERZ. repetitur, a reliquis omittitur. Acacia aegyptiaca ZW. CAM. Ep. 103. CAM. Krb. 58. C. BECH. 82. VERZ. 76. b. ZW. 199.

Acacia altera. cum ſigno †. et numeris 1. et 2. abſque explicatione. Acacia ſecunda CAM. Kr. cum explicatione. †. Acacia Bellonii. 1. Acacia Matthioli. 2. Ramulus eiusdem fructus ferens, quae ab VFFENB. et VFRZ. repetitur. a BECH. et ZW. omittitur. CAM. Ep. 104. CAM. Krb. 58. C. VFF. 8. BECH. 82. VERZ. 77. ZW. 199.

† Acacia Bellonii. CAM. Kr. VFF. VERZ. CAM. Ep. ſ. f. 104. CAM. Krb. 58. C. VFF. 8. BECH. ſ. f. 82. VERZ. 77. ZW. ſ. f. 199.

1) Acacia Matthioli. CAM. Kr. VFF. VERZ. CAM. Ep. ſ. f. 104. CAM. Krb. 58. C. VFF. 8. BECH. ſ. f. 82. VERZ. 77. ZW. ſ. f. 199.

Acacia aegyptiaca. ZW. *vide* Acacia.
Acacia ſecunda CAM. Kr. BECH. VERZ. ZW. *vide* Acacia altera.
Acanthium. *CAM. Ep. 441. CAM. Krb. 226. A. VFF. 9. BECH. 296. VERZ. 375. b. ZW. 650.*
Acanthus. *cum charactere prolixo absque explicatione. CAM. Ep. 442. CAM. Krb. 226. A. VFF. 10. BECH. 296. VERZ. 374. b. ZW. 649.*
Acer maior. *additus iconi numerus 1. quia trium in deſcriptione mentio fit. Acer maius Germanicum* ZW. *CAM. Ep. 63. CAM. Krb. 35. C. BECH. 51. VERZ. 47. b. ZW. 167.*
Acer maius Germanicum ZW. *vide* Acer maior.
Acetoſa. CAM. Kr. VFF. BECH. VERZ. ZW. *vide* Oxalis maior.
Acetoſa minor. CAM. Kr. BECH. VERZ. ZW. *vide* Oxalis minor.
Achillea. *ex* MATTH. p. 1007. *absque charactere. Millefolium maius, Stratiotes millefolia* CAM. Kr. *Millefolium* VFF. *Stratiotes millefolia prima.* BECH. *Millefolium primum* VERZ. *Millefolium maius* ZW. *CAM. Ep. 750. CAM. Krb. 401. A. VFF. bis 14. et 605. BECH. 549. VERZ. 691. a. ZW. 927.*
Aconitum pardalianches. *ex* MATTH. p. 1080. Aconitum primum, pardalianches CAM. Kr. BECH. VERZ. *Aconitum pardalianches Matthioli.* ZW. *CAM. Ep. 822. CAM. Krb. 380. C. VFF. 15. BECH. 521. VERZ. 650. b. ZW. 898.*
Aconitum pardalianches Theophraſti. *ſub litt. a. b. c. totidem radicum formas, et porro folium et florem ſeparatim exhibet, absque explicatione. Doronicum aliud.* CAM. Kr. VFF. VERZ. *Doronicum* II. BECH. *Doronicum maius* ZW. *CAM. Ep. 823. CAM. Krb. 168. A. VFF. 325. BECH. 225. VERZ. 268. b. ZW. 595.*
Aconitum pardalianches minus, officinis Doronicum. *cum litt. D.* radices; *d.* Folium *indicantibus absque explicatione.* Doronicum I. CAM. Kr. VFF. BECH. VERZ. *Doronicum vulgare.* ZW. *Doronicum Scorpioides, Aconitum Marantae.* GESN. Aconit. *vbi litterae iam deprehenduntur. CAM. Ep. 824. CAM. Krb. 168. A. VFF. 325. BECH. 225. VERZ. 268. a. ZW. 595. GESN. Aconit. 11. b.*
Aconitum Marantae. GESN. Aconit. *vide* Aconitum pardalianches minus.
Aconitum pardalianches Matthioli. ZW. *vide* Aconitum pardalianches.
Aconitum pardalianches GESN. Aconit. *vide* Tora minor.
Aconitum primum pardalianches CAM. Kr. BECH. VERZ. *vide* Aconitum pardalianches.
Aconitum primum Quercetani. GESN. Aconit. *p. 13. A.*
Aconitum IIdum. *cum charactere pleno. Aconitum ſecundum Lycoctonum vulgo Luparia.* CAM. Kr. BECH. VERZ. *Aconitum Lycoctonum* ZW. *CAM. Ep. 827. CAM. Krb. 380. C. BECH. 521. VERZ. 651. A. ZW. 899.*
Aconitum IIItium. *Aconitum quintum hyemale.* CAM. Kr. BECH. VERZ. ZW. *CAM. Ep. 828. CAM. Krb. 381. A. BECH. 522. VERZ. 651. b. ZW. 900.*
